
SIGIL. SCHOLAE RELIGIONIS PACIFICAE
COND. A.D. 1866
PRO
VERITATE
ET
REGNO
DEI
CHARLES HOLBROOK LIBRARY
Pacific School of Religion
BHC

Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/joaugernestiopus00erne

JO. AUG. ERNESTI

OPUSCULA PHILOLOGICA CRITICA

MULTIS LOCIS EMENDATA
ET AUCTA.

Editio ſecunda multis partibus locupletior.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM ET JOHANNEM LUCHTMANS,
Academiae Typographos, 1776.

HOLBROOK LIBRARY
PACIFIC SCHOOL
OF RELIGION

87095

A
14
E7
1776

LECTORI ERUDITO
S. D.
JO. AUGUSTUS ERNESTI.

Quibus me cauſſis induci paſſus ſim ad has diſputatiunculas in unum faſciculum congerendas, quam nihil habuerit id conſilium commune cum vanitate, ſatis a me dictum eſſe puto tum, cum hanc vel invidiam vel ſuſpicionem amoliebar ab Corpuſculo eo, quod genus oratorium ſcriptorum noſtrorum habet. Itaque nunc etiam, in tradendo tibi, Lector erudite, volumine altero, paucioribus deſungi licet.

In eo pleraque, per varias occaſiones a me ſcripta, reperies, quae ad aliquam partem literarum atque doctrinae vel explicandam vel illuſtrandam pertinent: pleraque inquam: nam quaedam aut non habent talem argumenti vel delectum vel pertractationem, ut in hoc numero locum tenere poſſint, qualia interdum ſcribere neceſſe eſt in hujus vitae Academicae occupatione, aut a nobis vel redacta in compendium Clavi Ciceronianae inſerta ſunt, ut quae de finibus humaniorum literarum ex antiqua ratione ſcripſimus, vel in Excurſus Suetonianos & Callimachios relata. In quo genere cum etiam de Negotiatoribus Romanis, & de Actis diurnis diſputatiunculae cenſendae ſint, eas ex hoc praeſenti numero circumſcripſiſſemus, niſi ſperaſſemus, eas habere exemplum talis argumenti non jejune & ineleganter explicandi, quod a juventute ad elegantiam doctrinae explicandae adſpirante non inutiliter cognoſceretur. Nam de Gloſſariorum Graecorum indole & uſu ad interpretandi rationem quae ſcripſimus, eorum repetitionem non deſideraturos putavimus eruditos, poſteaquam & in capite Heſychii Albertini repetita ſunt, & ab eruditis Helvetis in iis,

quae

quae Tempe Helvetica appellantur. Nec conſultum duximus addere, quae tantum initia quaedam habent inſtituti alicujus noſtri, ut quae de Joſepho coepimus ſcribere, vel ad argumentum Archaeologiae vel ad orationem pertinentia; quae ſi nobis contigerit abſolvere, proprium volumen explebunt. Quae autem de Ciceronianorum librorum editionibus ſcripſimus, tum univerſorum, tum partis ejus, in qua ſunt Orationes, ea vel emendatiora vel auctiora adjecimus; etſi de ceteris partibus nondum licuit addere; quod nec ſcribendi occaſio data fuit, nec nobis hoc tempore otium ſuppeditavit, ad materiam a nobis congeſtam ita digerendam, ut id inſtitutum abſolveretur.

In parte poſtrema hujus Corpuſculi ſunt, quae ad interpretationem & criſin librorum N. T. Graecorum ſpectant; in his quae de Wetſteniana criſi ſcripſimus. In ea caſtigatione de Bentlejanis & Hemſterhuſianis, ſuper locorum quorundam lectione, conjecturis ita diximus, ut eas ex editis libris a Wetſtenio ſumtas putaſſe videremur Viro doctiſſimo, qui de ea re nos admonuit. Non mirum ſit, ſi ea nobis opinio fuerit, cum eodem modo, hoc eſt, auctoris tantum no-

mine ponendo, aliorum conjecturas literis proditas commemoret. Sed me fateor nihil in hanc partem ſtatuiſſe, interdum adeo miratum eſſe, unde eas duxerit; cum ipſe, qui virorum illorum libros diligenter tractasſem, nullam fere talem conjecturam ab iis ſcripto propoſitam reperiſſem. Enimvero docuit me idem ille, quem dixi, Vir praeſtantiſſimus, Bentlejanas e margine libri ductas eſſe, cujus ei copiam fecerit Bentlejus, cum Cantabrigiae peregrinaretur; Hemſterhuſianas autem e Lectionibus Viri ſummi Academicis in N. T. fluxiſſe. Id celare Lectores noſtros noluimus: quos etiam rogamus, ut huic ſcriptorum noſtrorum Volumini favere, &, ſi quid a nobis peccatum repererint, in eo ſuis nos admonitionibus benigne corrigere velint. Scripſi Lipſiae a. d. VIII. Kal. Apriles, A. C. CIↃIↃCCLXIV.

JO. AUG. ERNESTI

OPUSCULA

PHILOLOGICA

ET

CRITICA.

DE NEGOTIATORIBUS ROMANIS

AD GOTTFRIDUM LEONARDUM BAUDISIUM LIPSIENSEM,

ipſo die, quo Academicos Juris ſcientiae honores capiebat.

In Pandectis, doctiſſime Baudiſi, quod tu optime ſcis, magna eſt locorum copia, quae intelligi non poſſunt, niſi lux iis ex auctoribus Latinis affundatur; ut, niſi quis veteris eruditionis copia tamquam inundatum afferat animum, ſaepe haereat neceſſario, neque ſe facile extricare poſſit. In eo itaque antiquita-

 tis

tis theſauro, cum me ad eum legendum dediſſem, qui, ut non ignoras, paullo majus eſſe hoc regnum Grammaticum, quam ceteri, puto, Pandectasque inter veteres auctores, Grammatico legendos repono, haeſi tum in loco e Modeſtinianis reliquiis. Is eſt L. XII. *tit.* 1. *Si certum pet.* §. 33. *Principalibus conſtitutionibus cavetur; ne hi, qui provinciam regunt, quive circa eos ſunt*, NEGOTIENTUR, MUTUAMVE PECUNIAM DENT, FOENUSVE EXERCEANT. Nam cum tribus rebus interdixiſſe praeſidibus provinciarum viderentur principes, eorundemque comitibus, uti Cicero appellat (*), non intelligebam, quomodo a ceteris quaeque duabus diſcreta eſſet. Dionyſio quidem Gothofredo, Viro doctiſſimo (**), non dubium erat, quin haec ſententia ſederit, ut haec tria inter ſe differrent, *negotiari*, *pecuniam mutuam dare*, & *foenus exercere*, quomodo autem, id parum ei conſtiterit. Mihi vero, quo magis rem conſiderabam, eo magis in eam partem inclinabat animus, ut aut tribus verbis eadem res indicaretur, aut, *pecuniam dare*, *foenusque exercere* ſaltem inter ſe nihil differrent. Sic tum videbatur. Poſtea vero quam Ciceronem diligentius tractare coepiſſem, ſaepeque in negotiatores Romanos incidiſſem, vidiſſemque, doctiſſimis hominibus in explicanda negotiatorum ratione aquam haeſiſſe, & ad unum fere omnes etiam nunc illa *negotia* Trebonii (***), quae is *ampla & expedita* in provincia Lentuli habebat, male interpretari, cum alii lites, alii vectigalia, neſcio quae, alii praedia eſſe putent; coepi diligentius ad eos locos attendere, in quibus negotiatorum mentio eſſet, ut, quae huic vocabulo vis eſſet poteſtasque ſubjecta, accuratius, data occaſione, demonſtrare poſſem. Quae mihi nunc quidem peropportuna offertur. Quid enim accommodatius eſſe huic tali tempori tuo poteſt, quam tecum de ejusmodi re diſputare, qua ipſis libris veſtris lux affundatur, quorum interpretandorum jus tibi & poteſtas a graviſſimo ordine tribuetur? Quod autem dignius, & eruditione tua,

(*) ad Qu. Fratrem I. 1. (**) ad Pand. l. c.
(***) Cic Ep. ad Div. l 3.

tua, & perſona mea, genus honoris a me poteſt, in hoc novi Doctoris officio, in te proficiſci, quam ſi, non, id quod tralatitium eſt, te deducam, ſed hac potius literarum tamquam voce ſignificem, eum te mihi videri, eum amorem tuum in bonas literas, id imitandi parentis, Viri graviſſimi, & in hoc literarum genere inprimis eruditi, ſtudium tuum mihi cognitum eſſe, ut tecum libentiſſime de his rebus mihi videar diſſerere?

Sed ut ad rem veniamus, etſi tibi non poteſt obſcurum eſſe, tamen in principio diſputationis ponamus id, quod recte ſumebat Perizonius, in ea diſputatione (*), qua ſuam de *Praetorio* ſententiam ab Ulr. Hubero defendebat, viro docto in veſtra Juris Civ. diſciplina, ut audio, ſed in hoc noſtro literarum genere nihil ad Perizonium, quocum, imparibus viribus & fragili minimeque tuta Lexicorum ope fretus, congreſſus erat. Poſtulabat autem Perizonius concedi ſibi hoc: *In controverſa ac dubia alicujus vocabuli ſignificatione conquirenda eſſe & conferenda inter ſe loca, quae illud nobis ſervarint; tum diligenter in iis ſingulis ad antecedentia & conſequentia, ſeu ad rem, de qua iſtic agitur, & de qua hoc praecipue vocabulum adhibetur, attendendum, poſtremo alia quoque loca ex iisdem auctoribus ad partes vocanda, ubi de eadem aliis illi verbis & pleniori locutione utantur, ut ſic tandem ex his omnibus certa illius vocabuli ſignificatio eruatur & conſtituatur.* Ad hanc igitur tamquam legem totam diſputationem dirigens, oſtendam primo, negotiatores Romanos, quos aureae aetatis ſcriptores commemorent, non fuiſſe *publicanos*, aut *aratores*, aut *pecuarios*, quod Hotomanno, Viro doctiſſimo, videbatur (**) & Torrentio (***) neque *omnes eos, qui in provinciis ſedem fortunarum ſuarum conſtituerant*, quae erat Graevii, Viri ſummi, ſententia (****) *cum cives Rom. tum ſocii in provinciis, qui agros habebant, quorum fructus per*

(*) §. X. p. 127. 128. (**) ad Cicer. Verrin. II. 77. pro Fontejo c. 1. (***) ad Sueton. Aug, 42. (****) ad Cicer. Verr. II. 77. & multis aliis locis. Ex hoc hauſit Lexicon Fabri.

per procuratores ſuos vendebant, (h. e. aratores) cujusmodi negotiatorem Trebonium fuiſſe cenſebat, de quo eſt apud Ciceronem Ep. ad Div. l. 3.

Dabis mihi hoc, doctiſſime Baudiſi, *non poſſe negotiatores eſſe eosdem, qui aratores, publicanos, pecuarios, ſi ab iis ſaepiſſime diſerte diſtinguuntur a Cicerone, aliisque auctoribus*. Animadverte illud *ſaepiſſime*. Scis enim praeclare, apud optimos auctores cum genere interdum unam formarum conjungi, non ſatis accurate quidem, ſed conjungi tamen; quod nos quidem ad Callimachum plurimis exemplis demonſtrabimus, & ita locum aliquem venuſtiſſimi Poëtae ab Arnaldi, Viri doctiſſimi, ſuſpicionibus vindicabimus. Sed id fit paullo rarius, neque in una eademque re ſaepius. Maneat ergo illud, quod poſuimus, ſi id ſaepiſſime & paene ſemper fiat, res eſſe genere aut forma diverſas, non alteram altera tamquam formam genere comprehendi. Sed eſt ita de negotiatoribus & reliquis, quae appellavimus, generibus. *Siculis ſolis neque publicanus neque negotiator odio eſt* (*). *Teſtarer publicanos, excitarem negotiatores* (**): & ſic pluribus locis aliis: inprimis pro lege Manilia. Nam poſtquam de publicanis dixerat, ita pergit: *deinde ceteris ex ordinibus homines gnavi & induſtrii partim ipſi in Aſia negotiantur* (***) &c. Clariſſimus autem eſt locus ad Atticum II. 16. *Malo negotiatoribus ſatisfacere, quam publicanis.* pro Cluentio c. 69. *praedia* (aratores) *negotia* (negotiatores) *res pecuariae* (pecuarii). Hirtius B. Afr. c. 36. *negotiatores Italici, aratoresque.* Apud Suet. in Aug. 42. in fine: *non minorem aratorum, ac negotiantium, quam populi rationem deduxit.* Cicero, *Ut arare, ut paſcere, ut negotiari libeat* (****). *quantum ab aratoribus, quantum a negotiatoribus, qui Syracuſis —— negotiantur* (*****). *unum ex toto genere negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero teſtem producant*, pro Fontejo cap. 1. Quid? ſi negotiatores non ſunt ſemper equites Romani, ſed ſaepiſſime de plebe; putabisne, clariſſime Baudiſi, negotiatores eſſe publicanos? Quid vero?

(*) Cicer. Verr. II. 3. (**) pro Flacco c. 16. (***) cap. 7. (****) in Verr. II. l. c. (*****) Verr. II. 62.

vero? Perſius ille Horatianus, qui *permagna negotia dives Clazomenis habebat*, an eques erat? (*) Non, credo. Quid? ſi equites diſerte a negotiatoribus diſtinguuntur, tamenne dubitabimus, verum eſſe, quod dixi, negotiatores & publicanos eosdem eſſe non poſſe? Sed diſtinguuntur apud Ciceronem: *omnes equites, qui in illa provincia fuerunt, omnes negotiatores ejus provinciae* (**). Item, ſi *aratores* ſunt non ſolum cives Rom. ſed etiam provinciales, quos nemo umquam negotiatoribus annumeravit; non poſſunt profecto aratores iidem negotiatores eſſe. Sed eſſe ita, Verrinae clamant. Nam L. III. c. 8. ſunt aratores manifeſte Siculi, non cives, cum contra L. II. c. 61. 69. &c. ſint cives Romani. Scilicet *aratores*, ſeu qui in provinciis arant, ſunt, qui aut praedia emta tenent, (quae ante a negotiis diſerte a Cicerone diſcernebantur) adeoque iidem fere, qui Romae *ruſtici Romani* (***) dicebantur, ſimiles illi nobilibus noſtris, qui in agro vivunt & ex praediis: aut, qui agrum decumanum ſive vectigalem tenent: unde aratorum vexationes Verrinae, & illud in Verrina tertia (****): *aratorem tradit decumano*, h. e. publicano, qui decumas conduxerat a populo Romano. Itaque male Torrentius ad Suetonii Aug. c. 42. aratores publicanis annumerat. *Pecuarii* autem dicuntur, qui paſcua aut propria habent in provinciis, & pecoribus paſcendis rem quaerunt, aut, qui paſcua vectigalia habent, & pro iis ſcripturam publicanis ſolvunt.

Neque vero negotiatores ſunt *mercatores*, quod nonnullis placere video. Nam Cicero (*****) diſerte gerentes negotia, diſtinguit a mercatoribus; & in Verrina ſecunda (******) duo genera civium facit, qui fructuoſam Siciliam experiantur; alterum eorum, *quos mercibus ſuppeditandis cum quaeſtu compendioque dimittat*, qui adeo *commeent*, quod eſt auctorum de hoc genere mercatorum proprium verbum: alterum horum, *quos retineat, ut arare, ut paſcere, ut negotiari libeat, ut denique ſedes ac domicilium collocare.* Ex quo loco hoc

(*) Horat. Sat. I. 7. 4. (**) Cicer. pro Fontejo c. 10. (***) v. Gron. de Pec. Vet. IV. 9. (****) cap. 8. (*****) in Vatin. c. 5. (******) c. 3.

hoc quoque falſum eſſe apparet, quod diximus, Cel. Graevium exiſtimaſſe, per procuratores adminiſtraſſe praedia ſua negotiatores: quod & multis aliis locis Ciceronianis convelli poteſt, quibus negotiatores ipſi in provincia manere, certe tam diu dicuntur, quam diu negotiari libeat (*). Deinde vero tota mercatura ignobilis eſt Romanis viſa, ut nemo ſenator, nemo eques, ſed de fece plebis homines tantum, & libertini ea uterentur; cum contra arare, paſcere, negotiari honeſtum eſſet in provincia, ut Romae ruſticum eſſe & foeneratorem, id quod etiam noſtris moribus conſentit. Nam cum nobiles noſtri honeſtum putent, arare & paſcere & in foenore nummos ponere, mercatura facienda nobilitatem inquinari exiſtimant (**). In Oratione pro Plancio diſerte: *negotiatoribus comis, mercatoribus juſtus.* Non ergo Caſaubonus tempora ſatis diſtinxit, aut veram veterum negotiatorum rationem tenuit, cum ad Suetonii Aug. 42. ſcriberet: *negotiantes eſſe, quicumque aliquam negotiationem exercerent, cujusmodi erant centonaria, ſagaria, lignaria, carbonaria, & ſimiles.* Nam qui hoc genere mercaturae utebantur, Ciceronis atque Auguſti tempore nondum negotiatores appellabantur. Eo autem loco manifeſtum eſt, de negotiatoribus frumentariis ſermonem eſſe, de quibus poſtea dicetur. Scribit Suetonius, Auguſtum impetum cepiſſe, frumentationes publicas, (de quibus vid. Lipſii Electa) (***) in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum ceſſaret: neque tamen perſeveraſſe, quod intelligeret, poſſe per ambitionem h. e. captandae aurae popularis cauſſa, reſtitui. Sed ita poſtea hanc rem temperaſſe, ut non minorem rationem aratorum ac negotiatorum, quam populi, deduceret. (pro *duceret* vid. Burm.) Hic vehementer ſcire velim, quomodo carbonaria aut lignaria aut ſimilis mercatura locum habeat. Videlicet frumentationes publicae fructuoſae erant aratoribus, qui ex agris aut propriis aut vectigalibus vivebant, & negotiatoribus, qui, ut oſtendemus, frumentum coëmtum Romam, aut

(*) Vid. Verr. III. 41. pro Flacco 29. pro Plancio 26.
(**) Cic. de Off. I. 42. & ibi Graev. (***) I. 8.

aut in caſtra, ſi qua in provincia erant, ſubvehebant, & inde quaeſtum faciebant. Horum itaque rationem ducebat, ne, eorum quaeſtu tollendo, tantam & tam impudentem nationem offenderet. Non ergo negotiatores iidem, qui mercatores, certe non illis temporibus.

Priuſquam progredimur, duo monenda eſſe intelligo. Primo, non eſſe, quod quis mihi eos auctorum veterum locos opponat, in quibus *negotia* certiſſime de mercatura dicuntur. Nam negotii verbum latius patet, quam negotiatoris nomen. Et ſi hoc conſequens eſſet, ut de qua re negotium dici poſſet, ab ea & negotiatores appellarentur, efficeretur, ut, cum controverſiae juris, laboresque & occupationes negotia dicantur, etiam cauſſarum patroni negotiatores appellari poſſent, & quicumque in aliquo genere laboris verſentur. Deinde fruſtra me oppugnari locis poſteriorum ſcriptorum, in quibus negotiator eſt mercator. Non enim hic nobis eſſe diſputationem meminiſti, doctiſſime Baudiſi, de omnibus temporibus, ſed de Ciceroniana aetate & de libera rep. De poſterioribus temporibus ſuo loco dicetur. Eſt enim hoc, ut ſcis, in omni Latinitate ſtudioſe obſervandum, atque utinam id Lexicographi, a Scioppio de ea re moniti, obſervaſſent, ut ſignificationes verborum non ſolum genere, ſed etiam temporibus diſcernantur.

Removimus falſas de negotiatore ſententias, in qua re iis locis uſi ſumus, ex quibus nihil praeterea de vera negotiatorum ratione colligas. Reſtat nunc, ut eos afferam, ex quibus hujus verbi poteſtas definiri poſſit. Duas, ut apud nos, ita Romae, ſcis, fuiſſe honeſtas & ſummorum ordinum hominibus uſitatas rei augendae rationes; quarum altera foenerando, altera fructibus praediorum percipiendis vendendisque continebatur. Ab illa *foeneratores*, (*renteniers*) ab hac autem *ruſtici Romani* dicebantur. Equitum vero ordini proprium erat genus tertium, quod in publicis vectigalibus, quae e decumis, ſcriptura & portorio redibant, conducendis poſitum erat. Sed cum tanta eſſet equitum plebejorumque multitudo, ut non omnes poſſent, neque in Italia praedia habere, neque pecuniis in foenore Romae collocandis rem quaerere, magna equi-

 tum

tum plebejorumque pars pecunias ſuas in provinciis occupabat. Itaque ſimul bello devicta regio erat ab Imperatore, cum decem legatorum conſilio, ad provinciae formulam redacta, & urbes conſtitutae, in quibus conventus agerentur, conferebant cives Rom. qui volebant, in eas urbes patrimonium ſuum, & aut arabant, aut paſcebant, aut negotiabantur. Negotiationis autem praecipua haec erat ratio, *ut pecunias mutuas darent provincialibus foenusque exercerent.* Quae ratio eo fructuoſior erat, quod nulla lex erat, qua foenoris magnitudo definiretur. Itaque invenies, in provinciis pecuniam ſaepe binis, ternis atque etiam quaternis (*) centeſimis, h. e. duodequinquaginta aſſibus pro centenis in annos ſingulos, eſſe collocatam; quas uſuras vere cruentas appellat Valer. Max. IV. 8. niſi forte Proconſul aut Propraetor impudentiae negotiatorum reſiſteret, quod Cicero fecit, cum Ciliciam proconſulari imperio adminiſtraret (**), & Quintus frater, cum Aſiam obtineret (***). Pecunia opus erat ſenatui conventus: a negotiatoribus petebant publice: civibus ipſis Romanis, qui quacumque de cauſſa in provincia eſſent; a negotiatoribus ſumebant: pecunia deponenda erat: apud negotiatores deponebatur, fere, ut Romae apud argentarios. Itaque & *forum negotiatorum* erat, ut Romae argentariorum, a quo *cedere foro* dicuntur negotiatores, qui bonis evertuntur.

Jam haec omnia, ut vides, teſtimoniis ſunt, e Perizoniana formula, confirmanda. Ea copioſe ſuppeditabit Cicero. In oratione pro Flacco (****) ſermo eſt de Deciano quodam, qui contra Flaccum teſtimonium dixerat: *Negotiaris in libera civitate; quousque negotiabere? annos jam triginta verſaris in foro, ſed tamen in Pergameno.* Quae eſt iſta negotiatio, niſi pecuniaria? Eodem pertinet illud (*****): *Negotiatores ſibi putant eſſe turpe, id forum ejurare, ubi negotientur.* In tertio decimo libro Epiſtolarum ad diverſos creberrima eſt mentio negotiorum, quae ſaepe ſunt controverſiae de quo-

(*) Verr. III. 70. Ep ad Att. VI. 1. 2. (**) ad Attic. l. c. (***) Ep. ad Qu. Fratr. I. 1. (****) c. 29. (*****) Verr. III. 60.

quocumque genere rerum, tamquam epiſtola 33. ſaepe autem de eo, unde inprimis negotiatores dicti. Ep. 56. commendat Cluvii negotium, cui *Mylaſeis & Alabandeis pecuniam debebant*, ep. 57. autem Sardiani Annejo dicuntur pecuniam debere. cf. ep. 61. Ep. 66. rogat, ut *Caecinam in reliquiis veteris negotiationis juvet*, h. e. in pecuniis a veteribus debitoribus exigendis. cf. VI. 8. In praeclara illa ad Qu. Fratrem epiſtola (*), negotiatores dicit *ita negotiari, ut locupletes ſint*; & addit, *conſulatus beneficio ſe incolumes fortunas habere arbitrantur.* Qui ſic? Docebit ipſe (**): *Nec putant ei nummos deeſſe, qui foeneratores ex obſidione exemerit*, h. e. qui periculum tabularum novarum averterit, cum fides Romae atque in toto imperio Romano laboraret. *Numquam* enim, ut ipſe ait (***), *vehementius actum eſt, quam me conſule, ne ſolveretur. Armis & caſtris tentata res eſt ab omni genere hominum & ordine: quibus ſic reſtiti, ut hoc tantum malum de rep. tolleretur. Numquam nec majus aes alienum fuit, nec melius, nec facilius diſſolutum eſt. Fraudandi enim ſpe ſublata, ſolvendi neceſſitas conſecuta eſt.* Erat autem *fides & ratio pecuniarum, quae Romae, quae in foro verſabatur, implicita cum pecuniis Aſiaticis, & cohaerebat: Ruere illa non poterant, ut haec non eodem labefactata motu conciderent* (****). In oratione pro Sextio (*****) Piſoni, qui Macedoniam lege Clodia obtinuerat, inter alia crimina objicit: *Eum bona creditorum, civium Romanorum, cum debitoribus Graecis diviſiſſe.* Qui ſunt creditores, cives Romani, niſi negotiatores? Locus eſt valde vexatus in epiſtolis ad Atticum (******), ubi memorantur *Nicaſionum archetypa;* in qua voce *Nicaſionum* mire variant codices. In uno autem erat *Neoecaſionum*, ex quo Jac. Gronovius conjiciebat legendum: *Negotiationum;* quae conjectura mire arridet. Habet enim ſenſum facilem & egregium, certe probabilior eſt & loco illi accommodatior, quam patris Jo. Friderici, qui reponebat: νεοεικοςῶνων. Illa autem lectione *negotiationum* probata, confirmabitur etiam noſtra ſententia. Nam

(*) I. 1. §. 1. in fine. (**) Ep. ad. Div. V. 6.
(***) de Off. II. 24. (****) pro lege Manil. c. 7.
(*****) c. 43. (******) XII. 5.

Nam *archetypa negotiationum* ſunt tabulae negotiatorum, quibus ipſi ſua manu accepta & expenſa notarunt. Facit huc etiam locus Valerii Maximi (*) jam ſupra, ſed alia de cauſſa, memoratus: *Q. Conſidius* (is qui poſtea Africam obtinuit & Ligarium legatum habuit) *Catilinae furore ita conſternata republica, ut ne a locupletibus quidem debitae pecuniae ſolvi creditoribus poſſent, cum centies atque quinquagies HS ſummam in foenore haberet, neque de ſorte quemquam debitorum ſuorum, neque de uſura a ſuis appellari paſſus eſt* &c. *Jam, qui nunc praecipue* negotiatione *delectantur, cum pecuniam cruentam domum retulerunt, quam improbando gaudio exſultent', recognoſcant* &c. Salmaſius ad Capitolini Pertinacem c. 9. pro *negotiatione* legi volebat *necatione*; ſed ſatis eſt a doctis hominibus vindicata lectio vulgata, inprimis a Jo. Fr. Gronovio in aureo Obſervationum volumine (**), qui ex veſtris etiam, Baudiſi, libris oſtendit, negotiationem eſſe in iis interdum argentariam, & e Julio Firmico (***) commemorat *foenorum negotiationes.* Sed nihil eſt ad hanc negotiatorum provincialium rationem illuſtrandam inſignius quatuor Ciceronis ad Atticum epiſtolis e Cilicia ſcriptis, prima & viceſima quinti, & tribus primis ſexti libri; ex quibus, quod hoc volumen epiſtolarum a pauciſſimis legitur, rem per eas diſperſam, pace tua, commemorabimus. Nam huc pertinet, & ſimul, quae crudelitas negotiatorum fuerit, docebit. Cum Salaminiis aliquando publice opus eſſet pecunia, Romae volebant *verſuram facere*, h. e. pecuniam mutuam ſub uſuris ſumere, non, quod vulgo, atque adeo Cellarius ad Nepotis Atticum, putant, debitum, pecuniis aliunde foenori ſumtis, ſolvere, quod eſt *verſura ſolvere.* Sed erat Lex Gabinia, qua cautum erat, primo, ne quis provincialibus Romae pecuniam mutuam ſub uſuris daret, deinde, ne magiſtratus provinciales e tali ſyngrapha jus dicerent, ſi quis mutuam dediſſet. Itaque nemo erat, qui daret Salaminiis, praeter duos *foeneratores* (ita Cicero appellat) M. Scaptium & Matinium, Bruti familiares, qui freti gratia Bruti, dare volebant *quaternis centeſimis* in annos

(*) IV. 8. (**) IV. 24. p. 368. (***) IV. 7.

annos ſingulos, ſi ſibi SCto caveretur, ut ne Salaminiis, neve, qui eis dediſſent, fraudi eſſet. Quod SCtum cum eſſet in Bruti gratiam factum, numerarunt pecuniam. Poſtea venit iis in mentem, nil ſe juvare illud SCtum, quod, etſi a multa in Lege Gabinia conſtituta liberi eſſent, tamen jus ex ſyngrapha non diceretur. Fit ergo aliud SCtum, ut & ea ſyngrapha eſſet eodem jure, quo ceterae. Contulit ſe deinde Scaptius in provinciam Ciliciam, & cum ſe ad Proc. Appium applicuiſſet, ab eo, commendatione Bruti, praefecturam accepit & turmas equitum. Jam cum reddenda eſſet Salaminiis pecunia cum uſuris, neque poterant, neque volebant tantum foenoris dare. Scaptius cum turmis ſuis Salamina ſe confert. Senatum in curia obſidet tam diu, ut fame ſenatores quinque morerentur. Neque tamen ſolvebatur pecunia. Succeditur deinde Appio. Contendit Scaptius a Cicerone, ut ſe praefectum faciat. Negat Cicero *ſe negotiatori, qui in provincia ſua negotiaretur, praefecturam daturum.* Pollicetur autem ſe curaturum, ut Salaminii pecuniam ſolverent. Hortatus ergo Salaminios, perſuaſit ipſis tandem, ut redderent ſortem Scaptio cum uſuris ex edicto. Cum autem Cicero in edicto tralatitio, centeſimas ſe obſervaturum, haberet, ex eo ſolvi Scaptio volebat centeſimas cum anatociſmi anniverſario, ſive, quod idem eſt, cum renovatione annorum ſingulorum. Negabat ſe Scaptius ſingulis contentum fore centeſimis, & quaternas ex ſyngrapha poſtulabat: quod cum nulla ratione, ne SCtorum quidem auctoritate adhibenda, impetraret a Cicerone, qui ab edicto ſuo recedere nolebat; rogabat eum tandem, ut rem ſic relinqueret; quod ei Cicero conceſſit. Vides, doctiſſime Baudiſi, eundem hominem, idem agentem, alio tempore foeneratorem, nempe cum eſſet Romae, alio autem, cum in provincia ageret, negotiatorem appellari. Atque hoc diſcrimen aureae aetatis ſcriptores ſemper tenent. Unum locum ubi in hanc rem adjecero, de ea verbum non amplius addam. Accuſabatur Fontejus de repetundis, defenſore Cicerone. Inter reliqua crimina etiam hoc erat, quod eo praetore oppreſſa eſſet aere alieno Gallia (*). Id ut falſum convin-

(*) pro Fontejo.

vinceret Cicero, quaerit, a quibus verſurae tantarum pecuniarum factae ſint? *A Gallis? Nihil minus. A quibus igitur? A civibus Rom. qui in Gallia negotiantur* &c.

De vocabulo *negotii* meminiſti me dicere, de omni genere quaeſtus adhiberi, ſed inprimis tamen de hoc pecuniario. Itaque & hoc exemplis confirmabimus, & locum Ciceronianum, in quo docti pariter & indocti haerent, explicabimus. Initium faciemus ab eo, de quo jam diximus: *Trebonius ampla & expedita negotia in tua provincia habet* (*). Vidiſti Graevium de *praediis* interpretari (**,) quin de *tota re familiari* ad Catilinariam II. 10. ubi pro *male gerundo negotio* e cod. Graev. 2. legendum cenſet: *male gerundo negotia*, i. e. rem familiarem; quod vereor, ut cuiquam probet. In illo autem loco ipſum verbum *expedita* poterat docere, de re pecuniaria eſſe ſermonem. Sine dubio hoc ipſum legenti, occurrit tibi, docte Baudiſi, illud Phaedri (***): *Qui nomen locat, ſponſore improbo, non rem expedire, ſed mala videre expetit;* quorum verborum ſcis eſſe hanc ſententiam: *non cautum cupit creditori de credita pecunia, ſed creditorem decipere.* Apud Ciceronem invenies *explicatam ſolutionem* (****), *explicare nomen* (*****). In ipſis autem Pandectis *explicari pecunia* hoc ſenſu dicitur. Quae ſunt ergo *ampla & expedita negotia?* pecuniae magnae creditae & occupatae foenore in provincia, ſed apud eos, quorum fides non laborat, ut non ſit Trebonio Proconſulis opera in exigendis creditis pecuniis opus. Epiſtola 56. L. XIII. ſermo eſt de *Cluvii negotio.* Quale id erat? *Mylaſeis & Alabandeis magnam ei pecuniam debebant;* quod erat non expeditum, ſed impeditum negotium. Et hoc ſenſu non ſemel in illo epiſtolarum libro verbum hoc occurrit. In Oratione pro Cluentio (******) conjunguntur *praedia, negotia, res pecuariae;* ubi manifeſtum eſt, *negotia* ad tractationem pecuniarum pertinere.

Longi fuimus in prima negotiationis veteris ratione;

(*) I. 3. (**) ad Verr. II. 77. (***) I. 16. (****) ad Att. XV. 20. (*****) ad Att. XIII. 29. aliisque locis. (******) cap. 69.

ne; ad alteram veniamus. Ea haec erat, ut ab aratoribus, cum civibus Rom. tum provincialibus, item integris civitatibus, frumentum emerent, & Romam, aut quorſum vellent, avehendum curarent. Nam hoc quoque negotii genus honeſtum videbatur. Magna apud veteres Romanos agriculturae laus, magnus honos erat (*). Itaque quicquid ab agricultura quaeſtus petebatur, id honeſte petebatur. Mercium autem apportandarum conſuetudo, quia recentior eſſet, & plerumque voluptatibus potius, quam neceſſitatibus vitae ſerviret, propterea ſordida & minus honeſta putabatur antiquis temporibus. Itaque graviſſimum convicium eſt, cum Cicero de Verre dicit: *mercatorem cum imperio ac ſecuribus in provinciam miſimus* (**). In Oratione pro Flacco (***) ſermo eſt de Falcidio quodam, quem *mater in provinciam Aſiam miſerat cum pecunia.* Quorſum cum pecunia? ut negotiaretur? In quo igitur negotio pecuniam eam occupavit? *Fructus Trallianorum Praetore Globulo emerat* (****). Apud Caeſarem & Hirtium horum negotiatorum mentio, quod eorum magnus in bellis erat uſus. Bis commemorantur negotiatores de Bello Gall. VII. 3. 42. Sed ex locis illis nihil poteſt colligi, quales fuerint; quamquam Dionyſius Voſſius frumentarios putat. Qui autem ejusdem libri cap. 38. memorantur cives Rom. quos interfecit Litavicus, & quorum frumentum commeatusque diripuit, negotiatores profecto frumentarii fuere. Tales & illi, quos, ait Hirtius (*****), frumentum in oppidum Tiſdram comportaſſe, Caeſaremque rogaſſe praeſidium, ut ſuae copiae conſervarentur.

Putasne, doctiſſime Baudiſi, confectum eſſe, quod volebamus? Mihi quidem videtur. Quid tibi ſtatuendum ſit, ipſe videris. Agebatur autem hoc, ut doceremus, negotiatores libera republica, atque etiam ſub initium Auguſtei imperii duabus rationibus rem quaeſiviſſe, pecuniis foenori in provincia locandis, & frumentis coëmendis, Romamque, aut quorſum quaeſtus juberet, ſubvehendis. Vidit hoc etiam, & is quidem

(*) Vid. Plin. H. N. XVIII. 3. 4. (**) IV. 4. (***) cap. 36. (****) cap. 37. (*****) Bell. Afr. c. 36.

quidem unus, quod ſciam, Cel. Burmannus ad Petronium c. 101. Sed tamen non ſatis, neque a mercatore negotiatorem diſtinxit, neque tanquam tempora hujus vocabuli. Sed quod fere omnibus, id huic etiam verbo accidit, ut uſus loquendi, qui maxime inconſtans eſſe ſolet, aliquid ei ſenſim novae poteſtatis adderet. Nam quod *negotii* verbum erat negotiatoribus & mercatoribus commune, & ipſa negotiandi mercaturaeque faciendae ratio magnam ſimilitudinem inter ſe habebant, mox negotiatoris & mercatoris vis ita eſt inter ſe confuſa; ut omnes mercatores etiam negotiatores appellarentur. Potuit aliquam vim ad eam rem habere ipſa reipublicae commutatio, quae cum libertate etiam Romanam animi magnitudinem & liberalitatem honeſtique amorem ſuſtulerat; quae res fere ſunt libertatis, ut cum Longino loquar, ἀπηχήματα. Nam illo honeſti ſenſu ſublato, & liberalitate naturae imminuta ac detracta, aſſentatio & vel ſordidi lucri ſtudium inducitur. Itaque omnibus ad quaeſtum converſis, in quo jam, libertate erepta, finis bonorum poſitus eſſe putabatur, nihil erat negotiator mercatore honeſtior ac liberalior. Aequata autem utriusque generis dignitate, utriusque etiam vocabuli vis aequata eſſe videbatur. Itaque promiſcue jam *negotiari* & *mercaturam facere* dicebatur. Obſervabis hoc, ſi attendere volueris, per omnes argenteae aetatis, quam vocant, auctores, quorum locis adducendis ſuperſedemus. Hinc in veteribus inſcriptionibus, quae quidem illis temporibus factae ſunt, *negotiatores olearii, carbonarii, lignarii, ſagarii*, & plurima alia genera. Indices Gruteriani, Gudiani, Donianique corporis Inſcriptionum, ſine dubio etiam aliorum hujusmodi operum, quae, quod non erant ad manum, conſulere nec potui, nec volui; hi itaque indices largam tibi copiam hujusmodi negotiatorum ſuppeditabunt; quam huc nos facile poteramus congerere. Sed hac auctoritatum coacervandarum inani ambitione nihil utimur. Neque enim hominibus iis ſcribimus, qui cum crebras auctoritates, inprimis titulos hujusmodi & nummos conſpiciunt, inprimis raram eruditionem ſubeſſe credunt; quod apud me ſecus eſt, cui iſta ambitio ſemper aliquid monſtri alere videtur. In libris veſtris

etiam

etiam ſaepe fit negotiatorum mentio, qui a mercatoribus nihil diſtant; quod ſi te multis exemplis docerem, eſſet hoc profecto id, quod eſt in Graecorum proverbio, γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας.

Ceterum, ut ut illud antiquum negotiatoris & mercatoris diſcrimen ſublatum eſſet: tamen interdum occurrit verbum illud priſtino ſenſu, inprimis in ejusmodi re, in qua vetus quaedam ratio ac reipublicae tamquam diſciplina obtinebat. Atque hanc rationem eſſe illius loci Modeſtiniani puto, a quo omnis haec orta eſt diſputatio. Cujus meae opinionis ecce tibi rationem. Poſt bellum Perſicum, cum Romana res, ut vere judicat hiſtoricorum princeps, Polybius, ad ἀκμὴν veniſſet, tantus Romani nominis terror omnes gentes invaſit, ut quicumque non modo magiſtratus Romanus eſſet, ſed comes magiſtratus, tamquam legatus, aut quaeſtor, aut praefectus, ſed civis Romanus, is ſacroſanctus haberetur, ab eo omne genus injuriarum omnes, cum primis provinciales, perferrent (*). Itaque ſi quis v. c. Senator negotii alicujus cauſſa extra Italiam proficiſci vellet, ſolebat *Legationem liberam* a ſenatu petere, ut legati Rom. nomine non ſolum tutus eſſet, ſed omni modo vexare ſocios & provinciales poſſet. Qui autem in provinciis negotiandi aut alia de cauſſa erant equites civesque Romani, libenter petebant praefecturae nomen locumque a magiſtratibus provincialibus, ut eo magis vexare provinciales poſſent, quod ſupra de Scaptio negotiatore crudeliſſimo commemoravimus. Ea res permoverat ſenatum, ut caveret, ne quis magiſtratus provincialis aut legatus negotiaretur, aut quicquam emeret omnino in provincia, ut ex Verrinis (**) conſtat, quod putarent ereptionem, non emtionem eſſe, cum venditori ſuo arbitratu vendere non liceret. Egerat etiam Cicero in Conſulatu, approbante ſenatu frequentiſſimo, ut legationes liberae plane tollerentur, & eſſet perfectum, niſi ei levis tribunus plebis interceſſiſſet, ut ipſe in tertio de Legibus commemorat (***); illud

(*) Vid. e. c. Verr. I. 17. 33. 38. 39. ubi de Verre legato & quaeſtore agitur. (**) IV. 4. 5. (***) cap. 8.

illud tamen perfecit, ut, quod erat ante infinitum, fieret annuum. Denique qui aequiores erant magiſtratus provinciales, nemini negotiatori praefecturam dabant, quod Ciceronem, probante Pompejo, Catone, Lenio, aliisque, feciſſe, ſupra commemoravimus (*). Haec ſapientum hominum auctoritas Principes tandem juſtos & aequos permovit, ut conſtituerent id, quod Modeſtinus commemorat, ne Praeſides, aut qui circa eos eſſent, negotiarentur, mutuam darent pecuniam, foenusve exercerent, ne abuti poteſtate ſua ad crudelitatem poſſent, quorum erat, aliorum cupiditatibus in iſto genere frenum injicere.

Sed alia in promtu eſt ſententiae meae ratio. Primum non differunt hoc loco *mutuam pecuniam dare* & *foenus exercere*. Scio proprie differre, ut apud Graecos δανείζειν & τοκίζειν, quorum illud eſt proprie, mutuam dare pecuniam ſine uſuris, hoc foenori dare (**); ſed quemadmodum poſtea, cum nemo facile ſine uſuris pecuniam crederet, poteſtas utriusque verbi apud Graecos aequata eſt; ſic ob eandem rationem mutuam dare pecuniam & foenus exercere apud Latinos nihil differunt plerumque. Quid enim? ſi mutua pecunia eſt δάνειον ἄτοκον, quare tandem hoc Praeſidibus, & qui circa eos ſunt, non licet? Ratio legis docet, iſtam interpretationem locum non habere. Ergo ſi haec duo nil differunt, quomodo docebimus, tertium *negotiari* a reliquis duobus diverſam vim habere? Quid? ſi eadem res ab aliis ita enunciatur, ut totum illud *negotiari* omittatur? Ita eſt. Nam in eodem Pandectarum Libro & titulo §. 34. e Paulli libro II. Sententiarum haec verba leges: *Officiales Praeſidis, quia perpetui ſunt, mutuam pecuniam dare foenebremque exercere poſſunt.* Denique, quod totam rem conficit, titulus hic Pandectarum totus ad *res creditas* pertinet, ut non poſſit illud *negotiari* de alia re, niſi de quaeſtu e pecuniis creditis, capi.

Habes meam de negotiatoribus Romanis & de hoc Modeſtini loco ſententiam, quam ſi tibi & aliis doctis ho-

(*) Ex Ep. ad Att. V. ult. VI. 1. 2. 3. (**) Salmaſ. de Uſuris c. 2. Periz. ad Aelian. IV. 1.

hominibus probaro, inprimiſque parenti tuo, cujus in his cauſſis notionem eſſe omnes concedimus, quem judicem agnoſcimus; operae pretium me feciſſe, vel hoc nomine, putabo. Maximum autem fructum hunc cepero, ſi illum tantum tuum veteris eruditionis a patre acceptum amorem, non dico, auxero, eſt enim tantus, ut acceſſioni nullus relictus ſit locus, ſed aliqua ratione confirmaro. Itaque, etſi mihi non hoc ſumo, ut te cohortari meo nomine audeam, virum praeſtante doctrina, & his vocibus a puero innutritum; tamen quoniam non abs re eſt, hoc die quoque aures tuas iis perſonare, pro mea in te benevolentia, non poſſum facere, quin te, cum communium literarum, tum earum nomine, quae tibi propriae ſunt, obteſter, ut, quem auctore parente & duce ingreſſus es curſum, eum teneas, donec in portum abſolutae & cumulatae gloriae perveneris, atque, ut paucis omnia complectar, totum te ad ejus exemplum componas. Eum parentem habes, eum hodie locum obtines, eam tui exſpectationem concitaſti, ut jam non mediocria a te aut exſpectentur, aut iis contenti futuri ſimus: omnia magna & eximia a te exſpectamus. Hanc tu exſpectationem, gravem adverſariam, uno modo, non tantum aequare, ſed vincere potes. Duo ſemper fuerunt in eruditorum civitate genera; alterum eorum, quod ſe venditaret imperitis, quod variis artibus famam & gloriam quaereret, quod in mediocri doctrina, tamen ſummae eruditionis opinionem conſectaretur, &, ſenſui ſemidoctorum ſe accommodando, obtineret; quos ego populares vocare ſoleo: alterum eorum eſt, qui ſolidam laudem & ad poſteritatem omnem propagandam quaerentes, viam regiam ad eruditionem inſiſterent, & ex ipſis fontibus limpidam doctrinam haurirent, eamque demum veram eruditionem putarent, quae ex his peteretur; quos optimates, ſi placet, mecum appelles. Nulla aetas fuit, quae non magnum popularium numerum haberet, qui ſaepe ab imperitis praeferrentur optimatibus. Sed ea felicitas numquam fuit diuturna, neque eſt ad poſteritatem, quae incorruptius judicat, propagata. Talem hominem Stephanum Forcatulum accepimus, qui ſe imperitis ita jactaverat,

 eam

eam jurisprudentiae etiam humanioris opinionem de ſe concitaverat, ut Cujacio, h. e. ut vere Gravina judicat, ſimius homini, praeferretur. Sed Forcatuli illa gloria mox interiit, Cujacius numquam intermorituram reliquit. Optimatium ergo tu ſectam, quod adhuc feciſti, perpetuo ſequere, neque ullis popularis aurae illecebris ab ea te abſtrahi patere. Non eſt jam, ut alia ratione aut placere parenti optimo, aut dignum te illo praeſtare, aut veram gloriam conſequi poſſis. Nuper cum eſſet Cel. Burmannus, quid de Gesnero ſentiret, interrogatus: *Is vero*, reſpondit, *rectam ſtudiorum rationem tenuit. Legit enim veteres.* Ad hanc ergo laudem mecum perpetuo contende, ad hanc & conſobrinos tuos, quantum potes, mecum cohortare; pro quibus jam non dubito fidem meam obligare, tales eos fore, quales maxime velle & optare debemus. Magnum habet theatrum veſtra familia, magnum haec ipſa urbs; neque deerunt veſtrae gloriae praecones. Quare ad eam totum te compara, ad ejus ſtudium laborem, curam, cogitationem, mentem denique omnem conferendam puta. Habes omen & pignus futurae gloriae iſtos honores tibi hodie tributos, quos etſi multi tibi gratulantur, nemo tamen me magis. Sic mihi velim, quae opto, contingant, ut ego te omnibus rebus perpetuo florentiſſimum eſſe cupio.

D1

DE

SOLARIIS.

Saepe animadverti eſſe, non modo, qui in locis veterum & recentiorum ſcriptorum, in quibus ſolariorum mentio facta eſſet, haererent, ſed etiam, qui ea, per inſcitiam, ad riſum jocumque trahendo, ſapientiam oſtentarent. Ejus rei cauſſam hanc eſſe arbitrabar, quod, cum de ſolarii verbo non ſatis, neque diſcrete, neque diligenter, in Lexicis Latinis, nominatimque Fabriano, dictum eſſet, e notatione poteſtatem ejus arceſſerent, negligentes ſecurique Dialecticae praeceptionis, quae rationem iſtam lubricam vehementerque fallacem, mutabili loquendi conſuetudine, arguit. Itaque animum cepit lubido, de ſolariis paullo diſtinctius, breviter tamen, tradendi, eaque, quae dicta eſſent, ad illuſtranda quaedam veterum ſcriptorum loca conferendi; ut non modo Latinarum literarum ſtudioſis aliquid ſtudii noſtri operaeque navaremus, ſed etiam ceteros in reprehendendo irridendoque cautiores, ſi poſſemus, efficeremus. Dicetur autem de duobus ſolarii generibus: altero, quod temporis deſcribendi cauſſa repertum eſt, altero autem, cui ſol libere adfuſus nomen fecit: tertium, quod pro ſolo datur, totum circumſcriptum ſit ex hac diſputatiuncula & ſublatum. Sed de ſolario, quod tempus partitur, paullo altius, ex antiquitatis Romanae & Gnomonices vetere diſciplina, res repetenda videtur.

Primis reipublicae Romanae ſeculis nullam aliam diei diviſionem rudis & incultus ab humaniori vita populus habuit, niſi, quam ſenſus, primum orientis & occidentis, deinde etiam ſummi ſolis, facit. Itaque temporis diurni indicandi nulla alia vocabula, niſi ab his tribus temporibus ducta, uſurpavere. Lex quidem decemviralis rerum in jure agendarum tempus, non horae diurnae numero, ſed ſolis occaſu, finit: *Sol occaſus ſuprema tempeſtas eſto:* ne tum quidem cognito horologiorum uſu. Auctor rei etiam Plinius (*): *Serius horarum obſervatio Romae contigit. Duodecim tabulis ortus tantum & occaſus nominantur: poſt aliquot annos adjectus eſt & meridies, accenſo conſulum id pronunciante.* Ars deinde, a Graecis, auctore Anaximene Mileſio, ut Plinius (**) tradit, ſive, ut Laërtius (***) prodit, Anaximandro, orta acceſſit, & diei tempus in aequales dividi coeptum eſt partes, quae ſolis, in gnomonico diſco, ſive ſcaphio, radiis regerentur definirenturque. Id deſcribendi temporis dieique inſtrumentum *ſolarium* dictum eſt, tempore belli Punici primi Romam primum allatum, eodem Plinio & Cenſorino (****) auctoribus.

Sed in hoc magnopere cavendum eſt tironibus, ne, noſtra conſuetudine ac ratione conturbati, Romanum ſolarium geminum noſtro putent; quod hominibus, non indoctis illis quidem, ſed non ſatis attentis, memini accidere. Itaque tenendum inprimis hoc eſt, tempus omne, quod ab oriente ſole ad occidentem effluit, item, quod hinc, ad redeuntem usque cum ſole lucem, conſumitur, apud Romanos in duodecim aequales partes diviſum fuiſſe; a quibus ea res, a Graecis accepta ad Judaeos pervenit, nullis antea horis uſos (*****). Sed a diurno tempore initium factum eſt, quod ſolum, ne magni Daraptifelaptones, ut Broukhuſius appellabat, calumnientur, ſolario eo aequaliter deſcribi poterat, quod ſolis radios ad temporis partitionem adhibet, quoque tum uno utebantur. Ex eo fit, ut, cum omnes, & longiores aeſtivi, &

(*) H. N. VII. 60. (**) H. N. II. 76. (***) II. 1. ubi v. Menag. (****) De Die Nat. c. 23. (*****) Vid. Joſ. Scalig. Em. Temp. p. 5 — 135.

& contractiores hiberni dies ad eundem numerum dividerentur, horae & ipſae variae magnitudinis eſſent, & binis tantum quotannis diebus eaedem horae redirent, his nempe, qui a ſolſtitio, hoc eſt, longiſſimo die, quem unum antiquior conſuetudo Latina ſolſtitium vocat, pari intervallo diſtarent. Eodem modo nocturnum tempus diviſum, cum ejus quoque deſcribendi artificium excogitatum eſſet, ut poſtea dicemus. Neque vero illud poteſt eſſe obſcurum, horis etiam nocturnis definitis, non easdem, eodem quidem tempore, diei noctisque horas fuiſſe, niſi aequinoctiis. Atque inde explicandus Virgilianus ille de aequinoctio verſiculus, in Georgicorum primo (*)

Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas.

ab Lucano (**) allegoriae imitatione repetitus, ſed a quibusdam male intellectus, e noſtra conſuetudine, de pari horarum numero, qui omnibus apud Romanos diebus noctibusque convenit, cum de pari horarum nocturnarum diurnarumque magnitudine capiendus ſit: quod ipſum etiam loquendi genus indicat: quippe, cum libra non numeros pares faciat, ſed pondera aequalia prodat, libra etiam coeleſtis non numerum horarum, ſed ipſas horas aequat. Ex quibus intelligi poteſt, ſolarium noſtrum apud Romanos diebus aequinoctialibus tantum adhiberi potuiſſe. Alia igitur Graeci & Romani ratio ab noſtro fuit.

Et ab initio quidem, cum primum, ſive Anaximander, ſive Anaximenes, ſolarium invenerat, nihil aliud erat, quam aequinoctii, ſolſtitii & brumae, item mox meridiani reperiendi inſtrumentum, σκιόθηρον, γνώμων, ἡλιοτρόπιον & πόλος, ſaepe mathematicis aliisque memoratum, quamquam proprie γνώμων & πόλος tantum partes ſunt heliotropii (***). Εὗρε γνώμονα —— τροπάς τε καὶ ἰσημερίας σημαίνοντα, inquit, in Anaximandro, Diogenes (****). Neque enim tum in horas apud Graecos deſcriptus dies: quod totis propemodum duobus ſeculis poſt demum repertum putatur. Nam, quod apud Xenophontem (*****) horarum mentionem factam

(*) v. 208. (**) VIII. 567. (***) Salmaſ. ad Solin. pag. 448. (****) II. 1. (*****) Mem. S. IV. 4. 3.

tam exiſtimat, ad Laërtium, Menagius, ubi Socrates a ſole ὥρας τῆς ἡμέρας, a ſideribus autem ὥρας τῆς νυκτὸς indicari dicit: fallitur, cum multis aliis, ambiguitate verbi, quod ibi non magis horas noſtris ſimiles ſignificat, quam eo loco (*), quo ὥρας νυκτὸς καὶ μηνὸς καὶ ἐνιαυτοῦ habet. Sed illo hic ſolario non utimur: neque illud tam communibus omnium, quam mathematicorum uſibus inventum videtur. Apud Plutarchum quidem, in Marcello (**), quod, inter alia Archimedis mathematica inſtrumenta, commemoratur σκιόθηρον, non ſane publici, ad diei horas reperiendas, ſed privati, ad Aſtronomiam, uſus fuit. Illud autem genus, de quo nunc dicemus, non Mathematicis proprium erat, ſed publice in urbibus ad communes uſus habebatur. Sed e ratione meridiei gnomonis indicio reperiendi videtur paullatim ſubtilior diviſio intervalli, quod inter orientem ſolem & meridiem, hunc item & occidentem interjacet, reperta, & ita etiam diei in horas deſcriptio conſtituta eſſe. Neque enim dubito, quin haec illam potius, quam hanc illa, ſecuta ſit. Ejus autem rei quis primus auctor fuerit, quoque tempore ea excogitata, in uſumque vitae communis deducta ſit, in incerto eſt, neque de ea re hic attinet diſputare. Salmaſii (***) quidem inſignis eſt halucinatio, qui, cum ſolarium horarium Romam, e Sicilia, tempore belli Punici primi, deportatum, in foroque ad uſus publicos conſtitutum tradidiſſet, ejus tamen inventionem Archimede poſteriorem facit, quem, ſatis conſtat, bello Punico ſecundo periiſſe. Ceterum hujus ſolarii ratio modusque hic erat, ut in hemiſphaerii, quod Vitruvius (****) *lacunar*, Graeci σκάφιον & πόλον vocant, ſive concava, ſive convexa parte, ſive etiam in diſco plano medio, ſtilus aeneus, γνώμων, erigeretur, deſcriberenturque lineae, non modo, quae brumales, ſolſtitiales, & aequinoctiales horas notarent, ſed etiam, quae incrementa & deminutiones horarum per ſingulos menſes indicarent, *menſtruas lineas* Vitruvius (*****) vocat. Singulis autem menſibus aut ſingulae aut paucae lineae attri-

(*) IV. 7. 4. (**) p. 308. (***) ad Solin. p. 448.
(****) IX. 9. (*****) IX. 8.

attribuebantur, e quibus omnium dierum horae, ſine inſigni errore, colligi poſſent. Nam omnium dierum lineas deſcriptas fuiſſe, nec veteres prodiderunt, nec probabile eſt: quod linearum multitudo turbare homines potuiſſet, & vix locum in lacunaris anguſtiis habuiſſet. Ceterum lineis, quam vim haberent, adſcribebatur, ut rudioribus promtior uſus ſolarii eſſet. Varro quidem e ſolario Praeneſtino docet, olim dictum eſſe *Medidies* (*), quod id verbum lineae ei adjectum invenerat, quam umbra gnomonis, ubi ſol ad ſummum coelum veniſſet, feriret.

Sed quoniam in hoc genere ſolarii primum difficultas aliqua utendi plebejis hominibus erat, deinde diebus tantum, non item noctibus ſerviebat; aliud genus horologii inventum eſt a Cteſibio (**), ut ferunt, quod aqua tempus deſcriberet, & horas omnium dierum noctiumque accurate notaret. Id etſi diſſimile erat illi, quod ſolarium ante vocabatur, tamen, quod in ejus locum venerat, ſolarii nomen ei manſit. Cicero (***) certe duplex ſolarium facit, lineare & aquarium: *Solarium vel deſcriptum, vel ex aqua, quo horae indicantur.* Luculenter autem Cenſorinus (****): *L. Cornelius Naſica Cenſor ex aqua fecit horarium, quod & ipſum, a conſuetudine noſcendi horas a ſole, ſolarium coeptum vocari.* Solarium hoc ſtetit in foro, & quidem ſub tecto. Auctor locuples Plinius (*****): *Scipio Naſica collega Laenatis primus aqua diviſit horas aeque noctium ac dierum: idque horologium ſub tecto dicavit anno Urbis DXCV.* Ex quibus illud etiam colligitur, ſolarium, quod in foro Romano, Ciceronis (******) tempore fuiſſe commemoratur, non aliud fuiſſe, quam aquarium illud, a Plinio & Cenſorino proditum. Nam, etſi non abſurdum eſt, credere, ſolarium lineare non ſublatum eſſe de foro, aquario conſtituto, quando etiam L. Marcius Philippus Cenſor non ſuſtulit primum e foro ſolarium, quod M. Valerius e Sicilia allatum poſuerat, etſi, quoniam ad clima

(*) De L. Lat. V. p. 44. (**) Vitruv. IX. 9. (***) Nat. D. II. 34. (****) c. 23. (*****) H. N. VII. extr. (******) Or. pr. Quint. 18. ad Herenn. IV. 10.

clima Siciliae deſcriptum erat, non ſatis ad horas Ro-
mae conveniebat, ſed *juxta* poſuit (*): inprimis cum
eo fortaſſe opus eſſet ad regendum aquarium: tamen
cum hoc tum uſibus hominum quotidianis maxime in-
ſerviret, idque homines, horae inſpiciendae cauſa
maxime frequentarent, communes loquendi modi ab
hoc potius petiti videntur.

Etſi autem ſolaria aquaria invecta fuerunt, tamen
proprie ſic dicta non magis ex uſibus hominum ſublata
ſunt, quam apud nos, invento horologii genere eo,
quo nunc utimur. Ex quo objicitur quaedam ambigui-
tas legentibus ſcriptores veteres in locis iis, quae ſo-
larii vel horologii mentionem faciunt, facile illa ta-
men ſolvenda, ſi contextus diligenter inſpiciatur.
Nam, ut hoc utar, quod Trimalcio apud Petro-
nium (**) in monimento ſuo poni jubet, id, non
dubitandum, quin lineare intellexerit. Aquaria indi-
gebant aliquo, qui regeret, ut paullo poſt inſcriptio
Muratoriana docebit: hoc horologium autem extra ur-
bem inſtituendum erat, tantum, ut allicerentur ad in-
ſpiciendum monimentum peregrinantes, quibus opus
aut lubido ſcire, quota hora eſſet. Sed quod idem in
triclinio habuiſſe dicitur, id, ut recte Cel. Burman-
nus (***) monuit, tale fuit, quale in foro ſub tecto
ſtetit, nempe aquarium. Eo autem nomine, vere
lautiſſimus homo Trimalcio vocatur; quod nemo faci-
le domi ſuae ſolarium habebat, ſed pueros in forum
vulgo mittebant, qui horam nunciarent, ut, poſt
alios, Burmannus docuit. Ne Domitianus quidem Im-
perator (****) habuit domi ſuae ſolarium. Nam die
ea, qua interfectus eſt, falſo eſt ei hora nunciata e
foro, & quidem tum, cum propter denunciatum ab
Aſtrologis vitae periculum, quod hora ſexta inſtaret,
ejus maxime intereſſet recte ſcire, quota hora labere-
tur. Quod ſi domi horologium habuiſſet, non dubium
eſſe poteſt, quin ipſe inſpecturus fuerit. Quo loco
ſubit mirari, quid venerit in mentem auctori Chreſto-
mathiae Petronio-Burmannianae, qui Burmannum,
veluti

(*) Cenſorin. l. c. (**) c. 17. (***) c. 26.
(****) Suet. Dom. c. 16.

veluti erroris plus quam puerilis reum, exagitat, quod Trimalcionem tale horologium in triclinio habuiſſe dixerit, quale in foro fuiſſe Plinius tradat: quaſi ſcilicet exiſtimarit, horologium lineare in triclinio Trimalcionis ſtetiſſe. Vir doctus non meminerat horologium illud forenſe aquarium fuiſſe, quod diſcere potuiſſet, ſi locum Plinii inſpexiſſet, aut Cenſorinum legiſſet. Quod ſi eſt is, quem vulgo ferunt, mirandum ſane eſt, Ciceronis editorem neſciſſe ſolarium ex aqua. Sed conviciandi libido hominem, quisquis fuit, ut fit, caecaverat. Quamquam fortaſſe injuriam ei facio, & Burmannus, rudis ſcilicet philoſophiae, ut placet magnis philoſophis, jure accuſari poteſt, quod non mathematica ratione demonſtravit, illud horologium, quia in triclinio ſteterit, non tale fuiſſe, quod ſolis radiis horas indicaret, ſed ex aqua. Eſt enim res obſcura, quae a lectoribus, inprimis philoſophis, niſi demonſtrata, intelligi non poteſt. Quod ſi bonus Burmannus Philoſophum audiſſet, aut legiſſet, tales res explicandas eſſe, ut intelligi certa ratione poſſent, ab eo didiciſſet; qui etiam in Gnomonicis definitioni horologii deſcripti corollaria haec ſubjecit, quibus doceret, ejusmodi horologium tantum interdiu, & cum ſol luceat, horas indicare poſſe, & alia his ſimilia. Hoc eſt eleganter & ſubtiliter de rebus magnis ſcribere. Sed iſta elegantia & ſubtilitas ſuperat intelligentiam & captum Grammaticorum & Criticorum. Ceterum aquarii generis eſt ſine dubio *horologium*, de quo eſt memorabilis inſcriptio apud Muratorium (*), *cum ſuo aedificio & ſignis omnibus & clatris*, quod *adminiſtrandum eſſet.* Nam campanaria, quae ipſa quoque adminiſtranda ſunt, non attingunt iſtius inſcriptionis aetatem, ut Muratorius vidit: de arenariis autem, quae hic intelligi poſſe non abnuit, mihi ne ſuſpicio quidem in mentem veniat. Quis enim arenario horologio ſervum, ut ibi eſt, conſtituat, qui adminiſtret? *Adminiſtrationis* autem in aquario meminit etiam Vitruvius.

Illud etiam poteſt quaeri, an horologia illa aquaria recte *clepſydrae* dicantur. Non unus recentiorum ita appel-

(*) T. I. p. 472. n. 5.

appellavit. Sed in eo reprehenduntur cum ab aliis, tum a Salmaſio ad Solinum, atque inde ab Harduino ad Plinium. Sane, ſi quis putet, apud veteres ſolaria vulgo clepſydras dici, erret manifeſte. Neque enim ad horas indicandas, ſed ad tempus, quod oratoribus ad dicendum daretur, metiendum vulgo clepſydrae adhibebantur. Ceterum non video, quare aquarium horologium ex re non potuerit a veteribus, aut poſſit a nobis, clepſydra dici. Eſt enim clepſydra ſine dubio menſura temporis ex aqua. Jam Caeſar (*) *menſuras ex aqua* commemorat, quibus in inſula Mona cognoverit, breviores ibi eſſe noctes, quam in continente. Etſi autem non neceſſe eſt, hic horologia intelligi, propterea, quod Caeſar cupiens ſcire, an noctes in illa inſula noctibus in continente pares eſſent: potuit quascunque menſuras adhibere, quae proprie clepſydrae eſſent: tamen, quoniam nulla probabilis ratio ſubeſt, quare Caeſar id ſcire voluerit, qui tantum mirabile quid, de illius inſulae noctibus ſub brumam, tradi ſciebat, propius fidem eſt, horologia aquaria indicari, quibus Caeſar ad horas noctis, cum aliis forte de cauſſis, tum propter vigilias definiendas in exercitu utebatur. Quod ſi horologia ex aqua *menſurae ex aqua* dicuntur, quid impedit, quo minus etiam κλεψύδραι e re vocentur? inprimis cum auctorem, etiam ex antiquis, idoneum habeamus Vegetium: (**) *In quatuor partes ad clepſydram ſunt diviſae vigiliae, ut non amplius, quam tribus horis nocturnis, neceſſe ſit vigilare.* Qui locus planiſſime docet, etiam Caeſaris menſuras ex aqua horologia eſſe, quas interpres Graecus rectius κλεψύδρας, quam ὑδατομέτρα, vocaſſet. Atque ego adeo non dubitem, *automatarium clepſydrarium* (***), apud eundem Muratorium, ſolariorum ex aqua artificem interpretari. Nam, clepſydrarum in judiciis adhibendarum artifices proprios fuiſſe, haud propinquum vero videtur.

Jam quod ad fabricam hujus generis ſolariorum attinet, eam ita breviter explicare, ut inſtituti noſtri ratio poſtulat, ſine obſcuritate, non licet: neque omnium eadem

(*) B. G. V. 13. (**) III. 8. (***) T. II. p. 935. 8.

eadem videtur omnibus temporibus fuiſſe. Vitruviana quidem deſcriptio, etſi haud brevis, tamen interpretem deſiderat, ſi legatur ab eo, qui non ſit rerum harum & Latinitatis interioris uſu tritus. Itaque lectores ejus fabricae cognoſcendae cupidos ad Vitruvium ipſum ejusque interpretes, Rivium & Perraltium, tum recentiores, qui de clepſydris egerunt, ſcriptores amandamus.

Satis dictum eſt de eo genere ſolariorum, quod ad horas indicandas comparatum fuit. Reſtat, ut de altero dicamus, quod de loco, ſoli expoſito eſt appellatum: in quo erimus breviores. Ejus autem duo genera fuerunt, ſaepe a recentioribus confuſa. Primum & antiquiſſimum genus nihil aliud erat, quam tectum aedium planum, in quo inambulare licebat: Graeci δῶμα vocant. Iſidorus (*) ſolarium vocat locum eum, in quo David Bathſeben vidit, hoc eſt, tectum palatii regii. Apud Plautum (**) porro, in Milite glorioſo, ſolarium vocatur tale tectum. Ex quo fit, ut apud Orientis populos, apud Graecos & Romanos, omnes olim aedes ſolaria habuerint. Satis enim conſtat, commune hoc omnibus his populis fuiſſe, ut privatarum aedium tecta plana eſſent, faſtigata autem tecta tantum in templis ponerentur, aut eorum aedibus, quibus aliquid divini honoris impertiendum videretur: unde ille, apud Graecum Comicum, in felicitate vitae coeleſtis etiam hoc ponit, quod omnium aedes faſtigium ſint habiturae.

Alterum ſolarii genus etiam *Maenianum* vocatur, ſive a Maenio quodam, ut antiquis Grammaticis placet, qui, cum domum prope forum venderet baſilicam ibi aedificaturis, in lege venditionis columnam recepit, in qua projiceret tectum, unde ipſe cum ſuis ſpectaret gladiatores, qui in foro ederentur: ſive, ut Salmaſius contendit, a moenibus, hoc eſt, columellis, quarum lorica circumdaretur ſolarium, ne quis delabi poſſet. Quod ſi vera ſunt, quae de cauſſa aedificati primum ſolarii hujusmodi veteres tradunt, ſpectandi voluptas ea ſolaria reperit, poſt utilitas apricandi comprobavit, denique ſpecies & opinio pulcritudinis ornatusque frequentavit (***). Itaque *porticibus*,

ſo-

(*) XV. 3. (**) II. 3. 69. (***) Iſid. l. c.

foribusque aedium adjuncta, item diaetis & cubiculis cum aedium, quae habitarentur, tum monimentorum: ut ex inſcriptionibus (*) antiquis diſcimus, in quibus haud rara ſolarii in ſepulcris mentio. Suetonius in Neronis ſextodecimo: *Excogitavit, ut ante inſulas ad domos porticus eſſent, de quarum ſolariis incendia arcerentur.* De hujusmodi ſolario intelligendus ejusdem locum in Claudio (**), ubi Claudius dicitur tempore inſidiarum, quae Cajo fierent, receſſiſſe in diaetam, cui nomen Hermaeum, poſt autem rumore caedis exterritum *prorepſiſſe ad ſolarium proximum, interque praetenta foribus vela ſe abdidiſſe.* Atque ego non ignoro, viros doctos fuiſſe, qui e veſtigiis codicum ſcriptorum, qui *ſcolarium* praeferunt, legerent *ſcalarium*, valde probante Burmanno, Viro longe doctiſſimo, eamque ſententiam non parum juvari a Dione Caſſio & Joſepho, quorum alter (***) Claudium latuiſſe tradit κατά τι προσβατὸν ὀλίγαις βαθμίσι χωρίον, *in loco, ad quem paucis gradibus adſcenderetur:* alter autem (****) ἐν γωνίᾳ τινὶ σκοτεινῇ, *in angulo quodam obſcuro.* Sed non unum tamen obſtat, quo me fateor impediri, quo minus eam ſententiam probare poſſim. Nam primo, Claudius timore receſſerat in diaetam, non, opinor, in prima parte atque aditu palatii, ſed remotiorem. Audita caede, cum augeretur timor, magis latere cupiens, confert ſe in locum, ubi minus quaeratur, aut animadvertatur. Hoc intelligere de ſcalaribus non poſſum. Quomodo enim quis in ſcalis, aut prope ſcalarum gradus, per quos itur, ſe putet latere poſſe? Porro, abdidit ſe inter vela foribus praetenta. Hoc quomodo, ſi *ſcalarium* legamus, commode interpretabimur? Neque enim vela foribus, qua ſcalaribus obverſae ſunt, ſed in cubiculum verſus, praetenduntur, ut intelligi poteſt ex iis, quae de velis januarum Lipſius (*****) congeſſit, compilatus a Sagittario, in Commentario de Veterum Januis. Scalare autem ipſum quas fores habeat, niſi forte in aditu, intra quarum vela nemo ſe occultet? Jam illud quis non

(*) Gorius ad Donii Inſcr. p. 393. Mur. Inſcr. T. III. p. 1337. (**) c. 11. (***) Ant. XIX. 3. (****) LX. init. (*****) Ad Tac. A. XIII. 4.

non videt, *prorependi* verbum aptius eſſe, ſi ad ſolarium Claudius proceſſit, quam ſi ad ſcalaria in interiora domus receſſit? Denique ipſa verbi reponendi forma ſuſpecta eſſe poteſt. Veteres enim inſcriptiones in ſingulari numero ſemper *ſcalare* habent. Solum Gloſſarium Labbaei *ſcalarium* praefert, atque id ipſum forte errore auctoris, qui pluralem, *ſcalaria*, a ſingulari, *ſcalarium*, duci putabat, uti quidam pro ſingulari, *ſcalarium*, laudant Vitruvium (*), apud quem tamen ille numerus non reperitur. Et hujus tamen Gloſſarii auctoritatem ita amplectitur Lexicon Fabri, ut hanc unam formam, relicta rectiori, ponat. Nam infimae aetatis ſcriptores (**), qui *ſcalarium* habent, nihil moramur. Neque argumento, quod e Joſepho & Dione arceſſitur, non ſatis, ut opinor, facere poſſumus. Nam quod Dio eum in obſcuro angulo ſtetiſſe dicit, nihil impedit, quo minus in aditu ſolarii, alicui cubiculo adjuncti, ſe abdiderit. Lampridius (***) quidem etiam Elagabalum prodit *ſubito militum ſtrepitu exterritum in angulum ſe condidiſſe, objectuque veli cubicularis, quod in introitu cubiculi erat, ſe texiſſe.* In quem, quaeſo, angulum? nempe ejuſdem cubiculi, in quo erat, ut contextus orationis docet. Neque illi pauci Joſephi gradus alieni ſunt a ſolarii aditu, ad quod per eos adſcendi potuit.

(*) V. 6. (**) Cangius in Gloſſ. (***) c. 14.

DE

DE

PRIVATA ROMANORU DISCIPLINA.

Cum univerſa reſpublica Romana ſapient & ad imperium orbis terrarum par dum obtinendumque una omnium c tatum, quarum quidem memoria ext aptiſſime, auctore Polybio (*), jud idoneo inprimis, fuerit conſtituta: t vero nihil praeclarius & in ſuo genere perfectius 1 vetere diſciplina Romana, non modo publica illa, militari, & civili, quam *reip. & civitatis diſciplin* vocat Cicero (**), ſed etiam privata & domeſti qua domus civis cujusque honeſtioris & familia rege tur. Nam utramque reperimus adeo ſapienter fu temperatam, ut nihil, non dicam exquiſitius, ſed p invenire ſummi Philoſophi potuerint, cum ſalute tem & utilitate, cum ſingulorum, tum univerſoru ita conjunctam, ut ſapientiſſimi viri, cum ea rem blicam potentiamque Romanam & ſtetiſſe & cecidi dicant. Cicero (***) quidem non uno loco, de rat diſciplinae veteris perturbationem, in quam ma aetas ſua incidiſſet; Livius (****) autem, labe paullatim diſciplina, privata maxime, mores quo lapſos eſſe, atque ita praecipites iſſe, queritur, ut nec vitia ferre homines, nec remedia pati poſſint. quo illi plurimum viderunt. Eſt enim diſciplina v

(*) Exc. Lib. VI. (**) de Orat. I. 34. in Verr. III. (***) v. c. de Orat. I. 1. (****) L. I. praef.

virtutis magiſtra, & felicitatis humanae publicae privataeque parens. Nam leges quidem, quantumvis ſapienter ſcriptae, vim habere ad felicitatem, ſive nullam, ſive perexiguam, poſſunt, niſi mores (*) hominum idonea diſciplina & contineantur & fingantur: neque alia fortaſſe de causſa tam parum legibus divinis humanisque obedientes cives habemus, quam, quod publica quidem diſciplina prope nulla eſt, privata autem plerorumque, ſi quidem eſt aliqua, perverſa tamen, & a ratione vehementer abhorrens reperitur. Neque id mirum cuiquam poteſt videri, quando ea neque publicis legibus, ut apud populos cultiores quondam mos fuit, ſancita eſt, neque a prudentibus viris conſtituta, ſed cujusque privata, quamvis ſtulti & ſtupidi, hominis arbitrio & conſilio, ſive libidini potius, permittitur.

Sed in diſciplinae verbo intelligendo, ma nam in animis noſtrorum hominum video inſcitiam verſari. Nam, primo, diſciplinam vulgo putant eſſe propriam annis puerilibus: deinde permultis, diſciplinae, inprimis puerilis & ſcholaſticae, nomen audientibus, occurrunt ſtatim vis, & ſervilis metus, verbera inprimis: ſive pertinaciae ſuae, non niſi talibus rebus coërcendae, conſcientia, ſive, quod ſuos ſibi praeceptores, parentesque aditum ad rationem animumque per tergum vicinasque partes quaeſiſſe recordantur: ad minimum reprehenſiones iracundae & clamoſae: quique his in ſenſus teneros graſſetur, eum diſciplina recta & ſevera continere illam aetatem putant. Romanae autem diſciplinae conditores, primo, illiberalitatem omnem ſervilesque ſordes ab ea removerunt: deinde ſapienter, poſt Graecos, Solonem, Lycurgum, aliosque viderunt, eam non pueritiae anguſtiis coërceri, ſed per omnes aetates vagari debere, neque puerorum tantum aetatem fingere, ſed etiam virorum mores regere, & cupiditates, haud paullo vehementiores, & publice privatimque nocentiores, continere. Eſt enim diſciplina, ut recte docet ſummus ſapientiae magiſter, Plato, duobus primis de Legibus libris, nihil aliud, niſi ratio quaedam, animos ad virtutis amorem

(*) Horat. Carm. III. 24, 25. IV. 5, 22.

morem vitiique odium adducens, &, cum hoc ipſ
tum adſuetudine quadam liberali, in officio homin
continens. Quis autem, cujusvis aetatis, ita pot
eſſe impudens, ut hac ſibi opus eſſe neget, aut q
ita ſtultus, ac paene dicam, amens, ut virtutis an
rem ac ſtudium, officiique conſtantem obſervation
(nam illa temporaria, quae cum verberibus deſin
nihil opus eſt) vi, metu, ac verberibus effici po
putet?

Sed illa ratio diverſa eſt a legibus, a quibus propr
ut docet etiam Paullus (*), ſcientia quidem offic
non autem amor virtutis, officiique ſtudium & cu
venit. Continetur igitur diſciplina duabus maxime
bus: primum, opinionibus ad illud, quod diximu
conſilium accommodatis, animo paullatim inſtillanc
deinde, inſtitutis quibusdam ſolerter excogitatis, p
tim ad illas ipſas opiniones, ſparſas jam in animis,
lendas & confirmandas, partim ad conſuetudinem
ficii libenter & conſtanter faciendi inducendam. (
terum illa ipſa diſciplina induere legum naturam
teſt, ejus inſtitutis legum more modoque ſancienc
ſi quidem hanc naturam habent, ut vim legum &
ceſſitatem capiant: id quod fieri ſolet tum, cum
ne inſtituta incipiunt negligi liberius & crebrius, qu
ſalus publica ferre poſſit, aut, ſi quis bene a ſe
ſtitutorum diuturnitati ac perpetuitati conſulere cu
Ex hoc genere illud eſt, quod Lycurgus diſciplina
a ſe primum excogitatam, ſtatim legibus adſtrinx
ut ait Cicero (**): illius autem multa exempla ſ
peditat Romana diſciplina, inprimis publica. Inſt
tum fuit quondam Romae, ut homines diſerti &
rum forenſium periti causſas agerent civium gratis,
que aliud praemium exſpectarent, quam induſt
laudem, ac deinde honores publicos, in quibus i
nulli reditus, nulla quaeſtus ſpes oſtenderetur,
ſola dignitas, & de republica bene merendi facu
daretur. Id inſtitutum accipiebat vim ſuam & r
gionem a magnifica opinione, quam prope cum la
materno ſugebant pueri Romani, ut nihil ſe dignius
hilque optabilius putarent, quam civibus publice

(*) Rom. VII. 7. ſeqq. (**) Brut. 10.

vatimque, etiam cum incommodo ſuo, prodeſſe, in eoque nullum alium, niſi laudis & gloriae, fructum ſpectandum eſſe: habebatque ea res has opportunitates, primo, ut, quod hodie jurandum eſt cauſſarum agendarum jus petentibus, id ſua ſponte facerent, ne causſas malas & improbas reciperent: cum nemo propterea laborare vellet, ut impudens ac rei turpis defenſor videretur: deinde, ut hoc majores gratias inirent, plurimosque conſtantes amicos ſibi pararent, quod eſt haud paullo majus mercede qualibet lucrum. Sed cum paullatim apud nonnullos illius opinionis vis exoleſcere, & pecuniam malle quidam, quam laudem, coepiſſent, exortus eſt Cincius, qui huic tam ſalubri inſtituto, quod nullo niſi honeſtatis vinculo, imbelli utique apud avidas pecuniae animas, teneretur, majori neceſſitate adſtringeret, legeque lata ſanciret, ne cui ob causſam orandam munus capere liceret. Illud autem facile intelligitur, hanc neceſſitatem non cadere in omnes diſciplinae partes. Nam ea, quae ineſt in honeſtis ac liberalibus ſententiis, nullo modo legum vinculis adſtringi poteſt. Quod ſecus eſt in inſtitutis iis, quae genere quodam actionum corporearum continentur: quae ſunt omnes ejusmodi, ut vi humana vel extorqueri poſſint ab invitis, vel, quo minus ſuſcipiantur, impediri. Ita fit, ut, quamvis ſublata opinione honeſta, inſtitutum tamen maneat, ſed, virtutis nomine ac laude detracta.

His de diſciplina univerſa dictis, veniamus eo, quo iter conſtitutum habebamus, ad diſciplinam Romanam veterem, non publicam univerſae civitatis, ſed privatam ſingulorum civium honeſtiorum: quam dico ita fuiſſe inſtitutam, ut nihil perfectius ſummi Philoſophi excogitare potuiſſent, ne ille ipſe quidem Xenocrates, Platonicus, qui inprimis videtur, qualis bona diſciplina eſſe debeat, intellexiſſe: quippe interrogatus, quid maxime, profiteretur, ſe diſcipulis ſuis poſſe praeſtare: ut libenter, inquit, & ſua ſponte faciant, quod alii legibus coacti & inviti faciunt. Uſa enim eſt inſtitutis ejusmodi, quae & ſententiis generoſis, honeſtis, & cum ſalute & utilitate publica privataque conjunctis, niterentur, & naturalem honeſti ſenſum acuerent & corroborarent, denique homines

conſuetudine quadam liberali ad virtutem conform
rent. Quod ſi quid ei labis adſperſum alicubi fui
reperiamus, id totum vel temporum rationibus, v
humanae imbecillitati, condonabimus, meminerim
que, eam non a Deo, ſed hominibus, iisque expe
bus divinae lucis, conditam & conſtitutam fuiſſe.

Jam primum, quoniam nobis eſt a natura innat
quidam naturae divinae ſenſus, cujus vi ac num
res humanae regantur, reverentiaque ejus & cultu m
xime reip. ſalus continetur, ut vidit etiam Polybius (*
hoc inprimis inſitum civibus, a prima aetate, pe
tusque infixum voluerunt diſciplinae Romanae auc
res (**), ut ita de Deorum natura ſentirent, atq
hoc publice privatimque inſtituerunt, ut nihil, nec
in publicis, neque in privatis rebus, ſine Diis ageret
ſed tum demum, cum ii eſſent aut precibus ſacrific
que placati, aut auſpiciis aliisve modis conſulti. (***
Quod cum illi fecerint in Diis falſis, & opinionis
rore confictis, quid eos facturos fuiſſe putemus, ſi
divinae ſapientiae lux affulſiſſet? Et quia religion
maxime attingit, & fidem publicam privatamque, r
longe ſaluberrimam, continet jusjurandum, eas
hoc ſententias ſpargendas in animis hominum, ita
lud religioſe ſervandum, cenſuerunt (****), ut nu
prope res incidere poſſet, qua jurejurando liberar
tur: idque inſtitutum tam diu manſit inviolatum, c
nec nova Graecorum ſapientia in urbem delata, q
bus de cauſſis jurejurando homines exſolverentur, c
cendo, perſuaſit, ut ſibi homines jusjurandum m
lent interpretando argutandoque aptum facere, qua
cupiditatibus coërcendis, ejus ſanctitatem inviolat
conſervare.

Proximum locum a re divina tenet publica, nec
ſecundum pietatem in Deum, excellentius quidqu
eſt, & magno animo dignius, quam publicae ſaluti u
litatique omnia privata commoda poſthabere. In q
docere ſupervacuum eſt, quam magnifice, per mu
ſecula, & ſenſerint Romani, & fecerint. Pleni en
ſunt Romanorum Graecorumque, de rebus Roma
ſc

(*) VI. 54. (**) Polyb. l. c. Cic. Leg. II. 7.
(***) Cic. de Divin. I. 16. Plin. Pan. 1.
(****) Polyb. VI. 54. Liv. III. 20. &c.

ſcribentium, libri & dictis & factis, ab illo generoſo animo profectis. Sed ea res, a quibus cauſſis ducta ſit, quaeri poteſt. Atque nos non ii ſumus, qui omnino negemus, quibus temporibus maxime opibus floreret Romanum imperium, iis magnam vim habuiſſe illud, quod in ea ſe civitate vivere homines viderent, quae eſſet omnium beatiſſima, cujusque cives commodis longe majoribus fruerentur, quam ceterarum, quas vel vidiſſent, vel audiendo legendove cognoviſſent. Sed idem animus, idemque, atque adeo longe majus, publicae rei ſtudium reperitur temporibus ſuperioribus, neque illud, cum potentia Romana, auctum magis, quam diminutum videas. Et quanquam legibus, cum civilibus, tum iis, quibus militaris diſciplina deſcripta erat, permagna vis fuit ad rem pace belloque praeclare gerendam: tamen inſitum illud ſtudium, atque incredibilis ille ardor periculorum pro patria adeundorum, legum minis non potuit incendi. Unde fit, ut totum hoc natum fuerit a diſciplina quadam communi, quae illum, quem diximus, ſenſum omni modo excitaret & confirmaret.

Illud quoque inſigne diſciplinae Romanae inſtitutum fuit, quod hac opinione animi a tenera aetate imbuti ſunt, ut Romam caput rerum fore ſperarent (*), itaque in fatis eſſe crederent, ut, ſi ſibi non deeſſent cives ipſi, imperium orbis terrarum aliquando obtinerent. Ejus perſuaſionis autem quae vis fuerit, Polybius non uno loco docet. Nam, cum ab hac opinione ac ſpe nata eſſet magnitudo animi, & inſatiabilis quaedam vincendi cupiditas, &, cum hac ipſa, fortitudo, cum ad hanc opinionem accommodarent reip. deſcriptionem, ad eam omnia referrent conſilia, eam denique in rebus gerendis ſpectarent maxime, tandem ad effectum operis tanti pervenerunt. Atque, ut hoc magis appareat, ea opinio, idque conſilium, quanti fuerit, inſuper confirmat, ſi qui populus potens exiſtat poſthac, qui idem ſibi proponat, idque propoſitum totis viribus, per aliquot ſecula urgeat, ei tandem ſimilem eventum non defuturum.

Multae aliae ſunt praeclarae opiniones, quibus mature

(*) Polyb. I. 3, 63. Ovid. Faſt. IV. 831.

ture audiendis, animoque penitus recipiendis, ad virtutes permagnas, inprimis in bello utiles, Romani ſunt conformati: quarum permultas egregie expreſſit Virgilius, cum in univerſa Aeneide, tum in illo futuri populi Romani, apud inferos, recenſu: Non cedere malis, ſed contra audentiorem ire, atque ab ipſis calamitatibus opes animosque ſumere (*). Quicquid propoſueris, id ad extremum tenere, nec ab eo ullo malo abſtrahi (**): Victis & dedentibus ſe parcere, ſuperbos & victores debellare (***): Non inſidiis vincere, nec ſcelere, ſed vi aperta, & fortitudine, fortitudinisque laudem bello petere, non calliditatis (****): Inimicitias privatas publicis utilitatibus condonare (*****): & aliae his ſimiles, magnificae omnes, & dignae populo orbis terrarum domino futuro, in publicumque longe utiliſſimae.

Atque etiam inſtitutis quibusdam & incitabant & adjuvabant magnos ſenſus, gloriaeque cupiditatem in quibus Polybius (******) praedicat inprimis laudationes in funeribus illuſtrium virorum fieri ſolitas, & pompas imaginum veſtitarum & ornatarum inſignibus honorum, quos vivi geſſiſſent, conſidentiumque in ſellis curulibus, in foro, prope roſtra, velut ad audiendam laudationem ejus, qui a ſe ortus eſſet: quo ſpectaculo, ille ait, nullum temere pulcrius & efficacius juvenis queat intueri. Ipſae profecto imagines majorum, cum titulis honorum rerumque geſtarum, nulla alia de cauſſa in atriis poſitae, quam, ut quotidiano adſpectu parentes pariter ac liberi ad gloriam rerumque gerendarum ſtudium incenderentur. Cujus rei cauſſa etiam hoc inſtitutum, antiquis reipublicae, hoc eſt, bonis, ut Cicero vocat, temporibus, fuit, ut in conviviis, non laſcivae cantilenae ſonarent, non de nugis, ut hodie fere fit, garriretur, ſed laudes ac res geſtae illuſtrium virorum canerentur. Adde veſtitum ingenuorum puerorum, ſimilem ei, quo ſummi magiſtratus & ſacerdotes utebantur: cujus uſu & ad-

(*) Polyb. Exc. Leg. 69. cf. Liv. XLII. 63.
(**) Polyb. I. 37. 55. 59. &c.
(***) Polyb. Exc. L. X. 15.
(****) Polyb. Exc. L. XIII. init.
(*****) Cic. Off. I. 12. Cic. orat. in Sen. P. R. c. 10.
(******) VI. 51.

adſpectu quotidiano admonerentur, quid ſpectandum ſibi, quo contendendum eſſet. Adde deductionem ſolemnem in forum, tirocinii die, ad togam virilem a praetore accipiendam, deducentibus patre, cognatis, amicis: quorum vocibus incenſus puer digna viro, digna togato, h. e. cive Romano, cogitare, agere inciperet, & alia his ſimilia. Satis de opinionibus & inſtitutis iis, in quibus ſalus & utilitas publica maxime ſpectaretur. Ad partem diſciplinae eam veniamus, quae vitam privatam proxime attigit, ſed unde etiam ad remp. plurimum utilitatis redundavit.

In qua prima ratio habita eſt educationis univerſae, eaque tam diligens, ut parentibus omnibus ad imitandum debeat eſſe propoſita, ab eaque diſciplina & auctoritas educandorum liberorum petenda videatur. Cratetis hoc fuit optatum, ut aliquis ſibi daretur locus celſiſſimus in urbe Athenienſi, unde omnes ſe audire poſſent clamantem: quid agitis, homines, qui ſummo ſtudio rem divitiasque augetis, filios vero, quibus eas relinquetis, parum curatis? quod, vere Plutarchus ait, eſſe nihil aliud, quam de calceo ſollicitum eſſe, pedem non curare. Id, ſi iisdem temporibus Romam veniſſet, ſupervacaneum fuiſſet optare. Nam tum nihil magis, quam liberorum inſtitutio moresque, a parentibus curabatur. Ejus rei illuſtre documentum habemus in Auguſto Caeſare (*), qui, ut in multis aliis rebus, ita & in hoc genere plurima e vetere diſciplina uſurpavit: *filias & neptes ita inſtituit, ut etiam lanificio adſuefaceret, vetaretque loqui aut agere quidquam, niſi propalam, & quod in diurnos commentarios referretur —. Nepotes & literas, & notare* (ſic enim arbitror cum Lipſio legendum) *aliaque rudimenta per ſe plerumque docuit —. Neque coenavit una, niſi ut in imo lecto* (id eſt, ad fulcra lectorum) *adſiderent:* quem veterem morem fuiſſe idem Suetonius (**) tradit: *neque iter fecit, niſi ut vehiculo anteirent, aut circa adequitarent.* Haec ergo Caeſar Auguſtus, orbis probe terrarum dominus, in vita, quando ipſe per ſe imperabat, haud dubie negotioſiſſima. Atqui iſta tantum ſpeciminis loco prolata ſunt a Suetonio. Qualem igitur

(*) Sueton. Aug. 64. (**) Claud. 32.

igitur in majoribus rebus curam adhibuiſſe putemus? aut qualem veterum illorum Romanorum in eo genere fuiſſe diligentiam credamus, quibus ipſa tempora & locus majorem ejus facultatem dabant? Et jam non pudebit noſtros parentes, privatos homines, qui aut ſibi tempus deeſſe mentiuntur, quo minus liberos curare poſſint, aut iſtam primae aetatis curam indignam eſſe ſuis perſonis putant, aut non ſatis patientiae habent, ad liberorum imbecillitatem, quae ferenda utique eſt in iſta aetate, tolerandam? Eſt ſane, ſi quidquam aliud, mea quidem ſententia, hoc maxime mirabile, eos, qui, in negotiis ceteris obeundis, neque ſtudium ſuum deſiderari neque diligentiam curamque ſinant, & ſumma patientia ſuſtineant laborum & negotiorum omnium moleſtias, ſive boni publici, quod honeſtum eſt, ſive quaeſtus causſa, quod ferendum, eos igitur impatientiſſimos eſſe, ſi quid agant cum liberis, negligentiſſimosque in eorum ingeniis, animis, vita, profectibus inſpiciendis, cum nullum majus munus praeſtare reipublicae, quam bonum & utilem civem, nulla in re majorem quaeſtum facere, quam liberis ad virtutem & ſapientiam conformandis, poſſimus. Sed querelae iſtae, quanquam nemini magis condonandae, quam his, quibus, quod parentum negligentia intrivit, omne propemodum exedendum eſt, certe primis deguſtandum, tamen ab hoc genere ſcriptionis abſint. Ad Romanos redeamus: qui quantam tenerae aetatis curam olim habuerint, & quomodo ad virtutem adduxerint, a vitiisque avocarint liberos, etiam Cornelia Gracchorum mater, & Horatianus (*) ille pater docet, qui *traditum ab antiquis morem* vocat, filiorum vitam famamque tueri incolumem, dum cuſtodis egeant, qui filium Romam duxit docendum artes, *quas doceat quivis eques, atque ſenator ſemet prognatos*, eidemque cuſtos circum omnes doctores adfuit. Nempe parentum veluti manibus omnia melius provenire exiſtimabant, quia & melius curarentur. Neque profecto humile quid aut ſordidum feciſſe putandi, verbi causſa, Claudiorum, Scipionum, Fabiorum, ſimiliumque virorum patres, ſi hos vel in gremio ſuo ſedentes elementa lite-

(*) Sermon. I. 4.

literarum (*) numeroſve docuerunt: quod nec Ariſtoteli, ſummo Philoſopho, humile viſum eſt facere in Alexandro puero: nedum ut iis indignum, & non potius honeſtum ac glorioſum, judicetur, filios ad virtutem dictis inſtitutisque formaſſe.

Jam virtutum privatarum praecipuae fere ſunt hae: patientia in labore, juſtitia, cum omnis, tum maxime ea, quae in re familiari vel quaerenda, vel augenda, cernitur, parſimonia, frugalitas & temperantia. Infinitum autem foret, de ſingulis dicere, quid diſciplina Romana vetus ſanxerit, ut iis homines adſuefierent: nec eſt obſcurum de plurimis, inprimis poſt ea, quae ſupra diximus. Quare, ne nimis longi ſimus, maneamus in uno genere, quod multa alia in ſe continet, rei familiaris quaerendae, tuendae, fruendaeque ratione: in qua vel maxime bona diſciplina indigere hominum animi videntur. Neque enim ulla facile res eſt, e qua plura vitia & ſcelera naſcantur, niſi omni modo diſciplinae cujusdam ſeverae vi ac neceſſitate vel coërceatur vel dirigatur. Etenim in quaerenda pecunia ſaepe non modo turpitudo quaedam & ſordes cernuntur, ſed etiam exiſtunt fraudes & injuriae innumerabiles: unde naſcuntur lites, inimicitiae, etiam inter eos, inter quos minime debebant. In tuenda autem re & utenda facile in utramque partem a parſimonia, vel ad avaritiam & tenacitatem, vel ad profuſionem declinatur. Quod cum viderent Romani, ſumma diligentia ei rei proſpicere ac conſulere inſtituerunt, caveruntque, ne facile vel injuriae, pecuniae cauſſa, vel avaritia, aut profuſio orirentur.

Relictis igitur omnibus, hac opinione animos imbuendos putarunt, ne paupertas turpis videretur, aut hominum dignitas rei familiaris magnitudine judicaretur, neve cuiquam honoris aliquid vel divitiis adderetur, vel paupertate detraheretur. Itaque non fuit turpe neque Horatio (**), urbis liberatori, non reliquiſſe, unde ſepeliretur, neque Menenio Agrippae (***), plebis Romanae in urbem reductori & concordiae publicae inſtauratori: Quintius autem Cincinna-

(*) Quintil. I. 1. (**) Liv. II. 16. (***) Ibid. 33.

cinnatus (*) non propterea indignus ſummo imperio viſus eſt, quod nonniſi quatuor jugerum agrum ſuis ipſe manibus coleret. Unde Livius (**) vere dicit, nullam unquam remp. fuiſſe, in quam tam ſera avaritia immigraverit, nec ubi tantus ac tam diu paupertati honos fuerit: Admiratione igitur divitiarum excluſa, honeſtaeque paupertatis dignitate in animis hominum conſtituta, quid erat, quod homines ad injuriam in genere pecuniario faciendam alliceret? Ea autem opinio orta eſt ab inſita quadam animi magnitudine, quae libertatem potius, imperium in alias gentes, fortitudinis gloriam ſpectaret, confirmata autem parſimonia ſingulari.

Atque ut hoc magis conſtringeretur cupiditas pecuniae, ita inſtitutum eſt, ut perpauci quaerendae pecuniae modi honeſti putarentur, & nonniſi hi, in quibus virtus aliqua animi (***) eluceret: agricultura, in qua laboris patientia cerneretur, neque ulla fraus intercedere poſſet: bellum, quod fortibus rem daret, & parſimonia, quae a temperantia oriretur. Ceterae rationes omnes, in quibus, aut ſine labore quaeſtus veniret (****), ut foeneratio, aut quaeſtus magnus ac ſolus peteretur, ut mercatura, inprimis ea, quae voluptati magis & luxuriae, quam neceſſitati ſerviret, & opificia, partim non ſatis honeſta, partim turpia habita ſunt. Quid? quod etiam vitae genera omnia, quae ob quaeſtum magis, quam utilitatem publicam, exercerentur, parum honeſta, minimeque digna cive ingenuo, exiſtimata ſunt, libertiniſque relicta. Ita, ſcribae publici ceterique magiſtratuum miniſtri, argentarii, praecones, coactores, operae campeſtres, ſaltatores, aliique tales homines, partim parum honeſti, partim etiam contemti atque infames fuere, ut infinitis Ciceronis, Suetonii, aliorumque Romanorum ſcriptorum, locis demonſtrari poteſt.

Sed inprimis praeclara in hoc genere fuit inducta ab antiquiſſimis temporibus conſuetudo conficiendarum ab unoquoque patrefamilias tabularum, in quas omnia ex-

(*) Ibid. III. 26. (**) Praef. L. I. (***) Plut. in Numa. Plin. H. N. XVIII. 3. (****) Cic. Off. I. 42.

expenſa & accepta referrentur. Id inſtitutum ita ſanctum habitum fuiſſe intelligitur e Cicerone (*), ut, qui nullas tabulas conficeret, aut ſe conficere negaret, hoc ipſo ſuſpectus ac prope infamis eſſet, non modo, quod parum diligens paterfamilias videretur, ſed quod indicare exiſtimaretur, pecunias ſe turpibus nominibus vel accepiſſe vel expendiſſe. Quid? quod pecuniae extraordinariae, h. e. eae, quae non in acceptis ſcribuntur, infames fuere, & hominibus criminis loco objectae (**). Dicet aliquis: quam ergo vim hoc inſtitutum habuit, vel ad avaritiam, vel ad luxuriam comprimendam? Nempe hanc, quod ita abſterrebantur homines a pecunia vel contra leges accipienda, vel in turpem rem expendenda. Nam, ſi nihil aliud, certe liberorum, & omnino poſterorum, exiſtimationem timebant, ad quos iſtae tabulae neceſſario pervenirent. Maxime autem illud timebatur, ne forte ſubito aliquis causſae alicujus forenſis actor veniret, cum poteſtate a praetore accepta e legibus, id quod ſaepiſſime in cauſſis pecuniariis, in crimine repetundarum, factum eſt, qui anni cujuscunque tabulas inſpiciendas poſtularet, quod in iis ſe veſtigia ſuſpicaretur reperturum, per quae venire ad verum, crimenve, quo de ageretur, poſſet: qui, ſi quid repertum eſſet, quod ad cauſſam pertineret, obſignaret tabulas, in judiciumque deferret, ſaltem, ſi quid turpiter vel acceptum vel datum eſſet, videret, atque, ut fit, efferret. Quod ſi quis quid aliter in tabulas inferre vellet, quam vel accepiſſet, vel dediſſet, aliorum tabulis, qui dediſſent, aut accepiſſent, fraus poterat teneri. Quae ſunt omnia ejusmodi, ut hominem, non impudentiſſimum, valde a quaeſtu impenſaque turpi retinerent. Ceterum, etſi hoc tabularum conficiendarum ſervandarumque inſtitutum plurimum ad impenſas temperandas valebat: tamen & alia eodem conſilio excogitata & uſurpata ſunt. Primo, veſtitus ille ſimplex, tenuis, ejusdemque per tot ſecula formae ac generis, quantum frugalitatis habuit? Tum ſupellex reliqua quam tenuis quondam ac vilis fuit: cum etiam legibus cautum

(*) Verr. I. 23. (**) Cic. Verr. II. 70.

tum eſſet (*), ne quis aurea aut argentea vaſa, niſi religionis cauſſa, haberet? Quanta porro frugalitas ac ſobrietas in cibo ac potu, quanta quondam etiam in conviviis privatis? Videas in Auguſto Caeſare, veteris diſciplinae, etiam in hoc genere, retinentiſſimo, quem Suetonius (**) tradit ternis quaternisve ferculis, ubi lautiſſime, ſenis convivatum eſſe, interdiu autem famem ſitimque placaſſe pane aqua frigida perfuſo, pomo, lactuculae thyrſo, uva, & ſimilibus obviis tenuibusque cibis.

Sed in tanta frugalitate ac parſimonia tamen magnitudo animi retinebatur, & liberalitas & beneficentia ſervabatur, & ut laudabantur, qui ſumtum ſua cauſſa tenuem facerent, ſic in ſumma gloria erant, qui Deorum & religionis cauſſa, ſumtus magnos facerent, qui magnas pecunias in viis publicis, aquaeductibus, templis, ludis, ſimilibusque rebus, quibus reipublicae & poſteritati conſuleretur, conſumerent, ut hoc ipſo nomine digni putarentur, qui ad ſummos in republica honores eveherentur: quod juſta ſpes eſſet, eos in honoribus gerendis magno animo verſaturos, nihilque ad ſuam utilitatem, omnia ad publicam relaturos eſſe.

Sed deſinendum eſt, ne fines hujus ſcriptionis excedamus. Nam omnia perſequi juſti prope voluminis foret. Ceterum hoc ſpecimine edocti Latinarum literarum ſtudioſi intelligent, quorſum comparari debeat antiquitatis Romanae ſcientia, eamque eſſe quandam philoſophiam, popularem illam quidem minimeque ſubtilem, ceterum veram & ſubtili illa haud paullo efficaciorem.

(*) Liv. XXXIV. 1. (**) Aug. 74. 76.

DE

DE

ACTORUM S. P. Q. R. DIURNORUM ORIGINE.

AD SUETON. CAES. C. XX.

Praeclare ſane, & ad memoriam rerum geſtarum incorrupte conſervandam providenter, inſtituerunt veteres Romani, ut, quae, vel foris, vel domi, cum in ſenatu, tum in populo, in judiciis concionibusque, acta eſſent, ad poſteritatem publica fide transmitterentur: jam tum intelligentibus hominibus, quamvis rudibus literarum, ſolam eam certam fidem eſſe, quae publicis rerum geſtarum monimentis niteretur. Ex hoc genere fuerunt *Annales Maximi*, inde ab initiis prope civitatis Romanae inſtituti, & ea, quae *ſenatus populique diurna Acta* vocabantur. Ac de illis quidem idoneum auctorem Ciceronem (*) habemus: de his, cum alios hiſtoriae Auguſtae veteres ſcriptores, tum Suetonium inprimis, qui in rebus, tradentium diſſenſu ambiguis, ita Actorum S. P. Q. teſtimonio utitur, ut appareat, ſummam iis fidem ab eo habitam eſſe. Quo magis rem, neque inutilem, neque ingratam hiſtoriae antiquae ſtudioſis, me ſperavi facturum, ſi de Actorum Origine quaedam diſputarem, abhorrentia illa quidem ab ea, quae nunc vulgo

(*) Orat. II. 12.

vulgo probatur, opinione, ceterum idoneis, ut opinor, rationibus firmata. Eam in mentem me impulit quorundam diſciplinae noſtrae alumnorum conſilium, qui, publice declamando, facultatis in eo genere comparatae periculum facere inſtituerant. Nam cum ii argumenta dicendi e Suetonii Caeſaribus, interpretatione noſtra ſibi cognitis, ſumſiſſent, non alienum putavi, ſi ipſe quoque praefandi materiam inde peterem. Ne diu quaererem, cum quaerendi diu tempus non eſſet, arripui, quod evolventi librum initia Caeſaris (*) offerebant. Id erat de Actis, eorumque origine. *Caeſarem*, auctor eſt Suetonius, in primo Conſulatu, *primum inſtituiſſe, ut Acta Senatus & populi diurna conficerentur & publicarentur.* Hunc igitur locum, a quibusdam in ſuſpicionem vel corruptionis, vel erroris, adductum, vindicabimus, &, a Suetonio originem Actorum vere tradi, defendemus.

Ac primum quidem, magnam vim in ea re debet habere Suetonii auctoritas, in cujus virtutibus, multis illis profecto & permagnis, cenſetut cumprimis & diligentia in monimentis rerum geſtarum inveſtigandis excutiendisque, & in rebus poſteritatis memoriae tradendis fides: quas virtutes tanto quisque magis in eo agnoſcit, quo magis ingenium ad eas intelligendas notandasque expolivit. Cum autem eſſet Magiſter epiſtolarum apud Hadrianum Imperatorem, habuit ille haud dubie facultatem ſummam publicarum literarum inſpiciendarum, in quibus & Acta Senatus populique numerabantur. Quare nullo modo credibile eſt, eum vera illorum initia aut ignoraſſe, aut vere tradere noluiſſe. Neque ulla, ut opinor, dubitatio de ea re cuiquam eſſet commota, niſi, ſuperiori ſeculo, prolata eſſent fragmenta quaedam, ut putata ſunt, Actorum Senatus & populi, quorum alterum ad annum a condita urbe Roma DLXXXVI, alterum ad annum DCXCII pertinet, edita illa, cum ab aliis, tum a Dodwello, in Appendice Praelectionum Cambdenianarum, & multis notis illuſtrata (**). Priorem quidem partem, ad illum Suetonii locum, etiam Graevius exhibet, haud alio ſane conſilio, quam ut Suetonii

(*) c. 20. (**) p. 665. 691.

nii locum ſuſpectum redderet. Eſt ſane potentiſſimum, adverſus vel fidem, vel integritatem ſcriptorum, argumentum, quod a publicis rerum monimentis ducitur. Itaque, ſi fragmenta Actorum ad illos annos pertinentia habemus, non dubitari poteſt, quin aut a vero aberret Suetonius, cum eorum confectionem primum a Caeſare Conſule a. V. DCXCV. inſtitutam dicit, aut locus Suetonii aliqua corruptionis macula ſit inquinatus. Sed ſalva res eſt, neque, vel illis fragmentis, vel alio idoneo argumento, demonſtrari poteſt, Actorum aetatem Caeſaris primum conſulatum ſuperare: ſed contra multa in contrariam partem diſputari poſſunt, quibus intelligatur Suetonii fides & confirmetur.

Nam, primum, quod ad jactata illa Actorum fragmenta attinet, quae maxime Suetonio adverſantur, ea haud dubie ab impoſtore aliquo ſunt confícta. Ac mihi quidem fraudis ſuſpicio primum injecta eſt e loco Livii (*) de Aemilio Paullo. *Ab hac concione*, Livius ait, *Latinis, quae prid. Kal. April. fuerunt, in monte ſacrificio rite perpetrato, protinus inde & Conſul & Praetor Cn. Octavius in Macedoniam profecti ſunt. Traditum eſt memoriae, majore, quam ſolita, frequentia proſequentium conſulem celebratum.* In fragmentis autem ſic eſt: *Pridie Kal. April. Latinae celebratae, & ſacrificatum in monte Albano. Kal. April. Paullus Coſ. & Cn. Octavius Praetor paludati egreſſi, ingente atque inuſitata frequentia proſequente.* Comparare hoc fragmentum inſtitueram cum Livii loco, ad eundem annum pertinente, ut inde argumentum pro Livii fide ducerem, ſi Livius cum hoc monimento conſentiret. Sed dum Livii fidem ſtabilire cupio, ecce fragmenti fides incipit labare. Illud quidem unusquisque facile intelliget conferendo, aut Livium hinc ſua petiiſſe, aut haec a Livio ſumta: adeo, non modo res, ſed verba prope eadem reperiuntur. Sed mihi poſterius longe propius verum videbatur: quod dictio fragmenti aetati Livianae, quam belli Macedonici II. ſimilior eſt. SCtum quidem Poſtumianum de Bacchanalibus duodeviginti tantum annis ante annum V. DLXXXVI. factum eſt. Ab

(*) XLIV. 22.

Ab ejus autem dictione tantum abhorret dictio fragmenti, ut nullo modo, tam brevi tempore poſt, ſcriptum eſſe poſſit. Sed cum ſemel res in ſuſpicionem adducta eſſet, plura, paullatim, ut fit, animadverſa, quae rem ſuſpectiorem facerent, inprimis contorta illa Dodwelli ratio interpretandi utrumque fragmentum, & cum reliqua hiſtoria & antiquitate componendi: donec, e Dukeri (*), V. C. admonitu, Weſſelingii τοῦ πάνυ, in Probabilibus, diſputationem legi (**): in qua ille pluribus argumentis, aliis tamen, quam quo primum motus fueram, fidem utriusque fragmenti convellit. Ea diſputatio impulit labantem jam animum, praeſertim, cum eam etiam Dukero & Drakenborchio admodum probari viderem: neque quemquam fore arbitror, quin, ea lecta, in eandem ſententiam concedat, eaque fragmenta fraudis condemnet.

Quo loco ſubit interdum mirari, qui factum ſit, ut non animadverterint tot doctiſſimi & rerum Romanarum ſcientiſſimi viri, Pighius, Reineſius, Dodwellus, Graevius, aliique, ea fragmenta eſſe ab impoſtore, mediocriter illo quidem docto, ſed non ſatis, ad fraudem occultandam, acuto, conficta. Sed eam commendationem, ſive a natura, ſive errore hominum, habet, non modo ipſa antiquitas, ſed etiam antiquitatis opinio, ut ea facile fraudis indicia, quamvis eminentia, tegantur. Tum fraus, etſi multa ſolet ſui veſtigia praebere, tamen, neſcio quomodo, recens plerumque etiam acutiſſimum quemque fallit, neque majus ei, quam a tempore, periculum imminet. Non ergo mirabimur, Eccleſiae veteris Doctores interdum libros ſpurios pro genuinis probaſſe, ſi in tanta literarum luce, criticae profeſſionis homines, iique in eo genere excellentes, decepti ſunt, deſinantque hoc in reprehenſione Patrum potius, quam ingenii humani, ponere ſemidocti, atque hanc ipſam ob causſam impudentes, quidam vel Theologi vel Philoſophi, atque inde quoque causſam eorum contemnendorum ducere. Sed ad Acta redeamus, eorumque opinionem, qui ea Caeſaris primo Conſulatu ſuperiora faciunt.

Ego

(*) Ad Liv. XLIV. 18. (**) Cap. 19.

Ego quidem arbitror, ne rationem quidem ullam probabilem excogitari poſſe, quare Acta illis temporibus confecta ſint. Habebant enim tum alium rerum publice geſtarum memoriam conſervandi modum, uti auctor eſt Cicero, eo, quo diximus, loco. Nam Pontifex Maximus res omnes ſingulorum annorum domi foriſque geſtas mandabat literis, earumque cognoſcendarum populo poteſtatem dabat: iique Annales maximi ſunt appellati. Quod cum ita ſit, quorſum tandem etiam Acta Senatus & populi confecta? Nam, quod Dodwellus (*), primum a ſcribis publicis Acta illa conſcripta, & ex his deinde Annales maximos a Pontifice confectos, putat, id totum, ſine idonea veteris ſcriptoris auctoritate, ſumitur, quod Acta jam tum fuiſſe, fragmentis ſpuriis creditur. Pontificem rerum publice geſtarum adverſaria habuiſſe, e quibus Annales digereret, facile largiar: ſed ex Actis, publica auctoritate ſcriptis, Annales repetitos eſſe, id vero probari nullo modo poteſt. Hanc autem rationem conficiendorum annalium, usque ad P. Mucium Pontificem maximum, eſſe uſurpatam, idem ille Cicero tradit, hoc eſt, ad medium prope ſeculum ſeptimum. Fuit enim P. Mucius ille Pontifex Maximus aliquot annis demum poſt Conſulatum, qui in A. V. DCXXI incidit, ut demonſtrat Fr. Balduinus, in Jurisprudentia Mucia (**). Quare vero omiſſus ille mos tum fuerit, haud equidem ſatis ſcio: neque tamen rem nimis a vero abhorrentem dixerit, qui putet, tumultus inteſtinos, qui tum Romae fuerunt, tum forte etiam civilis belli, quod inter Marium & Sullam geſtum eſt, turbas huic inſtituto priſco finem attuliſſe. Illud prope certum arbitror, Caeſarem revocare in conſuetudinem voluiſſe rationem aliquam memoriae publicae retinendae, eamque ob cauſſam Actorum Senatus & populi confectionem publicationemque inſtituiſſe, ut ea Annalium Maximorum locum obtinerent.

Quod ſi jam tum, cum illud Annalium per Pontificem conficiendorum inſtitutum adhuc manebat, Acta Sena-

(*) p. 652. 654. (**) p. 63. ed. Hal.

Senatus & populi publice perſcripta ſunt: qui fit, ut nemo omnium veterum hiſtoricorum, ceterorumque ſcriptorum Romanorum, uſpiam eorum mentionem in rebus illorum temporum injiciat: ut nuſpiam Polybius, nuſpiam Livius, aut Dionyſius, aut Plutarchus, aliive, commemorent, cum ceterorum, inprimis publicorum, monimentorum auctoritate utantur? Quid? quod mihi Cicero (*) videtur, eo in loco, ubi uſitatum olim memoriae rerum geſtarum publice retinendae modum refert, non immemor futurus fuiſſe Actorum, ſi eorum aetas illa tempora attingeret. Quare, cum ſolos Annales maximos commemoret, magno argumento eſt, Acta Senatus & populi diurna, antiquioribus temporibus, conſcripta & publicata non fuiſſe.

Sed hic exoritur quaedam difficultas ex eo, quod etiam nulla Actorum illorum mentio in veteribus libris, medio inter Caeſaris conſulatum primum & Auguſti imperium tempore, reperitur. Nam poſt illam, quae fit in eo Suetonii loco, in quo vindicando diſputatio noſtra verſatur, prima, ſi temporis ordinem ſequare, quod ego quidem ſciam, occurrit apud eundem, in commemoratione inſtitutorum Auguſti (**): in quibus etiam hoc fuit, *ne Acta Senatus publicarentur*. Confecta tum eſſe Acta, ſatis indicant Suetonii verba. Neque enim revocatam Actorum conficiendorum conſuetudinem, ſed publicandi tantum morem omiſſum tradit. Atqui ego non dubitem adfirmare, Actorum confectionem aliquandiu, ante bellum quidem civile, intermiſſam fuiſſe. Movent me Ciceronis & Coelii epiſtolae duae, paullo ante bellum civile, aliquot annis poſt primum Caeſaris conſulatum, ſcriptae. Nam in altera Coelius ſcribit, ſe Ciceroni in Ciliciam miſiſſe Commentarios rerum urbanarum (***), ſuo juſſu, ſuaque impenſa, a privato homine confectos: in altera autem Cicero ſcriptorem illorum commentariorum reprehendit, quod res privatas minutasque, quas ſcire ſua nihil intereſſet, conſignarit. Quod ſi tum mos Actorum S. P. Q. conficien-

(*) Or. II. 12. (**) Aug. c. 35. (***) VIII. 1. II. 8.

ciendorum publicandorumque manebat: quid erat, quod non aut Coelius haec potius deſcripta Ciceroni mitteret, aut Cicero ea ſibi mitti vellet? quid? quod Cicero, cum, ne ea quidem ſe a Coelio ſcire velle, ſcribit, quae quotidie in republica fiant, cauſſam addit hanc, quod ea alii ſcribant, non, quod in Actis publicis reperiat? Itaque etiam illa *acta urbana*, quae ſe ſcribit habere (*), non publica putanda, ſed privatim, a ſervo, aut liberto, conſcripta, quod ipſe Dodwellus (**) fatetur. Mea quidem me conjectura eo ducit, ut putem, Caeſaris illi inſtituto factum eſſe id, quod aliorum popularium & optimatibus inviſorum hominum, non modo inſtitutis, ſed etiam legibus, ſaepe evenit, ut, magiſtratu ab ipſis depoſito, negligerentur odio auctorum (***). Satis autem conſtat, ea cum invidia optimatium Conſulatum geſtum eſſe a Caeſare, ut, ſtatim a Conſulatu depoſito, relatum ſit, de Actis Conſulatus ejus abolendis. Jam nihil quidem de ea re decretum eſt, per altercationes Senatorum: ceterum, quae in poteſtate Conſulum erant, ex quo genere Actorum confectio fuit, ea omitti poterant, vel ſine Senatus decreto. Neque mirandum eſt, ſi tum ejus inſtitutum ab infenſis Conſulibus, nihilque ab eo timentibus, neglectum eſt, cum etiam Dictatoris leges, per abſentiam ejus, a populo Caeſari obnoxio contemtae ſint, ut ipſe queritur apud Ciceronem (****). Poſtea vero quam ſecundum Conſul factus, Dictatorque adeo creatus fuit, priſtinum illud inſtitutum ſuum in uſum conſuetudinemque videtur revocaſſe, ab eoque tempore Actorum conficiendorum mos manſiſſe.

His lectis ac ponderatis, facile arbitror intellecturos omnes, non eſſe, quare aut Suetonii, in origine Actorum Senatus populique diurnorum, fidem, aut vulgatae lectionis integritatem in dubium vocemus, recteque teneri, quod a Suetonio accepimus, ut origo eorum Actorum in primo Caeſaris Conſulatu ponatur.

(*) ad Att. VI. 2. (**) App. p. 652.
(***) Suet. Caeſ. 23. (****) ad Att. XIII. 7.

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICAE IN LIBRUM FRANCICUM DE CAUSSIS LEGUM.

Qui aliquo numero eſſe cupiunt Phyſici, inprimisque ii, qui mathematica ſcientia inſtructi ad naturam rerum explicandam acceſſerunt, quos ipſa diſciplinae ſuae ratio & conſuetudo diligentiores & ἀκριβεστέρους reddit, maximam diligentiam adhibere ſolent in obſervationibus naturae, non modo, ut omnia magnitudine, numeris, locis, intervallisque, accurate ſint definita, ſed etiam, ne, inani ſpecie, aut alia qua fraude decepti, pro obſervatis arripiant, quae nusquam fuerint, atque fruſtra deinde, & cum irriſione peritiorum, aut ſuper cauſſis eorum diſputent, aut iis ad explicandas res obſcuras temere abutantur. Sed, quam rationem comparationemque cum doctrina naturali habent obſervationes phyſicorum, eandem cum Theologia, Juris, hiſtoriae & antiquitatis ſcientia habent verba ſacrorum librorum, legum, veterumque ſcriptorum. Nam, ut nihil in phyſicis probatur, niſi, quod a certis & diligenter inſtitutis, obſervationibus ducitur, cetera omnia,

omnia, quamvis ingenioſe excogitata, ſomniorum vanitati ſimiliora putantur, quam naturae veritati: ſic in his quoque diſciplinis repudianda ſunt omnia, quae non a verborum legitima accurataque interpretatione, & intelligentia, repetita ſunt, niſi humani ingenii figmenta, pro veritate divina, opiniones privatorum, pro decretis legislatorum, & fabulas, pro hiſtoria, amplecti velimus. Itaque conſentaneum erat, eos, qui rite in his doctrinis verſari vellent, imitari Phyſicorum diligentiam, & ſumma cura cavere, ne, aut librorum, parum accurate ſcriptorum editorumque, vitiis, aut verborum inſcitia, & prava interpretatione, decepti, traderent, ac defenderent, quae a ſcriptorum ſententia abhorrerent, & ſuper iis, eorumque causſis, fruſtra diſputarent. Sed maxima pars hominum aliena eſt ab illa diligentia, fugitque cogitandi & quaerendi moleſtiam, neque ſubire ſuſtinet exercendi laborem, ſine quo accurata & juſta verborum ac rerum ſcientia comparari nullo modo poteſt. Plerique mediocri ſcientia verborum contenti, malunt, verſionibus, quae raro accuratae ſunt, & ſententiae ſcriptorum veterum, in locis praeſertim difficilioribus, ſaepe parum conveniunt, aut commentariolis vulgaribus legendis, proficere, quam ipſis ſcriptoribus antiquis, eorumque verbis, diligenter cognoſcendis, ſatiusque ducunt, ſuper rebus leviter & male cognitis fortiter diſputare, & philoſophando ingenii laudem conſectari. In quo non cogitant, omnem illam diſputandi contentionem fruſtra ſumi, ſi incertum, aut falſum ſit id, a quo diſputatio ducatur, & periculum eſſe, ne tota ad nihilum redigatur, ſi quis exiſtat forte, qui verborum interpretationem in dubitationem adducat, aut, ea male intellecta eſſe, demonſtret.

Ejus rei luculentum exemplum mihi oblatum eſt nuper, cum librum Francicum *de Causſis Legum* (*de l'Eſprit des Loix*) fama operis incenſus, legerem: in quo multa, ſuper legibus Graecorum & Romanorum, earum causſis, vitiis, & virtutibus, diſputantur. Equidem ſperaram, id quod jure poſtulari poteſt ab eo, qui talem diſputationem inſtituerit, Auctorem Romanam rempublicam ita cognitam habere, ut ſuam quis-

que domum, & omnes ejus leges, inſtituta, moresque accurate ut intelligeret, curaſſe, praeſertim, qui etiam librum de Cauſſis aucti in immenſum lapſique imperii Romani ſcripſiſſet, in illo autem opere ſcribendo limandoque viginti annos conſumſiſſet: ſed legendo omnia alia didici, animadvertique, permulta hic tradita eſſe ejusmodi, quae a veritate longiſſime abhorrerent, & perſpicue indicarent, auctorem procul a juſta & accurata Latinitatis ſcientia abfuiſſe, & ſaepiſſime in rebus aut omnino non intellectis, aut parum diligenter cognitis, ingenium & philoſophandi ſolertiam conſumſiſſe. Exiſtimavi, me rem non inutilem, certe non alienam ab inſtitutis diſciplinae meae facturum, ſi caſtigationis aliquid, ad hanc partem libri, hoc eſt, quoad ſuper rebus Romanis diſputaret, darem: non, quo me delectaret aliorum in talibus rebus, praeſertim aliis laudibus florentium, & aliis nominibus bene meritorum, hominum reprehenſio; aut quo non ſatius ducerem, ipſum e fontibus vera accurate tradere, ſine cujusquam reprehenſione, quam, ab aliis ſecus dicta convellendo, aucupari gloriolam videri: ſed, ut ſtudioſos admonerem, diſciplinae autem meae alumnos inſigni aliquo exemplo docerem id, quod praeceptis ſaepe monuiſſem: nihil tam eſſe neceſſarium in omni genere doctrinae, quam diligentiam in cognoſcendo: in eo autem, quod maxime a ſcientia linguarum ducatur, ſine maxima animadverſione, aſſiduaque, & in intelligendo, & in retinendo, exercitatione, probabilem, idoneam, utilemque eruditionem parari non poſſe: denique neceſſario peccare & labi ſaepenumero, etiam in non reconditis rebus, qui verſionibus, & vulgaribus, de hiſtoria & antiquitatibus, libris, confidant, nec in omnibus auctores ipſos, ſatis intellectos, ſequantur, ſi forte, vel injicere, vel inflammare ſtudium accuratae doctrinae comparandae, poſſem. Ceterum, quoniam hujus libelli anguſtiae non capiunt omnia, quae caſtigatione indigent: hunc modum nobis fecimus, ut de re judiciaria & legibus maxime videremus, cetera aut leviter tangeremus, aut in aliud tempus differremus.

Libro ſexto, in quo docere inſtituit Auctor, quomodo ab iis, quae poſuerat, principiis uniuscujusque ci-

civitatis leges, forma judiciorum, & poenae ducantur, ita diſputat c. IV. ut civitati ei, in qua ſumma poteſtas penes unum ſit, convenire dicat judices ſimiles arbitris, qui conſilia inter ſe conferant, & de communi ſententia pronuncient: id ſecus eſſe in civitate libera. *Romanos* quidem *judices inter ſe conſilia non communicaſſe, ſed ſuum quemque judicium ſecutum, in quamlibet partem ſententiam tuliſſe.* Ejus inſtituti cauſſam comminiſcitur hanc, *quod judices populi loco judicarint, qui juris peritus non eſſet, nec arbitriis aptus.* Haec quam male ſumta, maleque explicata ſint, in promtu eſt demonſtrare. Primo, falſum eſt, judices Romae non conſilia inter ſe contuliſſe. Etenim, antiqua republica, hic mos fuit, ut, perorata cauſſa, is, qui judicio praeeſſet, juberet judices deliberare inter ſe, quid judicandum videretur: unde dicebatur *mittere in conſilium judices:* ipſi autem judices dicebantur *ire in conſilium:* quaeque communiter conſtituta eſſent, ea magiſtratus *de conſilii ſententia* pronunciabat. Sed haec conſuetudo poſtea eſt ſane ſublata legibus tabellariis, in judiciis publicis, ita tamen, ut, & in verbis, & modo judicii peragendi, ejus veſtigia apparerent. Nam praetor & tum dicebatur *mittere in conſilium*, Cic. Or. pro Cluent. c. 30. cum juberet ſententias ferre, & judices *ire in conſilium*, ibid. & c. 20. cum ſurgerent ad ferendum, denique, dicis cauſſa, & ad uſurpandam veteris moris imaginem, coibant, & capita inter ſe conferebant, ut quondam, veluti conſultaturi de cauſſa; cujus rei veſtigia ſunt in lepido Ciceronis loco Verr. III. 12. quamquam ille locus eſt de judicio privato. At fortaſſe ea de cauſſa abrogata eſt iſta ratio, quam Auctor poſuit. Nihil minus. Sed, libertatis ſtabiliendae & augendae cauſſa, inductae ſunt tabellae in ſententiis ferendis, ut judices, ſine metu ac libere, judicarent, cum exire nullo modo poſſe viderent, quid de cauſſa quisque ſenſiſſet, quid judicari voluisſet, ut auctor eſt Cicero de Legibus III. 16. Atque ita, tabellis inſtitutis, priſcus conſultandi mos ſublatus eſt. At in judiciis privatis conſultatio judicantium mihi videtur manſiſſe, propterea, quod tabellae ad ea nihil pertinuerunt. In cauſſa quidem Quintiana, ap. Ciceronem c. 10. Hortenſius dicitur inſtare

Aquillio, judici, *ut in conſilium eat*, nempe cum iis, qui illi, de more, *in conſilio aderant*, ibid. c. 1. quibuscum deliberaſſe, cauſſa perorata, dubitari non poteſt, cum non alia de cauſſa conſiliarii iſti aſſumerentur.

Libro ſeptimo c. XI. *judicium domeſticum de moribus mulierum*, tradit *una cum moribus in deſuetudinem abiſſe, & cum republica abolitum eſſe: conſtitutis quaeſtionibus perpetuis, hoc eſt, jurisdictione inter praetores diviſa, & conſuetudine paullatim inducta, ut praetores iſti omnia ipſi judicarent*, quod ille *judicium extraordinarium* appellat, *judicium illud domeſticum aboleviſſe, idque intelligi ex eo, quod hiſtorici veteris moris inſtaurationem appellent Tiberii inſtitutum, ut de moribus feminarum domeſtica judicia fierent.* In his quam multa falſa, maleque intellecta! Primum, falſum eſt, *quaeſtiones perpetuas*, fuiſſe diſtributam inter Praetores jurisdictionem. Nihil commune quaeſtionibus cum jurisdictione. Illae ſunt criminum & cauſſarum publicarum, in iisque Praetores, ſive Quaeſitores, cum judicibus, populi vice funguntur, unde & judicia populi vocantur: in jurisdictione autem Praetor urbanus & peregrinus, de causſis privatis, cognoſcunt & decernunt, judices dant &c. quae planiſſime a nobis ſunt demonſtrata in Clave Ciceroniana, probante Geſnero V. C. in Theſauro L. L. Meliora tamen de quaeſtionibus iſtis tradit L. XI. c. 18. Sed in hoc prope perpetuo peccatur in hoc libro, quod ii, qui jus dixere, judicaſſe dicuntur, cum haec duo ſint diverſiſſima: altero ad jus, altero ad facta pertinente. Neque vero iſta judicia, ſive quaeſtiones, Praetoribus mandata, erant ea, quae *extraordinaria* vocabantur, ſed ordinaria. Extraordinaria judicia ſunt causſarum ſingularum, non certorum generum, ut in quaeſtionibus perpetuis, neque certi magiſtratus, ſed ejus, cui peculiari lege, aut SCto mandantur: quale fuit judicium Milonianum, quod propterea *novum* a Cicerone vocatur, pro Milon. c. 1. niſi quod ex ordinariis, apud magiſtratum ordinarium, fiunt extraordinaria, cum praeter ordinem ſolitum exercentur, hoc eſt, dilatis ceteris, quae ex ordine inſtituto prius erant habenda: in quo genere etiam *rei extraordinarii* dicti, ut apud Coelium in epiſt. 8. ſub Caeſaribus autem, quae non

a

a magiſtratu ordinario, & e jure ordinario, ſed a Principe, Senatu &c. v. dicta ad Sueton. Claud. c. 15. & Excurſ. II. Nec illud ullo modo poteſt intelligi, quomodo quaeſtiones perpetuae judicium de moribus potuerint labefactare. Dudum ante quaeſtiones perpetuas iſtud judicium infrequens fuit. Leg. 11. Cod. de Repud. Planum porro eſt, *Judicium de moribus* quale fuerit, etſi totis duobus capitibus de eo diſputetur, tamen cognitum viro ſatis non fuiſſe. Audiamus ipſum: *Hoc domeſticum tribunal tuebatur mores Civitatis: ſed iidem mores tuebantur hoc tribunal. Non modo hic judicabatur de violatis legibus, ſed etiam moribus violatis. Sed ut de moribus laeſis judicare poſſis, bonis ipſe moribus utare neceſſe eſt.* Satis argute, ut ſolet, ſi modo ſatis vere. Etenim haec legens non poteſt non exiſtimare, *mores* hic intelligi eos, quos vulgo dicimus, cum *laeſos mores*, ut vocat, diſtinguat a laeſis legibus, & propterea poenas hic fuiſſe arbitrarias, non legibus conſtitutas, dicat, quia non facile legibus comprehendatur, quod nobismet ipſi debeamus. Atqui *mores* in hac cauſſa ſunt crimina, & injuriae in maritum, ut bene monuit, ad locum Ulpiani tit. 6. ab ipſo Auctore laudatum, Cujacius: &, quaecunque morum genera a JCtis ponuntur, ſunt injuriae in maritum. Omnino, hoc judicium non tollebat accuſationem feminarum publicam, cujus multa exempla exſtant: neque verum eſt, quod L. VII. c. 13. traditur, ſeverius judicium domeſticum in adulteras fuiſſe, quam publicum, quod Lege Julia fieret: idque clarum eſt e Tacit. Ann. II. 50. (adde Lipſ. Exc. A. in L. IV. Annal.) ubi Tiberius graviorem legis poenam deprecatur, & domeſtici judicii poena vult Senatum acquieſcere. Denique Ulpiani judicium de moribus non eſt domeſticum, ſed forenſe, fitque de dote, poſt divortium..

L. VIII. c. 12. commemorans varietatis judiciariae rationis, *judices ab initio e Senatu, lege Gracchi ex equitibus, Druſi e ſenatu & equite, Sullae e Senatu ſolo, Cottae ex omnibus ordinibus ſumtos*, tradit: *Caeſarem tribunos aerar. removiſſe, Antonium Centuriones addidiſſe.* Hic quoque ἀκρίβειαν deſideret peritus lector. Primum, Druſi lex non debebat commemorari. Etenim lata tantum eſt, non perlata, ſed SCto, videant

Conſules, ne quid detrimenti capiat respublica, cum ceteris ſublata, auctore Cic. de Legg. II. 12. idemque factum in lege Servilia & Plotia, quibus idem latum erat, Cicer. in fragm. pro Cornel. & ibi Aſcon. manſitque lex Gracchi ad Sullam uſque, ut omnes ſciant neceſſe eſt, vel mediocriter in Cicerone verſati. Illud porro lepidum eſt, quod ii, qui in lege Aurelia Cottae dicuntur *tribuni aerarii*, Francice vocantur *Tréſoriers de l'Epargne*. Quaeſtores intelligi putes. Nempe decepit auctorem *aerarii* verbum, quod ſubſtantive cepit, cum ſit adjectivum, ut clarum eſt e Cicerone, inprimis ad Att. I. 16. *tribuni non tam aerati, quam, ut appellantur, aerarii.* Neque illi aerario praefuerunt, ſed ſtipendia, accepta a quaeſtore, militibus diſtribuerunt: dictique ſunt *aerarii*, quia ſtipendia, vetere conſuetudine, *aera* dicta: unde *aere diruti* proprie dicti milites, quibus, ignominiae cauſſa, ſtipendium, aut pars ejus, ademta eſſet, Liv. XL. 41. & ibi Intt. & Plinius Hiſt. Nat. XXXIV. 1. ubi hanc formam loquendi reſtituit Harduinus. Illud etiam falſum eſt, quod, ſuper iſtis commutationibus judiciorum philoſophans, dicit, Equites non minus male judicia adminiſtraſſe, quam Senatores: cum contrarium teſtetur Cicero: niſi quod interdum Senatoribus reis iniquiores fuerunt. Verr. I. 2. IV. 59. & alibi.

Sed proprie rem judiciariam tractat L. XI. c. 18. verum & ibi parum accurate: primum in eo, quod ſupra jam monui, quod perpetuo Regibus, Conſulibus, Praetoribus judicandi munus, pro jurisdictione, tribuit: *Ab initio judicaſſe*, dicit: *mox non judicaſſe Coſſ. niſi raro, eaque judicia extraordinaria dicta eſſe:* quod ipſum intelligendum ex iis, quae ante dicta: quamquam laudat Librum IV. Inſtitut. Juſtin. ut aliquid, quod non intelligo, ſub Caeſaribus uſitatum, dicere voluiſſe videatur. De judiciis enim extraordinariis video ibi ſermonem eſſe §. *ult. de Interdictis:* ſed ea dici, quae huc nihil pertineant. *Saepe* etiam *a Tribunis pl. ſolis judicatas cauſſas*, ait, *cum magna tamen invidia*, auctorem commemorans Dionyſ. Halic. L. XI. Totam formam reipubl. Rom. ignoret neceſſe eſt, qui tale quid credere poſſit, nec inſpexerit Dionyſium, aut ullum ejus verbum intellexerit. Reos factos a tribunis plebis apud populum

pulum Decemviros, tradit Dionyſius, &, ipſis accuſantibus, populo autem judicante, damnatos: ſed damnatorum multitudinem metum populo injeciſſe, tribunis invidiam feciſſe. Vix intelligi poteſt, quomodo aliquis, inprimis doctus, & diligentiae laudem quaerens, talia poſſit lectoribus proponere, negligens ſecurusque judicii peritorum, & famae. *Praetorem* porro, *album judicum quotannis confeciſſe*, dicit. Quem? Videtur de omnibus dixiſſe, ut ſibi quisque judicum numerum legerit, in ſingulis cauſſis, ut e loco mox proferendo patet. At urbani ſolius id munus, republica libera, fuit. Diligentiae ſaltem erat, hoc addito, ambiguitatem cavere. *Judices*, de quibus dictum ſit, *de facto tantum judicaſſe*, ait, *quaeſtiones juris*, *quod paullo plus ſolertiae deſiderarent*, *ad Centumviros delatas eſſe*, *quibus praefuerint Decemviri*, *magiſtratus*, *ſed ſub aliquo Praetore*. Primum, videtur Centumviros e judicum numero eximere, cum eos JCtos faciat, qui de jure reſpondeant. At hi ſunt ipſi judices cauſſarum privatarum. Ex his Decemviri ſtlitibus judicandis, non illi ſub his, niſi ex inſtituto demum Auguſti, Suet. Aug. c. 35. Nec magiſtratus ſunt Decemviri Latinitate antiqua, ut etiam Siccama c. 10. cum Pomponio vocat, in aliis quoque hic lapſus. Ex his recuperatores: vid. dicta ad Sueton. Veſp. c. 3. add. Rupert. ad Pompon. p. 251. An porro non de factis judicavere Centumviri? Immo maxime: ſed tamen & ſaepe de jure & aequitate: idque iis cum ceteris privatis judicibus commune, auctore Cicerone de Or. I. 38. non, quod de jure reſponderent, aut jus dicerent: ſed quod cauſſae judicandae ſaepe eſſent ejusmodi, ut non modo de facto, ſed etiam de jure diſputatio eſſet. Sub quo tandem praetore fuere? Scire enim cupiat ſtudioſus juris veteris. Nempe ſub eo, cujus jurisdictio eſſet, ad quem cauſſae privatae deferrentur omnes. Mox *crimina* & *cauſſas* mirifice confundit, & mihi antea inaudita & incognita tradit. *Omnia crimina quodammodo eſſe publica*: *ſed alia magis cives ipſos*, *alia civitatem attingere*: *illa privata crimina appellata*, *haec publica*: *publica populum judicaſſe ipſum*: *privata judicata eſſe a Quaeſtore aliquo*, *cui id eſſet mandatum*: *appellatum eſſe Quaeſtorem parricidii*, *ejusque mentionem fieri*

ri in XII. tabulis: hunc legiſſe judicem quaeſtionis, qui ſortiretur judices, judicium conſtitueret, eique ſub Quaeſtore praeeſſet. Pergula pictoris! Primum, criminum illa diſtributio cui unquam obſervata eſt in ullo vetere ſcriptore? *Cauſſas publicas, & privatas* ſcio, quarum hae ſingulorum civium commoda privata, illae univerſae reipubl. tranquillitatem ac ſalutem attingunt, vulgoque *crimina* dicuntur: crimina publica & privata ne fando quidem cognovi. Hinc totum illud, quod ſequitur, fit irritum. Jam illud quidem rectum eſt, populum alia crimina ipſum judicaſſe in Comitiis, alia per Quaeſtores, ſive potius Quaeſitores, cognita: ſed non propter illud criminum diſcrimen. Cum tribunus, aut aedilis, aut quaeſtor accuſator extabat, remque ad populum deferebat, nullo quaeſitore opus erat. Ubi vero facinori accuſator deerat, & tamen Senatus e republica putabat, id coërceri, aut in obſcuro latebant ii, ad quos facinus pertineret, pluresve culpae eſſent affines: tum vel SCto, vel lege quaeſitor eſt conſtitutus, ut in cauſſa Bacchanaliorum, conjurationis Campanae, & aliis. v. Duker. V. C. ad Liv. XXXIX. 14. Illum autem quaeſitorem ſemper dictum eſſe *parricidii quaeſtorem*, falſum eſt; nec tradit is, qui auctor fertur, Pomponius. Unum tantum genus cauſſae erat, in quo quaeſitori hoc nomen eſſet, hoc eſt, perduellionis: quam cauſſam ſemper judicavit populus ipſe. Id patet e ratione inſtituti, commemorata Pomponio, quia injuſſu populi de capite civis Conſules cognoſcere non poſſent. Judex denique quaeſtionis recentioris eſt inſtituti: neque quaeſitores illi, lege, aut SCto conſtituti, talem judicem habuerunt, neque ulla ejus mentio ante quaeſtiones perpetuas, poſt quas, auctis criminibus, Praetores coeperunt ſibi ex aedilitiis aſſumere, quorum opera in judiciis exercendis uterentur. Vide loca Ciceronis in Clave Cic. in v. *Quaeſtio*, & Viros doctos, quos ibi laudavimus, item Schulting. in Juriſpr. Antejuſt. p. 728. ed. Lipſ. cui tamen non aſſentior in eo, quod e verbis Ulpiani in Collat. Leg. Moſ. & Rom. Tit. I. *praetor judexve quaeſtionis, cui ea quaeſtio ſorte obvenerit*, colligit, judices quaeſtionis ſortitos eſſe quaeſtiones, ſed ea verba ad praetorem ſolum arbitror pertinere. Vide mihi

mihi autem diligentiam viri, qui in re tam antiqua, ut XII. tabularum aetatem ſuperet, Ulpiani auctoritate utatur! Adeo vero rationem judicum Rom. non aſſecutus eſt, ut etiam dicat: *Carthagine judices perpetuos fuiſſe: Romae ne annuos quidem, ſed ad ſingulas cauſſas lectos.* Adeo, ne quidem, quid intereſſet inter *legere judices*, & *ſortiri judices*, didicerat. Sortitur praetor in ſingulis cauſſis judices, ſive ipſe, ſive per judicem quaeſtionis, ſed non legit. In legendo judice nulla ſortitio eſt, ſed judicium legentis Praetoris urbani, &, ſublata republica, Caeſaris: in quo, praeter ordinem, ſpectantur mores & cenſus, ut clarum eſt e Cicerone. Neque, niſi quis aut cenſum decoxit, aut mores in deterius mutavit, e numero judicum facile eximitur, retinetque illud munus ſaepe perpetuo. Philoſophatur deinde ſuper lege Sempronia, per quam judicia, erepta Senatui, ad Equitem ſunt translata: quam valde civitatis ſtatum concuſſiſſe & mutaſſe judicat. In malis autem ab ea ortis, in quibus omnibus magna dubitandi copia relinquitur, primo loco ponit hoc, quod, ea inducta, *equites deſierint eſſe ordo medius, cujus vinculo adſtringeretur ſenatus plebisque concordia.* Hic quoque diligentiam cognoſcendae rei, & temporum diſtinguendorum, deſidero. Etenim, primum, illa lege demum dignitatis tantum acceſſit equitibus, ut paullatim pro peculiari ordine haberentur, cum antea pars plebis honeſtior fuiſſent, quod militia equeſtris honeſtior tum haberetur. v. Dukerus ad Liv. XXIX. 37. Neque vero antea equeſter ordo concordem Senatum populo praeſtitit. Diu poſt id factum eſt demum, variis de cauſſis.

L. VI. c. 15. erroris arguit Livium, qui commemorato ſupplicio, quod de Metio Suffetio ſumſit Tullus Hoſtilius, addit, primum ultimumque ſupplicium illud apud Romanos exempli parum memoris legum humanarum fuiſſe: in aliis gloriari licere, nulli gentium mitiores placuiſſe poenas. Enimvero leges duodecim tabularum plenas eſſe ſaeviſſimarum poenarum. Etenim ibi eſſe poenam ignis, & poenas prope ſemper capitales, etiam contra famoſos libellos. At, primum, ſi mors eſt poena aliena ab humanitate, nulla jam gens erit, quae non immemor ſit humanitatis in ſcele-

ſceleribus puniendis. Tum, ſi quid ibi eſt paullo durius, id magis temporum illorum ſeveritati, quam decemvirorum ſaevitiae tribuendum videtur. Neque capitis poena ſemper vitam adimit. Denique Livius de ſuis maxime temporibus loquitur, quibus ultimum ſupplicium non niſi perduellioni conſtitutum fuit.

L. VII. c. 14. legum ſumtuariarum originem adſcribit Cenſoribus, quorum opera factum ſit, ut a magiſtratibus ferrentur. Non alienum hoc a ratione Cenſurae: ſed tamen id ſine auctore traditur. Catonem Cenſorium legis Orchiae ſuaſorem fuiſſe, reperio, ſed, leges Fannias, Licinias, Oppias, auctoribus Cenſoribus, a magiſtratibus latas eſſe, non reperi. Neque videtur *privilegiorum* rationem ſatis intellexiſſe. Primum, falſum eſt, quod dicit, in comitiatu maximo tantum lata eſſe. Lex Clodia de Cicerone privilegium fuit: hoc nomine infamatur ab ipſo Cicerone in Or. pro Domo. Atqui ea lata eſt in Comitiis tributis. Neque Cicero in libro de Legibus privilegia vult aboleri. Immo probat leges antiquas, ſacratas & XII. tabularum, in quibus cautum eſſet, ne privilegia ferrentur, eoque argumento pugnat contra Clodium, in Or. pro Domo & in Sextiana.

Sed quando ſatis videmur de uno genere dixiſſe, age, per varia vagabimur. L. II. c. 2. velut a Livio & Dionyſio acceptum, tradit, Servium tenuioribus civibus *Jus ſuffragii* ademiſſe, cum vim tantum iſtius juris arte aliqua ademerit, ſalvo jure. L. VII. c. 12. tutelam mulierum, cognatis lege mandatam, ſeveram & triſtem fuiſſe demonſtrat, e proverbio Latino: *ne ſis patruus mihi.* Enimvero id ortum eſt ex eo, quod patrui facilius parentibus animadvertunt vulgo vitia & peccata, iisque magis indignantur: neque inde ullo modo ſeveritas iſtius tutelae intelligi poteſt. Mox, c. 13. commemoratur *Praetura Auguſti*, quam Auguſtus numquam, ne ante principatum quidem, geſſit, nedum in principatu. L. XI. 12. Reges ab interregibus creatos, dicit: ſed eam electionem ratam haberi debuiſſe a Senatu, & populo: cum interregis tantum fuerit, comitia habere, populi, creare, Senatus, auctoritatem tribuere creationi. Neque ſatis vera ſunt, quae L. XI.

c. 14.

c. 14. de diminuta Conſulum poteſtate, creandis Praetoribus, Quaeſitoribus, Aedilibus, Quaeſtoribus & Cenſoribus, dicuntur. Etenim Quaeſtores jam ſub Regibus fuere: quaeſtiones ſaepe ipſis Conſulibus mandatae ſunt: ceteri magiſtratus etiam neceſſitati dati: quod, in aucto imperio, & bellis continentibus, Conſules non ſufficerent omnibus iis, quae ab initio, tenui adhuc republica, facile ſoli praeſtitiſſent. Ibid. c. 15. de decemvirorum poteſtate loquens, dicit, in iis poteſtatem conſularem & tribunitiam conjunctam fuiſſe; quarum altera jus convocandi ſenatus, altera comitiorum habendorum, dederit: quaſi non Conſules utrumque habuerint, aut Decemviri Comitia tributa, quae propria ſunt tribunorum, habuerint.

Verum iſta conſilio, quod ab initio indicavimus, facile ſuffecerint. Utinam habeant vim eam, quam cupimus, cum apud alios, tum apud diſciplinae noſtrae alumnos.

DE FIDE HISTORICA RECTE AESTIMANDA.

I.

Cum omnibus literarum diſciplinis cognitio veritatis ſit propoſita; tum vero ad eam maxime referendum eſt ac dirigendum hiſtoriae ſtudium. Nam neque aliud eſſe hiſtoria debet, quam rerum geſtarum eventorumque ſuperiorum ſcientia, neque prodeſſe hominibus, niſi vera ſit, poteſt. Itaque Thucydides (*), qui primus hiſtorici perfectionem aſſecutus eſt, ſe vera tantum, inquit, quae ſola hiſtoriae ſint, protuliſſe, quod veram utilitatem potius, quam inanem voluptatem legentium, ſpectarit. Sed, quoniam veritas non ſemper ſponte occurrit, ſed quibusdam ſui veſtigiis, quae interdum valde leviter impreſſa & obſcura praebet, quaeri vult ac deprehendi, in eo maxime elaborandum videtur ei, qui utilem operam hiſtoriae navare velit, ut recte de veritate judicare diſcat.

I I.

Nihil autem difficilius hoc judicio veritatis eſſe, & res ipſa loquitur, & Dodwellus (**), Perizonius (***), aliique in hoc genere judicandi exercitatiſſimi viri, faten-

(*) I. 22. (**) Praelect. Cambden. p. 4. & 5. (***) Animad. Hiſtor. p. 6. & 206.

fatentur. Ei difficultati occurrere voluerunt docti quidam viri, optabili ſane probabilique conatu, & hanc judicandi rationem redigere ad certas praeceptorum formulas tentarunt: quo loco Eiſenhardus, Thomaſius, aliique numerantur. Eorum omnium omnia praecepta commemorare, atque ſub examinis ſubtilitatem vocare, & infinitum, & ſupervacuum foret. Cui otium eſt, illorum rationem cum noſtra contendere, facile per ſe poterit, quid interſit, arbitrari.

III.

Sed inprimis Philoſophi, quum ſibi poteſtatem conceſſam putarent, de omnibus rebus, divinis humaniſque, judicandi, non modo in hujus quoque judicii praeceptis tradendis, ſe admittendos audiendosque cenſuerunt, ſed etiam acumen ſuum, in rerum ab aliis traditarum fide judicanda, probare voluerunt. Sed in utraque re, non modo parum ſubtiliter, & ad uſum accommodate, ſed etiam interdum ad veritatem hiſtoricam labefactandam perniciose ſunt verſati. Nam ipſa profecto definitio fidei, ab iis vulgo probata, parum ſubtilitatis habet: leges autem, quibus fidei judicium adſtringitur, non ſatis circumſcripte ſanciuntur.

IV.

Nam, ſi quis eas leges ad fidem examinandam judicandamque conferre inſtituat, & in ea contentione intelligenter periteque verſetur, reperiat profecto, eas parum utiles ad judicandum eſſe, iisque citius impediri fidei judicium, quam adjuvari. Sed inprimis pingues reperiuntur tum, cum probabilitatis hiſtoricae fontes aperire, & praecepta ejus judicandae & quaſi metiendae, tradere inſtituunt. Quod hoc minus mirum videri debet, cum boni iſti viri plerumque idoneo rerum uſu, & exercitatione judicandi careant, quae in hoc genere dominatur, ſimileſque ſint iis, quos Cicero (*) ridet, Rhetoribus, qui, de arte in foro dicendi, praecipiant, cum ipſi nunquam in foro ſint verſati. Ac vereor, ne hi tales, qui, cum ipſi ne tirocinia quidem

(*) de Orat. II, 18.

dem hiſtorica poſuerint, tamen de fide & probabilitate hiſtorica ſubtiliter, &, quod ſupra fidem videatur, ad rationis mathematicae ſeveritatem, praecipere audent, illi Phormioni, apud Ciceronem, Philoſopho Peripatetico, ſint comparandi; qui, audiente Hannibale, diſſerere & philoſophari inſtituerat, de Imperatoris officio, atque omni re militari, ipſe cum nunquam caſtra hoſtemve vidiſſet. Quem cum ceteri, & Philoſophi, & philoſophia leviter imbuti proceres Epheſii, admirarentur, Hannibal Imperator dixit, *multos quidem ſe vidiſſe deliros, ſed, qui magis, quam iſte Philoſophus, deliraret, vidiſſe neminem.*

V.

Atque, ut hoc facilius intelligeretur, quam eſſent iſta praecepta, tam parum definite ſcripta, non modo inutilia, ſed etiam noxia, ipſi Philoſophi quidam re declararunt, cum ea ad res certas, minutis quibusdam ratiunculis, in dubitationem adducendas, omninoque Pyrrhonismum in hiſtoriam inducendum, contulerunt. Omnis profecto hinc pendet Vayerii, Baelii, Clerici, aliorumque ratio, qui, aut univerſae veteri hiſtoriae, aut ejus parti, aut ejus inſigni alicui auctori, fidem detrahere voluerunt: ſubingenioſi illi quidem interdum in dubitatiunculis excogitandis, ſed in judicando parum acuti. Quare optime facerent, ſi totum hocce genus omnino non attingerent, & ſuis ſe finibus continerent. Sed, age, definitio Philoſophorum qualis ſit, videamus.

V I.

Fidem autem ſic definiunt, ut dicant, eſſe in eo, qui verum potuerit, & voluerit dicere: non falſo illi quidem, ſed tamen parum acute, hoc eſt, ad intelligendum judicandumque parum accommodate. Nam illud *poſſe*, atque *velle*, quis non videt, quam ambiguum ſit, & ad certum reperiendum imbecille? Ac neſcio, an locum fecerit multis inanibus dubitatiunculis, quibus nonnulli clariſſimis rebus tenebras offuderunt. Sed quam lubricum ſit utrumque, poſtea dicetur.

V I I.

Nobis quidem placet ſic definire *fidem hiſtoricam*, *ut ſit eorum, quos conſtet, rem, uti erat, aut geſta fue-*

fuerat, planiſſime tenuiſſe, &, uti ſciebant, ita dixiſſe. Rem autem *plane ſciunt*, primum ii, qui neceſſario ſciunt, aut non poſſunt non ſcire: deinde, rei, uti geſta erat, cognoſcendae idoneam facultatem habuerunt. Rem porro *vere dixerunt*, primo, qui neceſſario dixerunt, tum, qui nulla re, quo minus vere dicerent, impediti fuerunt, idoneas vero cauſſas, quare vellent dicere, habuerunt. Sed preſſius iſta enucleabimus.

VIII.

Primo igitur, rem *neceſſario ſciunt*, qui eam ipſi geſſerunt, & facti cujusque auctores: id quod per ſe intelligitur: interdum etiam ii, qui rei geſtae affuerunt; ſi quidem res eſt ejusmodi, ut, ſi adſis, neceſſario, ſi velis, planiſſime perſpicias: quod quale ſit, poſtea pluribus dicetur: poſt ii, qui ei publicis literis monimentisque conſignandae adhibentur: quod ipſum facile intelligitur.

IX.

Rei autem *recte cognoſcendae idoneam facultatem habere* dicimus eos, qui ejus e monimentis publicis cognoſcendae jus ac poteſtatem habent: tum, qui ex iis, qui neceſſario ſciebant, cognoſcere poſſunt: denique, qui iis, quibus res geſta eſt, temporibus vixerunt; unde fides aequalium ſcriptorum ducitur. In quo genere tamen magna cautio eſt, ne id ſimpliciter accipiamus, ſed ad ea rerum genera revocemus, quorum haec eſt ratio atque natura, ut ad omnium aequaliter ſcientiam perveniant. Quae quales ſint, poſtea docebimus.

X.

Neceſſitas porro *verum dicendi* unice cadit in eos, qui literis publicis rem quamque jubentur mandare: *Voluntas* autem *veri dicendi* intelligetur, uti diximus, tum, cum nulla cauſſa falſi, graves autem veri tradendi, reperientur, itemque aetate auctoris, patria, & ſcribendi genere.

XI.

Atque hi fere ſunt fontes, a quibus omnis fides manat. Omnia vero iſta ſic comparantur, ut *ſumma* & certiſſima *fides* ſit eorum, qui rem & neceſſario ſciebant, & neceſſario vere dicebant: *ſecundus* autem *locus* tribuatur his, quos, certo ſcimus, rem e literis

monimentisque publicis hauſiſſe. *Tertii* erunt, qui rem neceſſario ſciebant, & vere dicere volebant: quibus recte adjungentur hi, qui ab iis acceperunt. *Quartos* denique faciemus, qui tempore eo, quo res geſta eſt, vixerunt. Hac comparatione conſtituuntur *gradus fidei*: quibus cognitis, in diſſenſu tradentium, utri plus tribuendum ſit, poterit judicari. Sed de ſingulis partibus ſeparatim deinceps eſt dicendum.

XII.

Summa igitur *omninoque certa fides eſt literarum & monimentorum publicorum, atque omnium eorum, qui ex his petita proferunt.* Idque & *inſitus* cuique *ſenſus* & *ſumma neceſſitas*, & conſentiens optimorum, omnis aevi, *hiſtoricorum* tum *opinio*, tum *conſuetudo*, jubet exiſtimare. Nam quis eſt, qui, cum rem aliquam literis ac monimentis publicis reperiat teſtatam, non ita adficiatur animo, ut, omni dubitatione liberatus, in eorum teſtimonio & auctoritate prorſus acquieſcat? Ac neſcio, quomodo in iis, quae privata auctoritate traduntur, animus ſemper aliquid amplius deſideret, quod majorem credendi neceſſitatem afferat: propterea, quod, quae res voluntati humanae relictae ſunt, in iis nihil eſſe omnino certi poteſt, cum ipſa nihil ſit incertius, atque mobilius. Itaque, niſi res ipſa, aut alia quaedam haud dubia ſigna accedant, quibus privata ſuſtentetur fides, dubius animus relinquitur. Quod ſecus eſt in iis, quae publica auctoritate legentibus commendantur: in quibus, quia ineſt quaedam conveniens iſtis rebus neceſſitas, animus nihil amplius requirit.

XIII.

Ex quo cum haud obſcure intelligatur tabularum publicarum ad fidem recte conſtituendam neceſſitas: tum vero multo magis ea ſtabilitur ſcriptorum frequenti diſſenſu: quo ſaepe ita in varias partes legentium diſtrahuntur animi, ut, quid probent, non reperiant. Nam non eos tantum diſſentire inter ſe videas, quos diverſa tempora tulere; ſed eos quoque, qui uno eodemque tempore vixerunt, ſuaeque aetatis res memoriae tradiderunt. In quo genere Graecos jure reprehendit Joſephus (*), qui, cauſſam hujus tan-

ti

(*) c. Ap. L. I. c. 3. 4. p. 439. de Romanis, v. Periz. Anim. hiſt. p. 208. 209.

ti diſſenſus, prudenter monet, eſſe hanc, quod & Graecae gentis levitas non ſatis conſuluerit rerum memoriae publicis literis ac monimentis, & ſcriptores non ad publicarum literarum fidem omnia ſua retulerint. Tali autem diſſenſu non modo impeditam, ſed etiam incertam fieri hiſtoriam, nemo non videt: cum interdum diſſentiant ii, qui paris auctoritatis videantur. Quanquam vero negari non poteſt, etiam aliam, in diſſenſu, judicandi eſſe rationem, de qua infra disſerendi locus erit: eam tamen vehementer lubricam eſſe, neque vim hujus rationis ullo modo aſſequi, patet. Nulla igitur ſatis certa ratio ejusmodi controverſiarum dirimendarum relinquitur, niſi, quae publicis teſtimoniis utatur. Regis Romani nomine quis primus uſus ſit, diſputatum eſt: aliis ad Fridericum I. aliis ad Henricum III. & IV. referentibus (*). Compoſuit certamen diplomatum auctoritas, quae jam Henrico II. id nominis adſcribunt. Regnum Arelatenſe ad Germanicum pertinuerit, nec ne, quaeſitum eſt, utrique parti quibusdam ſcriptoribus faventibus. Deſiit res diſceptari, ex quo Diplomata Conradi IV. & Friderici II. a Petro Saxio (**), aliaque aliorum Imperatorum prolata ſunt; in quibus ſatis clare ad Germaniae Imperium refertur (***). Finem dicendi non reperiremus, ſi ex noſtra tantum hiſtoria exempla congerere omnia vellemus.

X I V.

Neque parvum hic momentum facit, quod quaedam interdum accidunt, quae paullatim minus credibilia fiunt: non, ut Cragius (****) exiſtimat, ipſa vetuſtate; qua, ille perabſurde ſtatuit, omnium, quarumvis rerum, etiam divinarum, fidem minui & exſtingui: ſed morum, opinionum, rerumque ipſarum commutationibus; quae magnam ſaepe Vayeriis, Baeliis, facultatem praebent ratiuncularum, quibus veritatem rerum fidemque convellant: cujus generis permulta ſunt in omni veterum populorum, Graecorum, Romano-

(*) Chron. Gotw. p. 233. (**) In Pontificio Arelatenſi p. 226. (***) v. Ill. Maſcovii Comment. p. 179. (****) Princip. Theol. Mathem. C. 2.

norum, Germanorum etiam, hiſtoria. Horum igitur fidei quomodo conſuletur ſatis, niſi literarum monimentorumque publicorum auctoritate? Nam, etſi aliam quoque rationem ſubtiliorem eſſe ſcimus, de qua dicemus infra: tamen ea, ipſa ſubtilitate, minus influit in mentes, obtuſiusque movet animos, inprimis eorum, qui illius ſubtilitatis guſtum non habent: ex quo genere pleroſque eſſe ſcimus, qui ad res geſtas cognoſcendas accedunt. Ne externis exemplis utamur, celebre eſt Kaufungianum illud, in Erneſto atque Alberto, Friderici II. Saxonis filiis perpetratum, facinus, magnoque ſcriptorum conſenſu, ipſaque apud nos fama, conſtanter traditum. Id qui e noſtris moribus aeſtimarent, coeperant in dubium vocare, fabuliſque adnumerare: quarum permultae ſatis conſtanter traduntur. Sed, cum literae publicae, quibus id teſtatum reliquerunt majores, prolatae eſſent e tabulario Vitembergico, fides rei eſt conſtituta, neque ullum ei poſthac periculum timendum videtur.

X V.

Recte itaque Dodwellus (*) monet, quae ante bella Thebana geſta fuerint, incertiſſima eſſe, nulla alia de cauſſa, quam, quod nullae tabulae publicae monimentaque tum confici, in tabulariisque, ad poſteritatis memoriam, ſervari conſuesſent. Quod cum, quia inſitum eſt intimis hominum ſenſibus, viderent veteres populi cultiores, egregie hoc inſtituerunt, ut res publicas, quarum ſcientiam poſteris profuturam putarent, publice, per idoneos homines, teſtibus etiam cuſtodibusque appoſitis, in literas referrent, publiceque ſervarent, graviſſimis propoſitis poenis, ſi quis literas tales corrumpere, aut interpolare, aut falſo aliquid in literas publicas referre auſus eſſet. De Ebraeis teſtis Joſephus (**): de Aegyptiis & Chaldaeis Graeci magno conſenſu tradunt: de Tyriis idem Joſephus (***): qui etiam locum de regibus Tyriis e Menandro Epheſio profert, qui ex actis Tyriorum publicis ſcripſit, planiſſime conſentientem libris divinis, mireque inde lau-

(*) Prael. Cambd. p. 23. (**) c. Ap. L. I. c. 7.
(***) l. c. c. 11.

laudatum Scaligero (*). De Perſis porro ipſae ſacrae literae confirmant (**): Athenienſes autem, quis neſcit, in templis legum κύρβεις, federum pacisque tabulas, SCta, plebiſcita, aliaque his ſimilia, quibus hiſtoria maxime continetur, ſub ἱερομνημόνων cuſtodia ſervaſſe: ſimiliterque inſtitutum (***) apud permultas alias Graecas civitates fuit. Pergameni quoque, in Decreto pro Judaeis (****), δημόσια γράμματα, ex iisque antiquisſimas res, commemorarunt.

X V I.

Sed omnem omnium curam in eo genere ac diligentiam ſuperarunt Romani. Nam primo, civium infantes recens nati, a Servii inde Tullii (*****) temporibus, apud aedem Lucinae, publicos in commentarios relati, apud Libitinam autem mortuorum hominum nomina delata (******). Libri praeterea cenſuales diligentiſſime facti & ſervati apud aerarium (*******). Tum leges, SCta, pacis, federumque formulae, triumphorum tabulae, in templis fixae, & apud aerarium repoſitae. Senatorum porro & Equitum catalogi, Judicumque decuriae ibidem conditae. Magiſtratuum deinde edicta & commentarii rerum in magiſtratu geſtarum. Tum res bellicae diligenter ſcriptae, numerus & nomina legionum, navium, ducum: res geſtae publice ad ſenatum perſcriptae: acta bellorum & triumphorum, provinciarumque formulae. Annales etiam a Pontifice M. conſignati: quorum confectione intermiſſa, Acta S. P. Q. ut publice ſcriberentur, inſtitutum. Acceſſere deinde literae, edicta, orationes, reſcripta principum & magiſtratuum provincialium ad eos epiſtolae. Cura autem tabularii magiſtratibus erat mandata: primum Conſulibus, tum Aedili-

(*) Fragm. vet. Graec. ſelect. p. 26. (**) Eſther c. 6. (***) Dodw. l. c. p. 16. &c. (****) Ap. Joſeph. A. J. XIV. c. 10. (*****) Dionyſ. IV. p. 220 (******) Dionyſ. ibid. (*******) Dionyſii quidem aetate Tulliani libri Cenſuales adhuc extabant. Vid. L. IV. p. 225.

dilibus plebis (*), Cenſoribus (**) deinde, tandem Quaeſtoribus (***). Quam diligenter autem diſpoſitae ibi proſtiterint tabulae publicae, ex inſigni Joſephi (****) loco, quo SCtum, in Hyrcani gratiam, a Coſſ. M. Antonio & P. Dolabella factum, refert, intelligitur.

XVII.

Atque huic rei magna auctoritas accedit a judicio ſapientiſſimorum, omnis aetatis, Hiſtoricorum, Criticorumque: qui ita neceſſaria ad fidem hiſtoricam ſtabiliendam monimenta publica eſſe pronunciarunt, ut ſine iis conſiſtere nullo modo poſſet. Atque ut ſacerdotem Aegyptium, in Platonis (*****) Timaeo, mittamus, qui, literarum publicarum interitu fieri ſolere, ait, ut, neque externorum populorum, neque patriae res antiquas, ſciamus, utque ea, quae commemorentur, non multum diſtent a puerilibus fabulis: inprimis multus in hoc eſt magnus, ut vere Caſaubonus vocat, ſcriptor, Joſephus contra Apionem (******), ut, ſine monimentorum commentariorumque publicorum ope, nullam eſſe hiſtoriam, oſtendat. Dio autem Caſſius (*******), ad ea Auguſti tempora delatus, quibus omnes reſpublica penes eum unum fuit, etiam hac de cauſſa, fatetur, conſequentium temporum hiſtoriam incertam ac fallacem factam eſſe, quod rerum geſtarum commentarii, ac literae publicae, non, ut antea, publicatae, ſed occultatae ſint, reſque adeo ita, ut alii ſcripſerint, non ut monimentis publicis conſignatae ſint, tradi poſſint. Itaque, niſi, poſteriori aetate, illorum temporum publica monimenta prolata eſſent, maxima ejus hiſtoriae pars in incerto eſſet.

XVIII.

Sed non tantum ita judicarunt ſummi omnis aevi hiſtorici, verum etiam ſcribendae hiſtoriae rationem maxime ad hoc ſuum judicium retulerunt. Itaque eos videas, in gravibus inprimis rebus, monimenta publica,

(*) Liv. III. 55. (**) Liv. IV. 8.
(***) Joſeph. A. J. XIV. 10. n. 10. (****) Ibid.
(*****) Cap. VIII. (******) L. I. p. 438. f.
(*******) L. LIII. p. 509.

blica, inſtrumenta belli paciſque, Leges, SCta, Epiſtolas, nobis, nominatim, vel integra tradere, vel, quae ſcripſerint, ex iis ſumta, monere. Thucydides (*) quidem inſtrumentum induciarum inter Lacedaemonios & Athenienſes factarum, formulam pacis in L. annos inter eosdem factae (**), ac denique leges confederationis, a Lacedaemoniis (***) eorumque ſociis cum Rege Dario initae, aliaque plura commemorat. Polybius autem quot deditarum urbium, pacis, aliarumque rerum publica inſtrumenta, hiſtoriae ſuae inſeruit? Federa inter Romanos & Carthaginienſes (****) icta: Formula jurisjurandi, qua fedus ſanciverunt (*****) Hannibal & Xenophanes (******) Philippi Regis Maced. legatus (******): SCtum ſuper pace cum Philippo facta a Q. Flaminio (*******): Formula, qua Graeci, quos ſubjugarat Philippus, a Romanis, victo Philippo, liberantur (********): fedus porro cum Antiocho (*********): pacis inſtrumentum inter Eumenem, Pruſiam, Ariarathen, & Pharnacem, Mithridatemque, aliaque apud ipſum publica monimenta prodita repeгiuntur. Eandem rationem Dionyſium atque Joſephum ſecutum eſſe, vel obiter eorum libros inſpicienti patet. Joſephus quidem, in Antiquitatibus Judaicis, tum de bello Judaico, ubique Pſephismata, Leges, SCta, Epiſtolas publicas affert, commentarioſque publicos commemorat: in quibus ſi forte interdum deceptus eſt, ſpuriaque pro genuinis attulit; intelligitur tamen illud, quod volumus, ipſum legem illam in libris ſcribendis diligenter eſſe ſecutum. Neque aliter Livium videmus feciſſe, cujus ex eo genere loca Maffeus (**********) notavit. Sed inprimis in eo genere diligens & frequens reperitur Suetonius, cujus loca enarrare nimis longum foret.

XIX.

(*) L. IV. p. 223. 280. (**) L. V. p. 302. 305.
(***) L. VIII. p. 477. ext. 486. 487. p. 319. 336. 499. &c.
(****) L. I. 62. & L. III. 22. ſeqq. (*****) L. VII. 2.
(******) Legat. Exc. n. IX. (*******) Ibid.
(********) ibid. n. XXXV. (*********) Ibid. n. LIX.
(**********) In Iſtor. Diplom. p. 12.

XIX.

Maxime autem, quantam vim ei generi monimentorum tribuerint, intelligitur ex eo, quod fere eorum auctoritate decernant controverſias rerum, aut hominum cupiditate, aut antiquitate, aut alia quadam cauſſa, vel corruptarum, vel varie traditarum. Quo in genere inprimis creber eſt Suetonius. Non conveniebat, neque de loco, neque de anno Tiberii (*) natali. Suetonius, ſua ſententia propoſita, *ſic*, addit, *enim in faſtos actaque publica relatum eſt.* Multo magis variabant auctores de natalibus Caligulae. Contra omnium ſententias diſputat rationibus. Sed tamen dirimit rem actorum fide (**): *Ego in actis Antii invenio editum — — — Sequenda eſt igitur Actorum & publici inſtrumenti auctoritas.*

XX.

Neque vero exiſtimandum eſt id, quod multos in judicio, de ſcriptorum fide, fallit, ea tantum e publicis literis hauſta eſſe, in quibus diſerta eorum commemoratio reperiatur: quam in rebus, aut non magnis, aut parum controverſis, aut ejusmodi denique, quae vix aliunde peti poſſent, ſupervacuam habebant. Neque enim olim ea, quae nunc tenet, ambitio erat, ut fontibus, unde hauſeris, ubique commemorandis, ornatus libris & gloria ſcriptoribus captaretur: quae ratio merito vanitatis arguitur, & repudiatur a Perizonio (***), elegantiſſimo viro. Itaque multa in veteribus hiſtoricis reperiuntur, ducta illa quidem e publicis monimentis, prope totidem interdum verbis, nulla tamen eorum mentione injecta. Ut pauca exempla commemoremus: magna pars rerum Auguſti a Suetonio depromta eſt e monimento illo, quod hodie Ancyranum dicitur, ut comparando facile quisque poterit intelligere: tanta diligentia, ut ſaepe verba ipſa monimenti ſervarentur. In illo monimento, v. c. haec ſunt: *Navalis proelii ſpectaculum populo — — — in quo loco nunc nemus eſt Caeſarum, cavato ſolo.* Suetonius (****) eadem ſic habet: *item navale proe-*

(*) Tib. c. 5. (**) Calig. c. 8. (***) Praef. ad Hiſt. Sec. XVI. (****) C. 43.

proelium, *circa Tiberim*, *cavato ſolo*, *ubi nunc Caeſarum nemus eſt* (*). Permulta porro ex actis ſumta eſſe loca, ea indicio ſunt, ubi eorum, propter idoneas, ut ſupra diximus, cauſſas, diſerta mentio injicitur. Tum, quis dubitet, eum ceteras literas publicas, quarum ſummam facultatem habebat, v. c. illud a Veſpaſiano, incredibili ſumtu & diligentia, collectum corpus legum, SCtorum &c. quod pulcherrimum imperii inſtrumentum appellat, item epiſtolas principum (nam Auguſteas crebro in partes vocat) inſpexiſſe, ex

(*) Lubet hic obiter refellere Caſaubonum, qui, ad hunc locum, monet lectores, ne illud *nunc* ad Suetonii tempora referant, quod e monimento Ancyrano petitum ſit: eoque haud obſcure Suetonium negligentiae arguit, qui illud *nunc* temere exſcripſerit, quod aut omittendum fuerit, aut in *olim* mutandum. Cauſſa eſt haec, quod illud nemus, ante Neronis mortem, exaruit, ut ipſe auctor eſt, in Galba, c. 1. & Plinius in Hiſt. Nat XV. 30. Eſt autem imperiti potius compilatoris, quam diligentis & idonei hiſtorici, notas temporum temere retinere & erroribus lectorum locum facere: cujus vel negligentiae, vel inſcitiae, exempla, e barbaris ſcriptoribus, non ſine juſta reprehenſione, commemorat Pagius in Crit. Baron. Tom. III. p. 50. a. Quanquam in eo ipſe Euſebius, Chron. Graec. p. 55. de templo Samaritano tradens, peccat, cum ſcribit: *ἐν τῷ ναῷ, τῷ ὑπὸ Σαμαρειτῶν νῦν προσκυνουμένῳ*, cum, multis ſeculis ante, a Joanne Hyrcano deſtructum eſſet; caſtigatus propterea a Scaligero p. 420. a. ſed fortaſſe & ipſe deceptus, dum auctorem rei feſtinanter exſcribit. Sed Suetonium ab iſtius negligentiae macula facile liberat cetera viri diligentia. Atque adeo ex hoc potius colligimus loco, etiam poſt ea, quam nemus illud interiiſſet, tamen nomen priſtinum manſiſſe, ut *Caeſarum nemus* diceretur: cujus generis non pauca, & veteris & noſtri temporis, exempla extant. Maxime huc pertinet illud, quod eſt apud eundem Suetonium in Galba c. 1. ubi inter prodigia, quibus gentis Caeſarum interitus denunciatus eſt, etiam gallinae in villa Caeſarum interiiſſe memorantur: & tamen villae nomen priſtinum a gallinis ductum manſit; ut *hodie quoque*, inquit, *ea villa ad Gallinas vocetur.*

ex iisque plurima repetiiſſe. Similia de Livio (*) dicenda. Raro ille nominatim laudat publica monimenta: ſed ex iis maximam partem hiſtoriae repetitam, cum eorum magnam facultatem haberet, ſi nulla alia, praeter illa tria millia tabularum aenearum, quae ad Veſpaſiani (**) tempora manſere, ſuppeditarent, cum ratio jubet credere, ut poſtea dicemus, tum comparatio Livianorum locorum cum monimentis iis, quae ad nos, tanquam tabulae de naufragio, pervenerunt. Nobile eſt SCtum de Bacchanalibus, cujus aeneum exemplar antiquiſſimum hodie in Vindobonenſi Bibliotheca ſervatur, ſaepe illud exſcriptum typis. Sed, ſi quis id cum loco Livii (***) contendat, videat profecto, omnia ſua, quaedam etiam iisdem verbis, inde Livium duxiſſe. Uteremur hic etiam alio loco, (****) de Paullo ad bellum Macedonicum proficiſcente, eumque, totidem prope verbis, ex Actis deſcriptum, oſtenderemus, ſi fragmentum illud Actorum, apud Dodwellum, non pro ſpurio convictum nuper eſſet a nobis, poſt Weſſelingium V. C. Similiter, Euſebium Catalogos Epiſcoporum ex Eccleſiarum tabulariis confeciſſe, ſine eorum mentione, recte monuit Valeſius (*****). Infinitum foret, ſi de omnibus priſcis illis in hoc genere heroibus dicere vellemus. Ceterum, quoniam hujus rei ignoratio multos, alioqui doctos viros, fefellit, ut, in judicio de ſcriptorum fide, turpiter ſe darent: age, rem, nondum ab aliis ſatis diligenter tractatam, pluribus perſequamur, *ejusque generis* apud hiſtoricos, *agnoſcendi ac judicandi*, *modum*, *difficultatem*, *ac cautionem* explicemus.

X X I.

Ut igitur judicare poſſimus, an e literis publicis hauſerit is, de quo quaeritur, ſcriptor: primum videndum eſt, *an idoneam earum habuerit facultatem tum, cum ad ſcribendum animum adjungeret.* Ea res intelligetur, ſi

(*) L. IV. 20. L. XXXIX. 52. &c. (**) Suet. Veſp. 8. (***) L. XXXIX. 18. (****) e. L. XLIV. 22. (*****) Ad H. E. V. conf. de antiquis Archivis Eccleſ. Auct. Chron. Gottvic. T. I. L. II. c. 1.

ſi viderimus, quo quisque tempore, & in qua civitate, vixerit, quo loco ac dignitate fuerit, quamque hiſtoriae partem ſcripſerit. Quae qualia ſint, planius exemplis, quam praeceptis, poterit oſtendi. Initium faciamus a Livio. Eum igitur, conſtat, vixiſſe Romae, eamque hiſtoriam, quae quidem reliqua ſit, pertinere ad regia & libera civitatis tempora. Jam, illorum temporum monimenta publica plurima Livio ſuppeditaſſe, dubitari non poteſt. Nam, ut ea mittam (*), de quibus ſupra dictum eſt, aenearum tabularum permagna copia in Capitolio patebat, quibus Leges, Plebiſcita, SCta, formulae pacis, federum, proderentur, auctore Suetonio (**). Triumphantium porro ducum tabulae in Capitolio fixae proſtabant, quibus victoriae ſuae titulos proſequerentur verſibus Saturniis, ut tradit Atilius Fortunatianus (***); qui, eas a ſe viſas, ait, etiam verſibus inde prolatis: earumque exemplum reſtat apud Livium (****), ex eodemque verſus apud eum, quem dixi, Atilium. Literae porro publicae ab Imperatoribus miſſae, quibus omnis rerum geſtarum ordo & ratio exponeretur, apud aerarium ſervabantur (*****): e quibus licebat res geſtas planiſſime cognoſcere. Acta etiam Triumphorum ſervabantur eodem loco, unde promere in uſus ſuos cuique liceret: ut e Plinio (******) majori, paſſim ex iis quaedam commemorante, intelligitur: non ea, ut Harduinus (*******) inſcite exiſtimabat, quae cum Faſtis conſularibus edi ſolent, faſti illi potius & catalogi triumphorum, quam acta; ſed in quibus omnis triumphorum apparatus, copiaeque ex hoſtico allatae, ordine deſcriptae paterent, ut loca Plinii planiſſime declarant. Quae ſunt omnia ejusmodi, ut cogant credere, Livium, qui in rebus, diſſenſu ſcriptorum dubiis, ad monimenta publica provocet, in ceteris quoque, quae ex iis diſci potuerint, ſua repetiiſſe, eique in his ſummam fidem eſſe habendam, omninoque,

(*) §. 18. (**) Veſpaſ. 8. (***) In arte p. 2680. ap. Putſchium. (****) XL. 52. (*****) Vid. Dio L. LIII. p. 509. (******) Vid. c. XXXVII. 2. (*******) In indic. auct. ad Plin.

que, etiam hoc nomine, probandum Taciti (*) de eo judicium, qui, *fidei praeclarum inprimis*, appellat. Jam Joſephus, quoniam Romae fuit apud Veſpaſianum in magna gratia, recte putatur, ſummam literarum publicarum perluſtrandarum poteſtatem habuiſſe, ex iisque hauſiſſe, quae aliunde non poſſent certo cognoſci: praeſertim cum eſſet Joſephus, qui nullam eſſe crederet hiſtoriam, quae non ex publicis commentariis ac monimentis ducta eſſet. Suetonio autem, quem ſcimus fuiſſe Magiſtrum Epiſtolarum apud Adrianum, quis dubitet, hanc facultatem fuiſſe? Seckendorfio, ut de noſtris aliquem addam, cum ſcriberet hiſtoriam Lutheraniſmi, conſtat, aperta apud nos fuiſſe tabularia, & literas publicas undique advectas, ut inde, quae eſſent ejus hiſtoriae ſcribendae, depromeret.

XXII.

Neque tamen ſufficit ſcire, ſcriptoribus literarum publicarum inſpiciendarum copiam fuiſſe: ſed illud etiam cognitum debet eſſe, *iis publicorum monimentorum indagandorum conquirendorumque ſtudium ac diligentiam non defuiſſe.* Id non modo rebus ipſis judicatur, cum videmus, eos talia documenta crebro in teſtimonium vocare, ſed etiam ipſorum auctorum, aliorumque, quibus cognita illorum ratio fuit, praedicatione. Quis enim v. c. in Thucydide, Polybio, Livio, Suetonio, atque, e noſtris, Sleidano illam curam non credat fuiſſe, his ipſis cauſſis, aut univerſis, aut ſingulis, commotus? Nam Thucydides quo magis poſſet res geſtas vere tradere, plurimum & temporis, & pecuniae (**), in juſto adparatu conquirendo, impendiſſe, conſtat. Polybium autem, ſcimus, non modo per Scipionem Africanum impetraſſe, ut, quicquid monimentorum in Capitolio ſervaretur, excutere, & jure ſuo uti poſſet: ſed etiam, per Italiam, antiqua monimenta conquiſiviſſe, atque ibi in tabulam aeneam, ab Hannibale, cum in Italia eſſet, ſcriptam, incidiſſe, quae rerum ab Hannibale geſtarum ſeriem contineret.

(*) Ann. IV. 34.

(**) Plutarchus de Exſil. p. 605.

neret (*). De Livio & Suetonio antedictum eſt: item de Dione Caſſio (**): cujus laudatus ſupra locus manifeſto indicio eſt, ea, quae ſuperioribus libris tradita ſint, e commentariis ac literis publicis maxime derivata eſſe. Suetonium quidem, etiam ſtatuarum titulos inſpexiſſe, ut inde apparatum hiſtoriae congereret, argumento eſt locus in Galba (***); ex quo omnes Galbae ſtatuas luſtratas ab eo & inſpectas intelligitur. Sleidanus autem ipſe de ſe vere ſcribit: *Nihil ex vano quicquam hauſi, vel auditione levi, ſed ſcribendi materiam mihi ſuppeditarunt acta, quae ſtudioſe collegi, de quorum fide nemo dubitare poteſt.* Tum Burnetius, elegantiſſimus rerum Britannicarum auctor, hac inprimis dote ſuum opus vult cenſeri ac probari. Atque ſimiliter de aliis cognoſcere licebit ac reperire.

XXIII.

Quod ſi nihil tale ſuppeditet, cujus quaſi veſtigiis iſtam rem tenere poſſimus, atque intelligere, an, quae tradiderunt, ex monimentorum publicorum reliquiis hauſerint, nec ne: juvabit comparare ſcriptores cum numis, inſcriptionibus, aliisque monimentis publicis, adhuc reſtantibus, quae quidem ad ea tempora pertineant, quorum res ſcripſerunt. Quibuscum, ſi, quae prodita ſunt ab hiſtorico, conſentiant, probabile fit, reliqua etiam, quae quidem ejusmodi ſint, ut literis publicis ac monimentis ſoleant conſignari, ab iisdem fontibus ducta eſſe. Etſi non magnopere indiget res exemplorum luce: tamen non pigebit, ex antiquis quaedam commemorare, praeter ea, quae jam ſupra de Livio & Suetonio attulimus. Suetonius (****) Neronem dicit amore citharoedicae artis etiam ſtatuas ſuas citharoedico habitu faciendas curaſſe, eademque nota etiam numos percuſſiſſe. Id planiſſime conſentit cum numis Neronis quibusdam aeneis atque aureis. Idem, Galbam, (*****) dicit, usque ad imperii tempus, *Lucii* praenomen, pro *Servii*, uſurpaſſe. Ecce inſcriptio Conſularis extat apud Muratorium (******), in qua id praenominis reperitur: ut ap-

(*) L. III. extr. c. 33. (**) §. 17. (***) c. 2. (****) Ner. 25. (*****) c. 4. (******) T. I. p. CCCIII.

appareat, id Suetonium e monimentis publicis didiciſſe, fruſtraque fidem in eo detrahi a Pagio (*), quaſi in literis publicis non uſurparit hoc praenomen Galba, neque adeo in Faſtos Conſulares ſit recipiendum, ut Noriſio placebat. Innumera hujus generis exempla referre vel ex una Auguſti vita poſſemus, reperta a nobis, cum materiam hiſtoriae Auguſti, ex inſcriptionibus, numis, & aliis reſiduis monimentorum publicorum fragmentis, idonea cauſſa moti congereremus. Hujusmodi comparatione etiam de Dione Caſſio intellectum eſt, diligenter eum talia monimenta, in ſcribenda hiſtoria, conſuluiſſe; aut ſaltem eos plerumque ſecutum eſſe auctores, qui inde profeciſſent: nam non ignoramus, eum in rebus Trajani parum dignum fide, minusque idoneos auctores ſecutum, judicari a Dodwello (**).

XXIV.

Sed quoniam in hoc judicio, aliquoties diximus, rationem habendam eſſe rerum ipſarum, ut eae, quae e monimentis publicis hauriri potuerint, diſcernantur ab his, quae aliunde ſint petitae: de hoc quoque circumſcriptius dicendum videtur. Et illud quidem ſupra oſtendimus, prudentiſſimum quemque & cultiſſimum populum res eas publicis literis prodere poſteritatis memoriae inſtituiſſe, quarum ſcientiam poſteris, putaret, vel neceſſariam, vel utilem fore. Sed quoniam non omnes populi eadem, in eo genere, ratione ſunt uſi, relictis omnibus, cognoſcendi ſunt populi cujusque mores & inſtituta, ut ſcias, quod genus rerum hac ſua cura ſit complexus. Id ſi conſtiterit, facile poterit in ſcriptoribus iis, quos ex indiciis propoſitis, cognovimus, e publicis literis profeciſſe, judicari, quid inde petitum ſit. In quo etiam temporum ratio debet haberi. Nam alii tardius aliis hoc fecere, aliisque temporibus vel frequentius, vel rarius, aliis. Optime res intelligi poterit exemplo Romanorum, de quorum in eo genere inſtitutis ſupra

(*) Crit. Bar. T. I. p. 28. (**) Prael. Cambd. p. 206.

pra dictum eſt (*). Ergo, cum, ut hoc utar, Suetonius ait (**), *Salvios* ab *Claudio* in numerum Patriciorum eſſe lectos: intelligitur, id eum accepiſſe ex Actis. Ubi porro natales, vel diem mortis alicujus illuſtris ac principalis viri tradit, aut ex iisdem petitum dicemus, ſi in tempora ea aetas eorum inciderit, quibus Acta fieri conſuevere, aut e matriculis, quibus publice Romanorum civium natales & mors conſignari ſolebant (***). Admirabilis eſt Romanae hiſtoriae ſcriptorum, Polybii ac Livii, diligentia in deſcribenda proelii cujusque magni & illuſtris acie, commiſſione, conflictu, progreſſu, variisque inclinationibus, ac denique eventu: quod, hiſtoria ſcribenda, non modo civilis, ſed etiam militaris artis ac prudentiae ſtudioſis conſulere volebant. Earum deſcriptionum igitur multas arbitror e literis petitas, quas Imperatores publice ad Senatum P. Q. R. mitterent, quarum exemplum eſt apud Ciceronem (****). Id ſecus eſt apud Graecae hiſtoriae ſcriptores, v. g. Thucydidem, qui quidem ipſe narrat, ſe ab ducibus res geſtas, atque adeo ea, quae dixi, accepiſſe. Nam apud Athenienſes tales literas ſcriptas ſervatasque eſſe non reperi.

X X V.

Atque etiam *modis loquendi ac ſcribendi*, apud diligentes ſcriptores, *diſcerni hauſta e talibus fontibus a ceteris, undecunque acceptis, poſſunt.* Tanquam, Suetonius in Nerone, cum rem certam ex literis ipſius Imperatoris retuliſſet, deinde ſtatim, aliam incertam additurus, ſcribendi genus mutat, atque, *dicuntur*, ait. Similis eſt Livii locus (*****). Cum narraſſet, ex annalibus haud dubie magnis, quid Conſul Paullus in Curia, concione, egiſſet, itemque de ejus, poſt Latinas, in provinciam profectione, addit: *traditum memoriae eſt, majore, quam ſolita, frequentia proſequentium Conſulem celebratum.* Quid Livius, hac veluti nota, *traditum memoriae*, addita, indicare voluit, niſi, non ex iis fontibus iſta ducta, ut eandem, quam ſuperiora, fidem

(*) §. 17. (**) Oth. 1. (***) v. Dodwell. Prael. Cambd. p. 185. (****) Ep. XV. 1. 2. (*****) XLIV. 22.

fidem mereantur? Atque his ſimilia multa in bonis hiſtoricis antiquis diligentes lectores animadvertent.

XXVI.

Sed illa ſcriptorum cum monimentis publicis contentio multas habet *cautiones*. Nam primo videndum eſt, ne conficta pro veris ac genuinis probemus, neve iis inducti labefactare conemur fidem ſcriptorum, quos alioqui ſcimus, publicis literis ac monimentis uſos eſſe. Accidit tale quid Suetonio (*), qui cum primum Caeſarem inſtituiſſe, ſcribat, ut Acta ſenatus fierent, ac publicarentur, Graevius, noto illo actorum ſenatus fragmento deceptus, Suetonii fidem, aut ſaltem integritatem, in dubium vocavit; cum illud fragmentum multa fraudis argumenta habeat. Illud ipſum potius admonere virum doctum debebat de fraude fragmenti, quod Suetonius, qui Acta ſenatus in manibus habuit, a Caeſare demum illa inſtituta dicat.

XXVII.

Quanquam etiam eſt, ubi ne vera quidem monimenta contra tales auctores ſunt audienda. Nam fieri interdum ſolet, ut, cum monimenta publica conficiuntur, aliarum rerum mentio injiciatur, quae ad id, quod conſignari debet, proprie non pertineant; quae ſane non ſtatim, fide publica tradita, debent videri. Extat etiamnum titulus antiquus, non ille quidem in arcu triumphali Titi, ut Balduinus (**) habet, ſed publice tamen ſcriptus, ob victos Judaeos captamque Hieroſolymam (***). In eo Titus dicitur Hieroſolymam deleviſſe, *omnibus ante ſe ducibus, regibus, gentibusque aut fruſtra petitam, aut omnino intentatam.* Id falſum eſſe, nemo dubitet, aut hinc fidei Joſephi, aliorumve, controverſiam moveat. Neque vero ea pars tituli auctoritatem monimenti publici poteſt habere, cum ad eam rem, quae tum acta & praedicanda erat, non pertineat, ſed tantum, ornandi facti cauſſa, per adulationem, acceſſerit. Itaque non debebat Balduinus hoc nomine ridere eos, qui Inſcriptionibus aliquid tribuant. Quanto

(*) Caeſ. 20. (**) Inſt. Hiſt. p. 68.

(***) Panvin. Faſt. L. V. p. 477. Grut. p. CCXLIV.

to rectius Palignefius (*) monet, in talibus literis, in edictis, diplomatibus, diſcernenda eſſe elogia, & ea, quae cum re ſumma non ſint neceſſario conjuncta, neque illo tempore geſta, a capite diplomatis, hoc eſt, ea re, quae tum recens acta conſignaretur: in eoque recte reprehendit ſtemmatis Carolino-Boici auctorem, qui, in aſſerenda Domus Bavaricae a Carolo M. origine, uſus erat decreto principum electorum, quo Ludovicus IV. Bavarus Imperator creatus eſt: in quo is a Divis Regibus ortus dicitur, quos Carolingos interpretabatur. Iſta vero honoris cauſſa, ut fit, ex vulgari aliqua opinione, addita, non ipſum decretum ejusque cauſſam continent, neque publicae fidei vim aſſequuntur, quam cetera, quae, de Ludovico legitime creato, dicuntur, jure obtinent. Quare, ſi in hoc monimentum publicum pugnet cum ſcriptore quodam, iniquum ſane ſit, monimenti publici auctoritatem ad fidem illius infringendam adhibere.

XXVIII.

Atque etiam genuina interdum monimenta, cum ſcriptoribus, publicam fidem ſecutis, pugnare videntur: idque hoc minus mirandum, quando ea ipſa interdum inter ſe videntur pugnare. Inter Auguſti numos reperiuntur, qui in nomine *patris patriae* vehementer cum nobili illa, de hoc nomine, inſcriptione pugnent (**). Nam in hac decretum SCto Patris Patriae nomen alligatur A. V. DCCLII. qui eſt Tribunitiae poteſtatis XXI. Numi autem extant ſuperiorum jam annorum, in quibus ei hoc nominis tribuitur. Sed, ut in his non ita judicant docti viri, ut alterum monimentum propterea ſtatim pro ſpurio reprobent, ſed eam diſſenſionem commoda, ſi poſſunt, interpretatione tollunt, ut in illo Spanhemius (***) & Perizonius (****) fecere: qua ratione etiam eadem illa inſcriptio cum altera, apud Gruterum (*****), quae anno Trib. Pot. V. Auguſtum jam Patrem P. appellat, conciliari poteſt, ſine emendatione Caſaubonia-

(*) Monit. Geneal. p. 215. (**) Grut. CXXXVI. 2. (***) T. II. de U. & P. N. p. 446. (****) Animadv. Hiſt. p. 313. ſeqq. (*****) CCXXVI. 6.

niana (*): ſic, cum monimentum aliquod genuinum pugnat cum ſcriptore, quem ſcimus e publicis literis ſcripſiſſe, non ſtatim aut ſcriptori fides detrahenda, aut monimentum vel emendandum, vel plane repudiandum, ſed videndum, ſi forte legitima interpretatione utriusque fides ſtabiliri poſſit. Exemplum e Suetonio petemus. Veſpaſiano patri & numi & inſcriptiones nomen Patris Patriae & Trib. Pot. ſtatim ab initio imperii tribuunt: Suetonius (**) vero utrumque ſerius ab eo receptum tradit. Hic magnopere erret, qui, ejus diſſenſus cauſſa, Suetonium non agnoſcat idoneum auctorem. Nam, in numis & inſcriptionibus, adulatio uſitata tribuit ei utrumque ſine decreto ſenatus, non ipſe ſibi adſcribit. Suetonius autem, verbis, *ſero recepit*, indicat, ſaepe utrumque delatum, tributumque, ut SCto fieret, ſero demum paſſum eſſe. Atque ita ſalva eſt Suetonii fides. Omnibus enim temporibus hic mos fuit, ut, quae Principibus vel deberentur, vel deberi putarentur, ea homines ipſis, vel pietatis, vel honoris cauſſa, tribuerent: etſi, proprie ſi vellent loqui, tribuere non deberent. Henricum aucupem paſſim a ſcriptoribus, etiam in chartis privatis, vocari *Imperatorem* legimus: Conradum I. etiam in nota inſcriptione Goslarienſi. In Diplomatibus contra ſuis Reges tantum ſe appellant: recteque judicat auctor Chronici Gotvicenſis (***), iſtum ſtilum oratorium eſſe magis privatorum, quam publicum aulicorum.

XXIX.

Ceterum, quam *difficile* ſit intelligere, an, & quae hauſerint ſcriptores e monimentis publicis, facile perſpicitur ex ipſo illo rei hujus judicandae modo, & cautionibus. Nam quanti laboris ac doctrinae eſt, quae traduntur, cum inſcriptionibus, tabulis antiquis, numis, diplomatibusque cujusque aevi, comparare? Si quis, ut hoc utar, de ſcriptoribus rerum, inde a Conſtantino M. ad Juſtinianum usque geſtarum, velit judicare, eorumque fidem examinare: praeter numos

(*) Ad Suet. Aug. c. 58. (**) c. 12.
(***) p. 118. 119. 144.

mos, Codicem utrumque, Theodoſianum & Juſtinianeum, totum debet cognoviſſe atque excuſſiſſe: quod quantae eruditionis, quantique laboris ſit, quis non intelligit? Quantae autem diligentiae eſt, in legendo agnoſcere verborum notas, quibus ſcriptores ea, quae publica fide tradita accepiſſent, a ceteris diſtinguant? Quanti porro acuminis putemus eſſe, utrum genuina monimenta ſint, nec ne, videre? quod eſt hominis longe doctiſſimi, & in arte critica exercitatiſſimi. Nam etſi fraus, in eo genere, haud facile ita callide tegitur, ut non veritas multa ſui veſtigia praebeat: tamen exempla doctiſſimorum virorum, neque ſolum veteris aevi, quo, ut ajunt noſtrae aetatis praecones, ars critica nondum ſatis erat exculta, ſed etiam recentioris, qui ſibi fucum fieri paſſi ſunt, tum diſputationes nuperae de diplomatum fide, ſatis arguunt rei difficultatem.

XXX.

Quae ſit fides literarum publicarum, eorumque ſcriptorum, qui iis in ſcribenda hiſtoria ſunt uſi, cum ſatis dictum videatur, jam ad alterum genus veniamus, quod erat eorum, *qui rem neceſſario ſciebant, & vere dicere volebant*, *eorumque, qui ab his ſumſerunt.* Ac primum quidem illud, qui rem neceſſario ſciant, nullam habet magnopere difficultatem. Planum enim eſt, eſſe hos, quos, conſtet, res geſſiſſe, feciſſe, rei geſtae praefuiſſe, aut conſiliis interfuiſſe ita, ut planiſſime cognoſcere totam rem potuerint. Neque enim ſimplex praeſentia in omnibus rebus ſufficit, ut eas penitus ſcias: tanquam in proeliis, iisque rebus, quae a pluribus, diviſis locis ac partibus, partitisque operis, geruntur: in quibus neceſſe eſt, ut praeſis conſilio ac poteſtate; unde fit, ut plures, qui eidem rei interfuerunt, non eodem modo narrent (*).

XXXI.

Scriptores vero iis, quae tradant, ita, ut diximus, affuiſſe, aut ab iſtis ſumſiſſe, qui rem recte ſcirent, pluribus ſignis intelligitur. Primum, ipſorum de ſe teſtimonio, ſi nulla idonea ſubſit ſuſpicio vanitatis. Ex quo genere eſt illud, quod Thucydides (**), ſe, dicit,

(*) Thucyd. I. 23. (**) I. 23.

dicit, narrare, quibus ipſe interfuerit, & ab aliis, quam potuerit accuratiſſime, inveſtigarit. Ex eodemque fonte Arriani, de rebus Alexandri ſcriptoris, fides ducitur; qui, ſe, dicit (*), ſua hauſiſſe e Commentariis Ptolemaei Lagi, & Ariſtobuli, ducum Alexandri: tum Joſephi, belli Judaici auctoris, cujus inſignis eſt, in libris contra Apionem (**), de fide ſua locus. Eadem res tenetur, cum ipſis alii idonei auctores ejus rei teſtimonia perhibent. Sed multum etiam in eo judicio valet rerum ipſarum natura, conſuetudines populorum, inſtituta, mores, legesque, tempus, ipſum, multa denique alia, quae facilius in ſingulis intelligi, quam univerſe commemorari poſſunt. Senatus, ut hoc utar, Romanus optime & certo poterat ſcire, quid eſſet in bellis actum, cum, ex Imperatorum literis, omnia referrentur ad Senatum. Neque eſt, ut, in eo fraudes facile interceſſiſſe, credamus. Nam in ipſo Senatu nemo erat omnino rudis rei bellicae, plurimi autem longe peritiſſimi, qui ipſi exercitibus praefuiſſent: quos fallere non ita facile erat, cum praeſertim literae etiam privatae ab exercitu Romam venirent, e quibus fraus cognoſci poſſet, nulla tum ſilendi neceſſitate propoſita. Neque credulus in bonam partem erat ſenatus: ſed, quacunque ſuſpicione fraudis oblata, legati rerum periti ad res inſpiciendas miſſi, a quibus vera acciperet (***). Ex quibus fit, ut, quemcunque ſciamus ſenatorem, aut pluribus ſenatorii ordinis familiarem fuiſſe, eum recte credamus, res bellicas illorum temporum ſcire potuiſſe. Belli Punici III. Hiſtoria Polybii fidem hinc ducit; fuit enim familiariſſimus Scipioni: Salluſtii Catilinariae conjurationis acta; fuit enim tum Senator: Sleidani porro hiſtoria in rebus, in Comitiis de religione, actis: fuit enim familiariſſimus Jac. Sturmio, qui iis adfuit legati nomine. Ac neſcio, an inde quoque ſtabilitatis aliquid accipiat, de Cyri hiſtoria, Xenophontis opus, majoremque Herodotea, de eodem Cyro, narratione. Xenophon res Cyri

(*) Proëm. L. I. (**) L. I. c. 9. 10.
(***) Liv. XLIV. 18. Appian. Pun. p. 60.

ri in Aſia geſtas potuit accipere ab Jonibus Aſiaticis, qui res Cyri non videntur ignorare potuiſſe, quod in illis regionibus aliquamdiu vixerat. Sed hoc ei eſt cum Herodoto, vicinae Joniae originis homine, commune. Xenophontem autem potiorem facere videtur illud, quod conſtat, eum familiarem Cyro Juniori, multisque illuſtribus Perſis, ejus partes ſequentibus, fuiſſe, a quibus multa de rebus ejus familiae diſcere potuit, forte etiam commentarios quosdam regios, quos diligenter confici ſolitos fuiſſe, ſupra vidimus, accepit, unde proficeret.

XXXII.

Sed difficile maxime & lubricum judicium merito cenſetur, cum quaeritur: *num rem vere ſcriptores, atque ita dicere voluerint, ut viderant, atque acceperant.* Tam inſtabiles enim variique ſunt animorum motus, ut in iis nihil certi conſtitui poſſit. Etenim interdum, inani aliquo timore, amore, aliove quo, alias probabili, motu impulſi, verum relinquunt, veri alias maxime amantes. Itaque, quae in hanc partem dicuntur, ut aliquis verum dicere voluiſſe putetur, ſaepe ultra levem probabilitatem non aſſurgunt. Eſt tamen in hoc judicio ratio alia ſubtilior tutiorque alia. Atque illa quidem omnium maxime fallax eſt, & prope tota repudianda, cum, e vulgaribus de hac re praeceptis, quaeritur, quam quis bonus vir, quam amans veritatis, fuerit? quanquam id non omnino, ſi certo, quod raro contingit, poteſt cognoſci, negligi velimus. Sed multo magis proderit, patriam cujusque, aetatem, formam reipublicae, in qua quis vixit, mores patriae, & alia ejusmodi in conſilium adhibere, ut certi aliquid ſtatuere poſſimus: de quibus hic pauca dicemus.

XXXIII.

Non tam ingenerantur hominibus mores, ut Cicero (*) ait, a ſtirpe generis ac ſeminis, quam ex iis rebus, quae ab ipſa natura loci & a vitae conſuetudine ſuppeditantur, quibus alimur, & veſcimur. Campani ſemper ſuperbi, Ligures duri & agreſtes, Carthaginienſes fraudulenti & mendaces reperti: ut, ſi Punicos Puni-

(*) Agrar. II. 35.

nicorum bellorum ſcriptores haberemus, vel patria eos ſuſpectos faceret. Quo magis mirandum eſt, nondum ab omnibus repudiatam eſſe Vayerii ſtultitiam, qui longe aliter de Punicis bellis nos exiſtimaturos, ſi Punicos de iis ſcriptores haberemus, putabat, fidemque Punicam, etiam proverbio infamatam, Romanae praeferebat. Temporibus porro aliis populus quidam integer eſt, & ſimplex, vanaeque gloriae contemtor: aliis omnia in contrarium mutata cernuntur. Itaque multum refert, videre, qui mores populi fuerint, ea aetate, quae rerum ſcriptores tulit. Recte etiam major habetur auctoritas eorum, qui dimidio ſeculo poſt res geſtas, quo tempore ardor animorum conquievit, ſcripſerunt, cum nihil ipſis eſſet metuendum, neminem haberent, quem odio atque ira proſequerentur, faciliusque ſibi a cupiditatis & amoris inſidiis caverent. Forma etiam civitatis ſcribentium animos mirifice in utramque partem afficit. Alia enim libertatem in ſcribendo extinguit, alia incendit: in alia naſcitur adulatio, in alia opprimitur. Populi potentes ac liberi fere ſunt in ſentiendo & dicendo fortes, veri amantes, neque quicquam fraudi, aut jactantiae tribuunt, quam virtus & vera potentia ſupervacuam facit: alii contra, vel diuturna ſervitute, vel quaeſtus amore, timidi, puſillis animis, nihil liberum ſpirantes, oſtentatores potius rerum magnarum, quam auctores. Atque, iſta quam vim in fidei judicio habeant, ad Romanos transferendo, videamus, atque ita Romanos, de ſuis rebus ſcribentes, adverſus recentiorum inanes criminationes, defendamus.

XXXIV.

Nempe Vayerius, aliique, qui veteres e noſtris, inprimisque Francicis moribus, fingunt, libenter Romanos ſcriptores, maximeque Livium, ita accuſant, ut, eum, dicant, res Romanas juſto plus augere, peccata autem & clades eorum occultare, hoſtium denique res praeclare geſtas verbis extenuare. Quae, ſi ad ea, quae diximus, exigantur, facile inaniſſima veritatis reperientur. Nam Livius, ut vidimus, ex monimentis publicis, eaque ubi deficerent, ex antiquis, fereque

reque aequalibus cuique rei, ſcriptoribus hauſit (*). Hi autem iis admodum ſcripſere temporibus, quibus nondum arrogantia illa & vanitas invaluerat. Non enim opus habebant jactantia, qui veris ſplenderent decoribus, iisque tantis, quantis, omnium confeſſione, nulla alia natio emicuit. Nondum occultandorum peccatorum, aut male geſtarum rerum cladiumque acceptarum, ſtudium invaſerat: ſed omnia peccata cladesque facile agnoſcebantur, publice praedicabantur, ferebantur etiam, atque condonabantur, cum facile emendari poſſent. Dicendi finem non reperiremus, ſi omnia ejus generis loca ex uno Livio vellemus commemorare. Itaque pauca attigiſſe ſatis habebimus. Primo, belli Gallici, in quo urbs Romana deleta eſt, cauſſam diſerte confert in Romanos legatos, eosque ferociter nimis & contra jus gentium egiſſe, fatetur (**). Quam candide deinde clades, & illo ipſo Gallico, & Punicis bellis, acceptas, & ipſe, & Polybius, item peccata Claudiorum, Scipionum, Semproniorum, Flaminiorum, Varronum, aliorumque referunt? Quid? non parem integritatem Livius, in bello Macedonico, quod cum Perſeo geſtum eſt, probat (***)? Quam abhorrens porro a noſtris moribus eſt ille candor, primo Romani ſenatus, quod, cum clades ad Lacum Thraſymenum permagna accepta eſſet, hominesque Romae, re per famam accepta, concurriſſent in forum, Praetor, non abigit homines tacere juſſos, aut rem minuit, ſed, juſſu ſenatus, progreſſus in tribunal, publice dicit (****): *Pugna magna victi ſumus*: deinde ducis Romani, Terentii Varronis, qui cladem, temeritate ſua acceptam ad Cannas, ad ſenatum planiſſime, nihil minuens, perſcribit (*****). Nec mirum, Duces ita candide fateri clades acceptas, cum nulla alia, niſi gloriae fortaſſe aliqua, jactura propoſita eſſet, aliis rebus reparanda. Poſt

(*) *Ego, praeterquam quod nihil hauſtum ex vano velim, quo nimium inclinant ferme ſcribentium animi, Fabium aequalem temporibus hujusce belli potiſſimum auctorem habui.* XXII. 7.
(**) V. 36. (***) XLI. 60. XLIV. 12. 13. 16.
(****) XXII. 7. (*****) XXII. 56.

Poſt calamitatem quidem Cannenſem Conſuli Terentio ex tanta clade, cujus ipſe cauſſa maxime fuiſſet, redeunti & obviam itum frequenter ab omnibus ordinibus eſt, & gratiae actae, quod, poſt tantam cladem, de republica, hoc eſt, bello contra Hannibalem porro gerendo, non deſperaſſet (*). Tantus Romanae civitatis animus erat! Nempe, hic quondam, ut idem Livius ait (**), Romanorum mos erat, in adverſis vultum ſecundae fortunae gerere, moderari animos in ſecundis: quod facere licet, in fiducia virium. In civitate ergo, quae tales animos habeat, quae ita ſe ſemper geſſerit, quid opus, res bene geſtas augere, adverſas minuere? aut quam gratiam ineat ſcriptor, ſi tale quid faciat? Qua autem re commiſiſſe Livium dicamus, ut, in Romanis rebus ſecundis adverſisque tradendis, nimium faviſſe patriae dicamus, quae talem favorem non deſideravit? Atque etiamſi ſub Imperatoribus ingenia, ut fit in imperio monarchico, ad adulationem inclinabantur, tamen nondum omnis illa antiqua gravitas oppreſſa erat, libertasque ſcribendi mediocriter ferebatur. Itaque vere libereque de ipſis imperatoribus, atque de ſtatu reipublicae ſuperiori, ſcribere licebat. Unde videmus, Imperatorum vitia & ſcelera ſumma integritate ac libertate a Tacito & Suetonio notari: Lucanum vero & Suetonium non vereri Pompejanas partes, quae libertatem defendiſſent, probare.

XXXV.

Sed ad aliud agnoſcendi veritatis ſtudii genus veniamus. Id tenetur *genere ſcribendi* & quidem *dupliciter*. Primo *ſimplicitate quadam, modeſtia & aequabilitate orationis:* quae exprimat & indicet animum, ab omni vanitate & cupiditate, odio, adulatione, aliisque, quae ſunt veritatis vel pervertendae, vel occultandae, liberum. Itaque in omnibus iis hiſtoricis, de quorum fide conſtat, Thucydide, Polybio, Livio, Suetonio, aliisque, haec orationis forma reperitur. Quod contra eſt in iis, qui oſtentationis cauſſa ſcribunt, aut animi cupiditatibus indulgent. Quare ſcriptores eos, qui in deſcriptionibus regionum, urbium, fluminum, in quibus flores orationis conſumi inprimis poſſunt, copio-

(*) XXII. extr. (**) XLII. 62.

pioſiores, ornatioresque ſunt, merito ſuſpectos habemus, judicamusque, eos majorem ingenii laudis conſequendae, quam veritatis, curam habuiſſe. Lucianus (*) quidem recte praecepit ſcriptori hiſtoriarum, qui fide dignus haberi probarique velit, ut tales res, ubi perſpicuitas deſideret, tantum attingat, earumque quaſi viſcum omni modo defugiat. Ex eodemque genere ſunt hi, qui rerum admirabilium commemorationem affectant: quod ea quoque res ad voluptatem magis, quam veritatem & utilitatem legentium pertinet. Neque veritatis ſtudium agnoſcimus in iis, qui in laudando, reprehendendoque copioſi ac vehementes reperiuntur, eosque amorem, adulationem, odium, iramque potius ſecutos putamus. Itaque vel ex hoc intelligitur, Velleji in rebus Tiberii adulatio, & veritatis neglectus, quod ab illa ſimplicitate, quam in reliqua operis parte reperimus, ad res Tiberii delatus, diſcedit, & laudes ejus oratorie perſequitur. Theopompus vero, quod in reprehendendo vehemens & creber eſſet, judicatus eſt, accuſare potius, quam narrare: etiamſi conſtabat, multum pecuniae in veritate inveſtiganda conſumſiſſe (**). Hinc etiam Dioni, in rebus Ciceronis, parum fidei tribuimus, quia accuſatorio ſaepe ſcribendi genere utitur: eandemque ob causſam Zoſimi & Epiphanii fides ſuſpecta eſt, quod ille in rebus Chriſtianorum, hic autem in haereticorum placitis commemorandis, acerbius, & reprehendentis magis, quam narrantis more, ſcribit.

XXXVI.

Sed veri dicendi ſtudium agnoſcitur etiam *diligentia quadam in ſcribendo*: cujus haec eſt ratio, ut verbis, & modo narrandi, diſcernantur certa ab incertis, & fama tantum acceptis: quae diligentia, ut ſupra demonſtravimus, agnoſcitur in Suetonio; qui modo loquendi eo utitur in narrationum initiis & clauſulis, ut ex ipſis verbis certa ab incertis diſtingui poſſint. Simile eſt illud Livii (***), quum poſt tradita e literis publicis, alia relaturus minus certa, ita incipit narrationem: *traditum*

(*) De ſcrib. Hiſt. c. 57. (**) Lucianus de ſcrib. Hiſt. c. 59. & ibi Solanus. (***) XLIV. 22.

traditum memoriae eſt: cujus generis permulta ſunt apud eundem. Arrianus (*) porro, commemorata re, certis auctoribus comperta, additurus incertae rei narrationem, Ταῦτα μὲν, inquit, Πτολεμαῖος καὶ Ἀριστόβουλος. λόγους δὲ ἔχει &c. *traditur vero* &c. & tandem: καὶ ταῦτα ἐγὼ, οὐχ ὡς ἀληθῆ, οὔτε ὡς πάντῃ ἄπιστα, ἀνέγραψα. *Atque haec ego non pro certis, ſed non omnino incredibilibus, commemoravi.* Atque ut intelligatur, quantum interſit inter diligentiam iſtam, & aliorum in eo genere negligentiam, Diodorus Siculus (**) eandem rem pro certa tradit.

XXXVII.

Qui rem neceſſario ſciunt, aequales ſunt rei geſtae temporibus: omninoque *aequalibus omnibus eſt commune, ut potuiſſe res geſtas ſcire* videantur. Inde fit, ut multi in univerſum ſummam fidem tribuant ei ſcriptorum generi: in quo magnam inſcitiam produnt. Neque enim ad fidem faciendam ſimplex & univerſa poſſibilitas ſufficit, qualis eſt iſta, quae ab ſola temporis aequalitate ducitur. Atque ſi ea ratio valeret, ut aequales ſcriptores, qua tales, in omnibus rebus fide dignos putare liceret, interdum in iis quoque rebus fides ipſis tribueretur, quarum cognoſcendarum nullam idoneam ipſis fuiſſe facultatem pateat. Qua de cauſſa anguſtius cohibendum eſt illud de aequalibus ſcriptoribus praeceptum, intelligendumque, ejus vim omnem eſſe metiendam iis, quae ſupra de fide dignis auctoribus praecepimus. Nempe, ut a monimentis ac literis publicis diſcedamus, ſi aequales rerum auctores erunt tales, quos conſtet, rem aut ipſos geſſiſſe, aut rei geſtae interfuiſſe, ut cognoſcere planiſſime poſſent, quique adeo neceſſario verum ſciant, verbo ii, quos ſupra (***) deſcripſimus, aut qui ex his, monimentisve publicis (****) didicerint: de iis valet utique praeceptum, ſed ex iis, quae ante demonſtrata ſunt: neque in his tam aequalitas temporis, quam neceſſitas ſcientiae, ſpectatur.

XXXVIII.

Maxime autem in hoc genere videndae ſunt res ip-

(*) L. II. p. 114. 115. (**) L. XVII. p. 510.
(***) §. 31. (****) §. c.

ipſae, earumque communis natura. Multae enim res, quibus de cauſſis ſuſceptae ſint, quomodo, quibusve artibus, tractatae, quomodo geſtae, quemque adeo eventum habuerint, non vulgo ad omnium ſcientiam pervenire ſolet. Quaedam autem ſunt ejusmodi, ut earum ſcientia omnibus, qui eadem in republica vivant, communis eſſe ſoleat, eaeque propemodum non poſſint ignorari: cujus generis ſunt, principes, eorumque nomina, conjuges, liberi, habitus corporis, quotidiana vivendi conſuetudo, bella ſuſcepta, eorum univerſorum eventus, aliaque ſimilia his. Jam, quis non intelligit, in illo rerum genere parum ad fidem proficere, qui aequalitatem auctoris in ſe laudent, & reliqua illa, quae diximus, accedere debere? tum, aequalem earum rerum ſcriptorem non eſſe majoris auctoritatis, quam qui poſteriori aetate vixerit, ſi conſtet, hunc e monimentis publicis ſua hauſiſſe, aut ex aliis idoneis ſcriptoribus? In altero vero rerum genere, eſt profecto confitendum, hac ipſa de cauſſa, quod aequales ſint ſcriptores, ſi nihil ſit, quod ſuſpicari faciat, verum dicere noluiſſe, quod rariſſimum eſt in eo genere, dignos fide putari debere, eosque praeferendos eſſe poſterioribus ſcriptoribus, qui tales res de fama ſcripſerint.

XXXIX.

Saepe autem accidit, ut ea, quae diximus, fidei ſigna aut non compareant, aut ambiguitatis aliquid habeant. Id cum fit, ſolet etiam conſuli *natura ipſarum*, quae traduntur, *rerum*, atque inde repetitur vel confirmandae, vel evertendae fidei ratio. Hunc locum Palignefius quoque in diſputatione (*), de diſſenſionibus ſcriptorum judicandis, attigit, ſed non ſatis tamen accurate, minus certe abſolute tractavit. Itaque non poenitebit, de hoc capite explicatius agere.

XL.

In hoc ergo poſſibilitatis judicio, relictis omnibus, cavenda eſt, & penitus repudianda Philoſophorum, uti ſe vocant, quorundam, inprimisque Vayerii, Bae-lii-

(*) p. 34. l. c,

liique temeritas ſumma, qui, quicquid vulgaribus philoſophiae praeceptis, aut potius opinionibus ſuis, aut noſtris moribus, non ſatis convenire deprehendunt, id ἀδυνάτων numero cenſent, pro fictoque repudiant, etiamſi certiſſimis literis ac monimentis ſit teſtatum. In quo ita jejuni ſaepenumero reperiuntur, ut ſatis ridere non poſſis. Sed pluribus hoc genus confutare non eſt neceſſe, cum egregie jam a Perizonio ſit factum (*). Baelius quidem traditur, paullo ante mortem, ſcripſiſſe libellum, quo oſtenderet pluribus rationibus, fieri non poſſe, ut verum ſit, Francicas apud Hochſtadium copias victas eſſe. Is libellus, ſi de vera Baelii ſententia ſcriptus fuit, ridiculus ſane merito videatur; ſin ingenii modo exercendi gratia, habet iſta quidem res plus excuſationis: ceterum intelligitur certe, ſi quis velit ratiunculis quibuscunque moralibus & politicis, in hoc judicio, confidere, nihil eſſe tam certum, quod non labefactari, convellique, & ad ἀδύνατα redigi poſſit.

XLI.

Sed age, *praecepta* proponamus, ad quorum normam *poſſibilitatis* judicium dirigatur. Primum itaque *res*, de qua quaeritur, *cum eo genere rerum, cui ſubeſt, comparetur, ut videamus, an ejus indoli repugnet, nec ne. Genus* autem intelligendum eſt, non univerſitate philoſophica, ſed paullo craſſiori, in qua etiam cujusque populi indolis, temporum, locorum, morum, legum, inſtitutorumque ratio habeatur, ſine quibus hoc genus cauſſarum nullo modo, nec intelligi, nec judicari poteſt. Neque enim in talibus causſis quaeritur de poſſibilitate rei univerſae, ſed rei certae, quae certis temporibus, locisque accidiſſe dicatur. Exiſtetque hoc, ut quaeratur, an res habeat ea, ſine quibus intelligi, tali tempore ac loco, non poſſit.

XLII.

Sed in judicio, ad hujus praecepti rationem, faciendo, plurimum juvabit experientia, atque uſus, unde notentur & colligantur ea, quibus genus quodque ſingulis aetatibus ac locis conſtituitur. Id adjumen-

(*) Or. de Pyrrhoniſmo hiſtor. p. 141.

mentum, ſi vel noſtra, vel temporum culpa, deſit, in locum ejus ſuccedat ſcientia hiſtorica, quae eſt uſus & experientiae vicaria, inprimis in rebus antiquioribus, quarum uſum habere nullum, niſi ex hiſtoricis, poſſumus. Sed ſcientia illa, quam diximus, hiſtorica debet eſſe ejusmodi, ut, quibus quaſi partibus res quaeque contineatur, teneamus. Valde etiam ad hanc judicandi facultatem acuet nos diligens lectio eorum, qui criticas in hoc genere diſputationes ſcripſere: non illi quidem ex illo Vayeriano & philoſophico genere, ſed, qui iis, quae diximus, adjumentis ſublevati, ad facultatem eleganter de talibus rebus judicandi pervenerunt.

XLIII.

Sed ſuperiori illi praecepto quodammodo conjunctum eſt alterum, ut *rem, in diſceptationem adductam, cum reliqua rerum ſerie comparemus, atque, num ei conveniat, nec ne, videamus. Series* autem *rerum*, cujus eſt ea, de cujus poſſibilitate quaeritur, veluti articulus, duas quaſi habet partes, quibus illud membrum utrinque aptum eſt, & nexum. Altera pars ineſt in rebus antegreſſis, in quibus quaſi ſemina rei latent, ac cauſſae. Sed ea pars plerumque habet plurimum obſcuritatis, eaque judicium hoc valde lubricum facit: propterea, quod ſaepe parvis momentis maximae ac vix credibiles inclinationes fiunt. Major vis eſt in parte ſeriei altera, quae rem propoſitam eſt ſecuta, & ineſt in eventis, quae rem quamque conſequi ſolent. Ea ſi non repugnent, res poſſibilis: ſi contra ſit, ἀδύνατον recte judicatur. Rudolphus I. Italicis quibusdam civitatibus libertatem dicitur vendidiſſe. Id Palignefius (*) recte judicat eſſe confictum, quod eae Adolpho, ſucceſſori, tributum reperiantur ſolviſſe. Eadem ratione de pugna, inter Henricum V. & Romanos, ad Romam, commiſſa, judicatur. In hac enim Chronicon Caſſinenſe, atque inde Baronius, Romanos victores diſceſſiſſe tradunt. Abbas Urſpergenſis autem, & Domnizo, in vita Mathildis, aliique, Romanos victos eſſe dicunt. Utris igitur

(*) p. 312.

tur erit habenda fides? Eventis ſcilicet conſideratis, quis verum dixerit, intelligetur. Atqui reperimus, Papam e vinculis, a pugna illa, liberatum non fuiſſe, atque adeo, libertatis causſa Imperatori Jus inveſtiendi Clericos, ut vocant, conceſſiſſe: quae repugnant victoriae Romanae, eaque, faciunt, ut ἀδύνατος judicetur.

XLIV.

Permagnum etiam, ac prope dicam maximum, momentum *Chronologicae rationes* faciunt. Earum enim tanta vis eſt, ad verum conſtituendum & refellenda falſa, ut, quae iis conſentiant, non modo poſſibilia, ſed etiam certa, quae repugnent, ἀδύνατα & falſa recte judicentur (*). Livius quidem, hoc uno argumento, recte refellit eorum ſententiam, qui Numam Pythagorae auditorem faciant. Recte itaque Torrentius (**) negat fieri potuiſſe, ut Tiberius Galbae, puero, dixerit: καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ, etiamſi omnes, praeter Suetonium, tradant, cum temporum ratio doceat, Galbam, ante Tiberii principatum, pueritiam egresſum fuiſſe, Suetoniumque potius audiendum, qui dictum illud Auguſto tribuat. Satis, de fide, e rerum natura cognoſcenda, dictum: ad alia veniamus.

XLV.

Multum porro in fide judicanda valere putatur, *ſcriptorum inter ſe conſenſus atque diſſenſus*. Sed de hoc quoque judicandi genere non ſatis circumſcripte, ne a Paligneſio (***) quidem, praeceptum cognovimus. Non autem ii ſumus, qui negemus, ſcriptorum conſenſum interdum fidem rei facere, diſſenſumque minuere: ſed falſiſſimum eſt, eam regulam univerſe ac ſimpliciter valere: neque ullo modo audiendus Paligneſius, cum conſenſum, inprimis aequalium rebus ſcriptorum, efficere dicit, ut vere res tradita putari debeat, diſſenſum contra, ut incerta judicetur, diſſenſum autem poſteriorum, ſcriptorum ab aequalibus tempori ei, ad quod

(*) v. Pagius in Praef. ad Crit. Bar. & Dodwellus praef. ad Prael. Cambd. p. 5. 6. (**) ad Suet. Galb. c. 4. (***) Monit. Geneal. p. 32.

quod res pertineat, nil obeſſe fidei. Falluntur ergo, qui huic praecepto confiſi, Livium v. c. in iis tantum rebus fide dignum cenſent, in quibus ejus cum ceteris earundem rerum ſcriptoribus conſenſus demonſtrari poſſit. Idque adeo ex iis, quae ſupra ſunt conſtituta, facile poterit intelligi. Nam, quis non videt, ſi unus rem tradat, ſive aequalium, qui rem neceſſario, &, uti geſta erat, ſciebat, & literis conſignabat, aut, in quem conveniant cetera ſigna rei, quam neceſſario ſciebat, vere traditae, ſive poſteriorum, qui aut ex illis ipſis, aut eorum monimentis publicis privatisque, acceperit, ei neque conſenſum, neque disſenſum ceterorum, vel detrahere, vel addere fidem poſſe. Tanquam, cum conſtet, Polybium ea, quae de bellis Punicis I. & II. tradit, e monimentis publicis maximam partem; quae autem de tertio habet, ex ipſo Scipione, ejusque commentariis, accepiſſe, aut ipſum vidiſſe, ea certa putabuntur, etiamſi omnes alii diſſentiant. Atque haec *prima* hujus loci *lex* eſto.

X L V I.

Secunda haec eſt: Si plures in aliqua re conſentiant, aliter autem tradat unus ex iis generibus ſcriptorum, quos prima lege deſcripſimus, nihil eorum conſenſus valebit. Res manifeſta eſt ex iis, quae ſupra dicta ſunt (*).

X L V I I.

Tertium praeceptum hoc ſit. Si poſterioris temporis unus rem tradat, qui aut e literis publicis, aut ex iis hauſerit, in quos cadunt §. 31. ſeqq. dicta, plurimorum aequalium, qui non ſint ejus generis, conſenſus nihil contra ejus fidem valebit, multo minus conſenſus non aequalium, aliter tradentium. Unde intelligitur, ſi Livius aliquid tradat, quod aliter referant Plutarchus, Appianus, Florus, hique maxime conſentiant, tamen Livii fidem non infirmari, neque, ſi conſentiant, augeri. Nam, Plutarchum, ſatis conſtat, linguae Latinae inſcitia monimenta Rom. publica, aut qui ex his hauſiſſent, ſcriptores, conſulere non potuiſſe, ſed e Graecis ſumſiſſe omnia, neque ſatis

(*) §. 11.

ſatis diligentem in veritate exquirenda fuiſſe. Appianum autem omnes, qui diligenter intelligenterque legerunt, cognoverunt ineptum Graecorum, inprimisque Plutarchi, compilatorem, quem etiam interdum ita deſcripſit, nominatim in Syriacis, ut, aut non intellexiſſe, aut feſtinantiſſime ſcripſiſſe, appareat. De Floro ne dicere quidem attinet: adeo notum eſt, hominem ſtudioſiorem frigidis acuminibus captandis, quam hiſtoriae ex idoneis fontibus tradendae, fuiſſe.

XLVIII.

Hoc quoque perneceſſario veriſſimeque praecipiemus: ſi plures ſcriptores, quamvis aequales, ſed non e generibus primis (*), neque de rebus iis, quas ſupra diximus (**) h. e. quae ad omnium aequaliter ſcientiam perveniant, ſi talium igitur plures conſentiant, nihil prodeſt, aut valde parum, conſenſus, plurimum obeſt diſſenſus. Nam etiam in errore plures conſentire poſſunt: diſſenſus autem indicat, rumores varios fuiſſe, & ita quemque, ut auditione acceperit, tradidiſſe.

XLIX.

Sed, ſi aequales auctores conſentiunt in tradendis rebus iis, quae, cum accidunt, latere non poſſunt, ſed ad omnes promiſcue, pari perſpicuitate, dimanant, illo ipſo conſenſu res eae fiunt certiores, poſteriorumque diſſenſus aut nunquam, aut rariſſime, oberit.

L.

Contra, ſi poſteriorum ſcriptorum quamvis conſentiant permulti, in rebus ejus generis, unus autem aequalis aliter tradat, nil efficit illorum conſenſus, plurimum hujus diſſenſus valet: niſi, ſi pareat, poſteriores illos ex aequalibus ſumſiſſe, iisque magis idoneis eo, a quo diſſentiant.

LI.

Omnino tenendum eſt, *conſenſum & diſſenſum per ſe, in neutram partem, aliquam vim habere poſſe*, ſed accipere omnem a rerum natura, conſentientiumque vel

(*) §. 11. (**) §. 38.

vel diſſentientium auctoritate: quae judicatur rebus iis, quas ſupra demonſtravimus.

L I I.

In fidei autem praeceptis non modo hoc eſt, ne quid dicatur, quod non ſit factum, neve ſecus, quam factum ſit, de eoque judicando a nobis eſt dictum, ſed etiam, ne quid veri non dicatur. Atque id eſt fundamentum vulgaris praecepti, cum dicunt, ea, quae in ſcriptoribus aequalibus, aut mox ſecutis, non reperiantur, ea conficta a poſteriori aetate videri: eoque cum, in fide rei convellenda, utuntur, *inficiale argumentum* appellant. Sed id univerſe ſumtum nullo modo poterit probari. Quam multa enim, vel per negligentiam, vel alia qua de cauſſa, literis non conſignantur? Quam multa autem poſterior demum aetas ex tenebris producit? quae conciderent omnia, ſi hoc praeceptum conſtitui ac valere pateremur. Sed res eſt ita manifeſta, ut multi, ejus alioqui auctores ac defenſores, agnoſcant. Launojus (*) quidem, Papebrochius (**) & nuper Palignefius (***) his finibus circumſcribunt, ut in rebus tantum majoribus atque illuſtribus locum habeat; eaeque, ſi a ſcriptoribus aequalibus ſileantur, pro fictis repudientur. Sed ne ſic quidem mihi videntur eam rationem juſtis limitibus coërcuiſſe. Nam, ut alia taceam, quis non videt, potuiſſe intercidere ſcriptores, in quibus res tradita eſſet. Quam multa, eaque maxime illuſtria, ab uno tantum ſcriptore prodita reperimus? Unus, ut hoc utar, Julianus in Epiſtola ad S. P. R. Athenienſem (****), tertii fratris ſui mentionem facit, itemque ſororis, Conſtantio ante Euſebiam nuptae, qui propterea vulgo in ſtemmate Conſtantini omittuntur. Si igitur, aut tota illa epiſtola, aut illa pars interiſſet, ſane de re perilluſtri ſilentium omnium ſcriptorum eſſet. Porro, unus Gregorius Nyſſenus memorat Gratianum Theodoſii Magni filium, ante patrem, mor-

(*) In animad. ad Thierſi diſſ. de argumento inſiciali.
(**) In Propylaeo ad Act. Sanct. T. II. Apr.
(***) p. 243. l. c. (****) pag. 270. 272. Edit. Lipſ. ad quae Petavius.

mortuum, in oratione funebri in Placillam: unde vulgo ignoratus, ne a Cangio quidem, in familiis Byzantinis, commemoratur. Quod ſi iſta oratio intercidiſſet, haberemus ſilentium de Gratiano. Reſtat igitur, ut ejus argumenti uſus diligentius definiatur.

LIII.

Ego autem ſic exiſtimo, ſi ab aequalibus ſcriptoribus nulla mentio facta ſit rei ejusmodi, quae neceſſario ad omnes perveniat, cujus generis quae ſint, antea demonſtratum eſt, quamque adeo, nullo modo propter celebritatem ignorare, e conſilio ſcribendi autem praeterire non potuerint, eam pro ficta rejiciendam eſſe. Haec duo igitur diligenter ſunt videnda. Sed maxima vis eſt in altero, h. e. in neceſſitate narrandi, cujus demonſtratio plerumque difficilis reperitur. Nam in hoc genere neceſſitatis videndo alius aliter movetur: neque omnibus, ſive potius paucis, hoc datum eſt, ut, quid in quaque re conſilium deſideret, quid neceſſarium dictu ſit, nec ne, intelligant. Itaque apparet, rationem iſtam cadere tantum in ſcriptores elegantis judicii, qui dilectum rerum habere ſciant, in Thucydidas, Polybios, hisque ſimiles. Sic, ſi Suetonius Imperatoris alicujus liberos narraturus, non haberet, quos poſteriores traderent, recte eo argumento uteremur. Eleganter etiam, & loco, dicemus uſum eſſe Borghinum (*) ad convellendam fabulam de libertate Florentinis a Rudolpho vendita, cum e ſilentio Alberti Argentinenſis colligit, eam rem eſſe commentitiam. Narrat enim diligenter iſte Albertus res geſtas Rudolphi, atque inprimis donationes Pontifici ab eo factas: hujus vero tam illuſtris & ad illum locum maxime pertinentis rei plane nullam mentionem injicit. Eademque ratione inauguratio Lotharii II. Mediolanenſis, ob ſilentium aequalium, maxime autem Landulfi, qui Lothario ubique comes adfuit, ficta recte putatur a Pagio (**) & Ant. Saxio (***) V. C.

LIV.

(*) In Diſcorſo ſe Fiorenze ricompro la liberta da Rodolfo Imp. p. 319. Palign. p. 309. (**) Ad a. 1134. n. 14. (***) In not. ad Landulf. p. 519. col. 1.

L I V.

Sed ne ſic quidem iſtud argumentum in omnibus rebus conſiſtit. Itaque addamus etiam hoc, ut pareat, ſcriptores nullas idoneas ſilentii, ſed graves potius commemorandi cauſſas habuiſſe. Quod non viderunt ii, qui v. c. in illa, de Joanna Papiſſa, fabula refellenda hac ratione ſunt uſi. Nam in ea cauſſa non ſufficiunt iſtae duae conditiones: propterea, quod Latini ſcriptores, qui eam rem ſilent omnes, Romanae Eccleſiae cum fautores eſſent, rei tacendae graves cauſſas habuerunt: quanquam Palthenio (*), ex eo, quod multi tum omnia Pontificum facinora prodiderint, aliter videtur. Quod ſi vero, ex Allatiana (**) ratione, addas, ſilentium Graecorum ſcriptorum aequalium, quibus graves ejus rei commemorandae cauſſae fuere: tum vero demum rem confeceris, vimque juſtam ea argumentatio habebit.

(*) apud Schelh. T. IX. p. 818. Am. liter. (**) Συμμίκτοις L. II. pag. 415. & apud Schelh. Am. Litt. T. IX. p. 779. ſeqq.

D E

PRO FABII FIDE ADVERSUS POLYBIUM.

Fides hiſtoricorum interdum judicari non poteſt, niſi natura rerum ipſarum conſulatur: qua cognita, intelligi poteſt, ſi non veritas rei narratae, at vanitas narrantis. Etenim, etſi, quae res fieri potuerunt, non ſtatim verae debent putari: tamen, quae repugnantiae aliquid habent, in fictis jure numerantur. Itaque in fidei judicandae praeceptis recte hoc ponitur, ut rerum traditarum natura excutiatur: in eoque praecepto hiſtoriae ſtudioſis commendando inprimis frequens eſt Polybius, hiſtoricus inprimis probatus, ita de eo diſputans, ut ei haud dubie in eo praeceptorum genere principatum tribuat (*). Reprehendit enim eos, qui narrantem potius, quam res narratas ſpectent, &, cum ſcriptorem videant aequalem rebus traditis, ſenatoremque Romanum fuiſſe, quicquid ab eo dictum ſit, ut fide dignum ſtatim arripiant. Idque ad Fabium, hiſtoricum Romanum, ita transfert, ut ejus quidem fidem non aſpernetur: quomodo enim? cum omnes, nominatim Dionyſius (**), elegantis judicii ſcriptor, eum accura-

(*) L. III. c. 9. (**) Ant. R. VII. p. 415.

ratiſſimum rerum Romanarum auctorem praedicent: ſed tamen tanti fieri nolit, ut lectores ab ejus potius auctoritate, quam rerum natura, judicandi rationes habeant ſuſpenſas.

Sed utinam ea praeceptio aeque facile ad uſum poſſet transferri, ac veritas ejus intelligitur! Nunc ratio haec tantum & experientiae, vel hiſtoricae ſaltem ſcientiae, & judicii exercitationisque, deſiderat, in iis rebus, quae per ſe nihil abſurdi habent, ut omnium difficillima merito debeat putari. Sed eam maxime lubricam mihi facere videtur hoc, quod in ea ſunt quaedam permagnae & efficaces temeritatis illecebrae. Nam quanto majorem ingenii, acuminis, & doctrinae ſpeciem atque opinionem affert, tanto ſolent eſſe homines ejus uſurpandae ac frequentandae appetentiores. Eſt enim ita comparatum, ut nihil dulcius videatur ingenii vel laude, vel domeſtica opinione, neque quicquam ſit, quod hac laude aegrius homines, vel ſibi negari, vel aliis tribui, ferant. Itaque fit, ut, dum eam nimis ſtudioſe captant, facile in rebus quamvis planis ac certis argutentur, earumque veritatem temere convellere inſtituant.

Ac neſcio, an id interdum acciderit Polybio, ſummi rerum uſus, ingenii, doctrinaeque homini, ſed Graeco tamen, & qui, vel a philoſophorum ſcholis, vel a docendae juventutis Romanae conſuetudine, vel a ſenectute, vel aliunde aliquid hujus vitii trahere potuit: praeſertim, cum in reliquiis hiſtoriae catholicae alia quoque reperiantur, Graecam & ſcholaſticam loquacitatem redolentia, digreſſiones, philoſopho umbratico, quam hiſtorico pragmatico, digniores: qualis eſt, ut e pluribus unam commemorem, illa, cum, profeſſus, ſibi curae fuiſſe, ut a perſpicuo & certo principio hiſtoria ſua duceretur, philoſophatur pluribus, ſuper vulgari dicto, quod, qui bene coeperit, eum totius dimidium habere, ait (*). Ego quidem, qui plurimum, uti debeo, Polybianae auctoritati tribuo, tamen, in quibusdam ejus diſputationibus, quae rerum fidem ad ipſarum naturam exigunt, nondum mihi potui perſuadere, ut ejus ſententiae me adjungerem

(*) V. 32.

rem (*). In his eſt inprimis ea, in qua Fabii, de belli Punici ſecundi cauſſis, ſententiam refellere conatur. Contra eam, quae mihi venerunt in mentem, explicare inſtitui: quod me ſpero, etiamſi errem, tamen hoc excuſatius eſſe facturum, quo ſaepius ipſe contra nobiliſſimos quosque ſcriptores antiquos diſputat: quod interdum prope contumelioſe facit (**): veluti cum Platonem, Xenophontem, Ephorum & Calliſthenem reprehendit, quod Spartanorum & Cretenſium civitates legibus inſtitutisque ſimillimas dixerint fuiſſe, inter quas ſumma diſſimilitudo interceſſerit: in quo ille manifeſte temporum diverſorum confuſione labitur, ut ex Ariſtotele (***) intelligi poteſt.

Accuſat Polybius (****) Fabium, quod Romanis plus juſto faveat, patriaeque amore inductus, eorum res bello geſtas, etiam contra veritatem, interdum augeat, idque ſe locis ſuis dicit demonſtraturum. Ii loci quoniam periere, non licet nobis, verene hoc in Fabium contulerit, judicare. In primis quidem quinque libris, qui nobis integri reſtant, cum hiſtoriam belli Punici II. usque ad pugnam Cannenſem exponat, tamen nullum tale exemplum ab eo prolatum habemus. Praelii autem ejus, quod ad lacum Thraſymenum commiſſum eſt, cladem a Romanis acceptam ita, ut e Livio (*****) diſcimus, deſcripſit Fabius, ut nullo modo eam minuerit, planeque eum ſequatur Polybius (******).

Ex alio genere eſt locus is, ſuper quo nobis animus eſt diſputare, Fabii defendendi cauſſa. Res autem ſic habet. Fabius dixit, cauſſam belli Punici ſecundi

(*) III. 8. (**) VI. 43. 4. (***) De Rep. II. 9. Obiter monebimus ap. Polybium cap. 43. pro τὰ περὶ τὴν τῶν διαφόρων τίμησιν legendum eſſe κτῆσιν, ut contextus & res ipſa planiſſime docent. (****) I. 14. (*****) XX. 7. (******) III. 84. 85. Quoniam de Fabio ſermo eſt, non alienum erit Polybianum de Fabiis Maximis errorem notare: quos ille ait hoc cognomen duxiſſe a Cunctatore Fabio, III. 87. διὰ τὰς ἐκείνου τοῦ ἀνδρὸς ἐπιτυχίας καὶ πράξεις. In quo diſſentit Plutarchus in Fabio, init. qui id cognomen primum tuliſſe Rullianum tradit, a quo quartus fuit Cunctator. Recte. cf. Liv. IX. extr. & Faſtos Capit. a. CCCCXXI.

di fuiſſe non modo Sagunti excidium, ſed etiam Asdrubalis avaritiam & dominandi cupiditatem: eum enim in animo habuiſſe, ſtatum reipublicae Carthaginienſis convellere, ſummamque poteſtatem ad ſuum unius arbitrium revocare: huic ita ſucceſſiſſe Annibalem in imperio exercitus Hiſpanici, ut eam cupiditatem, velut hereditate ab illo acceptam, retineret: itaque bellum etiam hoc ſuſceptum eſſe ab eo, inconſultis Carthaginienſibus atque invitis; neminem enim fuiſſe Carthagine, qui quidem aliquo loco eſſet, quin improbaret Annibalis in Saguntinos injuriam. Haec Polybius adeo, judicat, eſſe a re & ratione abhorrentia, ut neminem putet futurum, quin auctoris vanitatem agnoſcat, eaque pro falſis repudiet. Tum e rebus ipſis ſumtas quaeſtiones proponit, ad quas nihil reſpondere Fabium ait potuiſſe: unde colligit, iſti narrationi rerum naturam repugnare. Ego vero primum fateor, me non ſtatim agnoviſſe, cum iſta legiſſem, Fabii levitatem: deinde vero me puto habere, quae ad quaeſtiones propoſitas non improbabiliter reſponderi poſſint.

Ac, primum, hoc mihi & naturae meae, & rei ipſius aequitas perſuaſit, ut, ſi quid dictum reperiam a viro notae prudentiae, & in eo rei genere multum ſtudio & uſu verſato, quod vehementer videatur abhorrere, ſuſtineam me, ac mihimet diffidam ipſe. Itaque fere inclinor in eam partem, ut, quomodo ſublevari ejus auctoritas poſſit, quaeram. Quod mihi, quoties in illum Polybii locum incidi, uſu venit. Fuit enim Fabius, id quod ſatis conſtat, Senator Romanus, virque inprimis prudens, & in rebus geſtis, cum cognoſcendis, tum tradendis, diligens: aequalis praeterea temporum, quibus bellum Annibalicum geſtum eſt. Unde fit, primum, ut rem, de qua quaeritur, ab ipſis Carthaginienſibus, qui Romam veniſſent, cognoſcere potuerit. Quibus ſi Fabius credidit, aequo ſane Polybio facere potuit: quando & ipſe (*), quae Carthaginienſes de Annibalis avaritia tradiderant, fide digna judicat, non, quod res ipſa

(*) Exc. Peireſc. L. IX. p. 1385. ed. Gron.

ipſa ſuaderet credere, ſed quod Carthaginienſes hominis mores optime noſſe potuiſſent. Sed, cum omnibus Romanis, praeſertim autem Fabio, ſuſpecta eſſet Punica fides, facileque ſuſpicio moveretur tali viro, ut ea, culpae a ſe avertendae, in Annibalemque transferendae, cauſſa, fingi a victis viderentur; non ſit credibile, eum credidiſſe, ac prodidiſſe rem, a Carthaginienſibus acceptam, ſi res, inprimis eae, quas Polybius affert, quasque Fabius ignorare nullo modo potuit, ei tantopere repugnarent, ut, quemadmodum Polybius ait, unusquisque repugnantiam animadvertere poſſet. Redit igitur res eo, ut videamus, an liberari Fabii narratio a repugnantia poſſit. Id efficietur, ut arbitror, ſi eam non abhorrere, neque ab antegreſſis rebus, doceamus, neque a conjunctis conſecutisque, a quibus Polybianae dubitationes ſunt repetitae.

De Asdrubale quidem quod Fabius prodidit, ei fidem facit vel hoc unum, quod ille pactus eſt cum Romanis, de Punici imperii per Hiſpaniam finibus, & quidem, ut ipſe Polybius (*) auctor eſt, neque conſulto S. P. Q. Carthaginienſi, neque, ut ratas pactiones haberet, rogato: unde, iis pactis ſibi ſtandum eſſe, negabat Carthaginienſis Senatus. Nam in eo ſibi Asdrubalem plus arrogaſſe, quam liberae civitatis rationes & jura ferrent, haud ambiguum eſt. Sed Polybius ipſe non abhorret ab ea re. Nam, de regia Novae Carthaginis tradens (**), pervulgatam dicit opinionem hanc fuiſſe, ut Aſdrubal crederetur, eam regni, quod petierit, ſedem, deſtinaſſe: ἃ βασίλεια φασιν Ἀσδρούβαν ποιῆσαι μοναρχικῆς ὀρεγόμενον ἐξουσίας. Annibalem autem ab ſimili cupiditate non alienum, minimeque civili potentiae modo contentum fuiſſe, cum alia arguunt, quae nihil attinet minutius colligere, tum illud maxime, quod imperium, ab exercitu contra jus moresque delatum, accepit. Nam, etſi ei imperium Carthagine confirmatum eſt, tamen id ei contigit, magis per plebis levitatem & temeritatem, quam Senatus prudentis gravitatem. In quo ne nobis opponat quis Appianum,

(*) III. 27. (**) X. 10.

num (*), qui a Senatu exercitus factum dicit comprobatum, καὶ ἡ Καρχηδονίων βουλὴ συνέθετο, tum nota hominis vanitas & inſcitia impedit, tum, quod rem ipſe alio loco (**), in meliorem auctorem cum temere inci- diſſet, ad plebem refert, καὶ ὁ δῆμος ὁ Καρχηδονίων αὐτῷ τὴν στρατηγίαν ἐπεψήφισεν. Quo loco ut proprie intelligamus τὸν δῆμον, Polybii (***) auctoritas facit, qui, illis temporibus, maximam in rebus publicis vim & potentiam plebis Carthagine, tradit, fuiſſe, atque inde maxime cauſſas ruentis ad interitum civitatis arceſſit. Unde etiam apparet, illa duo Appiani loca non ſic capienda eſſe, ut ex iis intelligatur, aequo S. P. Q. Carthaginienſi imperium tenuiſſe Annibalem: ut Romani ſcriptores, in una interdum re, modo SCti, modo legis mentionem faciunt, cum utrumque interceſſerit; parum illi quidem accurate, ſed de more tamen. Nam quod Polybius (****) dicit, mortuo Asdrubale, Senatum ab initio exſpectaſſe, ad quem ſpectarent militum in Hiſpania animi & voluntates, accepto autem nuncio, de imperio Annibali ab exercitu delato, populum ſtatim convocatum Annibali univerſis ſuffragiis imperium confirmaſſe: id ipſum indicio eſt, Senatui liberam tum poteſtatem de talibus rebus decernendi non fuiſſe. Nam, quid cauſſae erat, cur militaris voluntatis nuncius exſpectaretur, cum ante nihil tale factum eſſet, ſi non ſuſpicabatur Senatus ac praevidebat, Annibalem & animorum & imperii Asdrubali heredem fore, fruſtraque ſe alium delecturum. Atque haec quidem ſunt in rebus Saguntinum excidium bellumque cum Romanis geſtum antegreſſis: quibus adeo non repugnant ea, quae Fabius tradidit, ut optime conſentire videantur. Sed nec ab hac rerum parte ſumta ſunt, quae Polybius contra Fabium profert, verum a rebus potius conjunctis & conſecutis.

Primum igitur negat, habiturum Fabium fuiſſe, quod reſponderet ei, qui ſcire vellet, quid fuerit cauſſae, quare Senatus Carthaginienſis, cum, deden-
do

(*) De B. Hiſp. p. 259. (**) de B. Annib. p. 314.
(***) VI. 49. (****) III. 13.

do Romanis Annibale, conſequi potuiſſet, ut & belli Romani & tyrannidis Annibalicae metu liberaretur, tamen Saguntinum facinus tueri contra Romanos, & belli graviſſimi aleam metumque ſubire, quam Annibalem dedere maluerit? Mihi vero non videtur Fabio defutura reſponſio fuiſſe, quam ille facile a ſimilibus exemplis, & rerum communium, civitatisque Carthaginienſis natura, illorum denique temporum ratione, derivaſſet. Atque ego contra Polybium interrogare velim, de C. Caeſare dictatore: quid ſit, quod Senatus, qui ejus adhuc in provincia agentis potentiam videret, &, quo ipſe ſpectaret, intelligeret, non aut aſſenſus ſit ei, qui illum finitimis Galliae populis, per injuriam bello vexatis, dedendum ſuaſerat, ut auctor eſt Suetonius (*), aut non ante tempus provinciam, ut aliis fecit, ademerit, cum ita metu ac periculo ipſe liberari, & conſilia Caeſaris ad nihilum redigi potuiſſent? Videlicet, quae res medicinam malis talibus eſſent allaturae, eae non ſtatim ſunt ejusmodi, ut facultatem habere videantur. Non eſt ſane dubitandum, Senatus Carthaginienſis meliori parti voluntatem accipiendae conditionis a Romanis propoſitae non defuiſſe: ſed videbant, id ſe neque, ſine ſummo periculo, decreturos, neque, ſi decreviſſent, ad effectum decreti venturos. Fac enim decreſſe, ut Annibal dederetur: primo, cum ea res etiam ad populum pertineret, cujus ſcito imperium Annibali cupide confirmatum erat, an ſperare poterant, eum ſibi aſſenſurum eſſe, & rogationem, de ea re factam, acceptu-rum? Age vero, ſi juſſerit populus, Annibalem Romanis dedi: cui deditionis negotium mandabitur? Quis audebit in Hiſpaniam ire, ad Annibalem exercitui, cujus favore imperium, inconſulto Senatu populoque, acceperat, eripiendum, Romanisque dedendum? Hoc ille exercitus ſinat, hoc fieri patiatur? Quid vero? Si Annibal, quem Polybius ita ferum ac vehementem tradit fuiſſe, ut legatos Romanos ad ſe venientes non admitteret, ſi ille, inquam, decreto Carthaginienſium irritatus, converteret in ipſos impetum, &, hujus injuriae praetextu, rempublicam inva-

(*) Caeſ. c. 24.

invaderet? Non certius inde periculum & gravius oſtendebatur, quam ſi Annibalem ſinerent bellum adverſus Romanos in Hiſpania gerere? Non, credo, ſatis meminerant calamitatum, quas bello Lybico accepiſſent, cum ſui milites rempublicam invaſiſſent? Quae ſunt omnia ejusmodi, ut facile ſatisfaciant ei, qui cauſſas non dediti Romano Annibalis requirat.

Sed Carthaginienſes non modo non dediderunt Annibalem Romanis, ſed etiam bellum, ab Annibale contra ſuam voluntatem ſuſceptum, per ſeptemdecim continuos annos geſſerunt, neque prius finierunt, quam, ſpe omni conſumta, ad extremum ſalutis patriaeque diſcrimen veniſſent. An hoc, credibile eſt, facturos, Annibalemque milite & claſſibus adjuturos fuiſſe? Ita Polybius adverſus Fabium diſputat. Ego autem, primo, ipſa re ac ratione, deinde exemplis idoneis, me confido probaturum, in iſtis nihil eſſe, quod cogat Fabii narrationem repugnantem naturae rei exiſtimare. Nam, in talibus rebus, aut initiis eſt occurrendum, aut, ſi id neglexeris, vel efficere non potueris, quae conſequuntur, perferenda ſunt ac ſuſtinenda. Bellum, ubi juſta cauſſa non eſt, omnino non eſt decernendum: ſed impediendum omni modo: idque & juſtitiae eſt, & primum ſapientiae munus. Ubi nihil profeceris, alterum eſt, bellum non ſecus, ac ſi juſtum eſſet, curare. Quando igitur Carthaginienſes non auſi erant, Annibalem dedendum, cenſere, ſed iis, quibus diximus, cauſſis coacti, bellum ſubierant, neceſſarium erat, ut, quae eſſent bello gerendo, facerent non ſecus, ac ſi bona cum voluntate ſua ſuſceptum eſſet: quanquam ne ſic quidem adverſa Barcinae factio deſtitit impedire omnibus modis, ne Annibal ſatis adjuvaretur. In quo eos alacriores etiam reddiderunt frequentes de victoriis Annibalis nuncii. Fit enim hoc, ut, quae ab initio inviti, propter periculi metum, ac prope coacti faciebamus, ea, ſi melius, quam pro ſpe, ſuccedant, libenter perſequamur. Atque id hac in re non veniſſe in mentem Polybio, mirum debet ſane videri, cum ipſe hujus generis exempla tradiderit, in omnique hiſtoria ſimilia reperiantur. Quorum pauca, age, proferamus.

Cum

Cum Mamertini Romanis ſeſe urbemque ſuam vellent dedere, ut ab iis adverſus Hieronem & Carthaginienſes defenderentur, Senatus, rei turpitudine perſpecta, etſi eam causſam ſuſcipere ſecuritas utilitasque magnopere ſuadebant, tamen nullo modo adduci potuit, ut in fidem recipiendos Mamertinos decerneret (*): nemoque fuit qui quidem aliquo loco eſſet, quin rem vehementer repudiaret. Sed plebs Romana, rei familiaris ſuperioribus bellis factas jacturas reparandi idoneam occaſionem ſibi oblatam putans, rem probat, &, fruſtra repugnante Senatu, plebiſcito jubet Mamertinos in fidem recipi, & bellum adverſus Hieronem & Carthaginienſes geri. Quod cum eſſet factum, Senatus ea, quae ad bellum illud gerendum pertinerent, non minori ſtudio ac diligentia per viginti amplius annos fecit, quam ſi ſumma ſua voluntate ſuſceptum eſſet. Cum enim plebiſcitum atque adeo initium belli impedire non potuiſſet, neceſſarium jam erat, ne majus incommodum exiſteret, belli curam gerere. An poteſt res ulla ulli ſimilior eſſe, quam haec illi eſt, cujus defenſionem ſuſcepimus? Si ergo in hoc nihil, quod a natura rerum talium abhorreret, Polybius vidit: quomodo in Fabiana narratione repente tam acute cernit, ut animadvertat repugnantiam talem? Sed aliud exemplum ex ejus libris addemus. Alexander (**) quidam fuit, qui ſe regis Antiochi Illuſtris filium ferret. Is Romam cum Heraclide, fabulae illius architecto, venit, conciliatisque ſenatorum leviſſimis, cum in Senatum inductus eſſet, petiit, ut in paternum regnum reſtitueretur. Quid igitur Senatus? Graves quidem Senatores, quique maxime virtute & prudentia valerent, rem, quam illi fictam eſſe videbant, vehementer repudiabant, Heraclidem autem palam abominabantur. Per eos igitur ſi ſtetisſet, nunquam impetrasſet poſtulata Alexander. Sed vulgus Senatorum, ab Heraclide deceptum, omne in eam ſententiam diſceſſit, ut Senatusconſultum fieret, ex quo Alexandro liceret regnum Syriae occupare, populusque Romanus eum, uti petiisſet, adjuvaret. Atque hoc SCtum, tam leve, tamque

(*) Polyb. L. I. c. 11.

(**) Eclog. Leg. n. 140.

que improbum, tamen hanc vim habuit, ut non modo reges, qui Alexandrum, odio Demetrii, juvarent, non impediret Senatus Romanus, quod aliis ſaepe regibus accidit, cum res eorum & cauſſa Senatui diſpliceret, ſed ipſum etiam regem appellaret, & frui male parto regno ſineret. Neque enim, SCto ſemel in eam ſententiam facto, aliter agere licebat. Plura exempla res non deſiderat. Neque enim dubitamus, quin omnes, vel his duobus cognitis, intelligant, nihil esſe in iis, quae Polybius contra Fabium attulit, quod repugnet auctoritati Fabianae.

Atque ex hac re magna mihi dudum mota eſt ſuſpicio, ut vererer, ne in ceteris etiam, quae Polybius, aliis locis, contra Fabium dixerat, fuerint, in quibus parum juſte Fabius reprehenderetur. Nemo eſt, qui reliquias Polybianas ſatis diligenter cognovit, quin ſciat, Polybium, primo, nimis ambitioſe in veritate e natura rerum judicanda verſatum esſe, deinde nimis libenter ceteros hiſtoricos reprehendere: quod ille ſaepe copioſius facit, quam leges hiſtoriae ſcribendae patiantur. Totus duodecimus liber, ut e reliquiis ejus intelligi poteſt, nihil prope aliud, quam Timaei & Calliſthenis, de rebus Alexandri ſcriptoris, reprehenſionem habuit. Phylarchum autem Libro II. totis octo, iisque magnis, capitibus reprehendit. Quare, cum ipſe Polybius pluribus locis praecipiat, ne iis ſcriptoribus, qui crebri & copioſi ſint in reprehendendo ac vituperando, temere credamus, in iis quidem rebus, ad quas reprehenſiones pertineant: non erit iniquum, ſi praecepto huic obſecuti, ejus de Fabio judicium ſuſpectum habeamus. Quod ſi quis hoc velit agere, ut a Polybio tradita ad rerum naturam exigat, reperiat ſane non pauca, in quibus non minori cum ſpecie argutari poſſit: quaedam etiam, quae plane abhorrentia poſſit convincere. Cujus generis v. c. illud eſt, quod, in oppugnatione Carthaginis Novae, primo ſtatim die obſeſſos defeciſſe tela dicit (*), cum in ea urbe eſſent tot armorum officinae & ad duo millia hominum, qui arma fabricarentur, ut ipſe (**) tra-

(*) X. 14. (**) X. 17.

tradit, Livius (*) autem auctor ſit, maximam armorum telorumque copiam ibi inventam: unde recte id, ſine Polybii reprehenſione, omiſit (**).

Haec dicta ſunt, non Polybii reprehendendi ſtudio, quod a nobis tanto longius abeſt, quanto pluris Polybium facimus, diligentiusque legimus, ſed, ut adoleſcentes ſtudioſi hiſtoriae, hoc exemplo moniti, caveant, ne ambitionis ejus, quae nunc plurimorum invaſit animos, ut, fide ſcribentium e natura rerum judicanda, oſtentare ingenii acumen velint, ne igitur, ejus ambitionis dulcedine capti, temere eam judicandi rationem uſurpent, qua nihil difficilius eſt, etiam iis, qui plurimum, non modo in hiſtoricis optimis ſtudioſe legendis, ſed etiam rebus ipſis gerendis, ſunt verſati, nedum his, qui nihil aliud, niſi jejunum aliquod philoſophiae compendium deguſtarunt, hiſtoriae autem quaedam initia e recentioribus ſcriptoribus cognoverunt.

(*) XXVI. 47. (**) Ibid. 46.

QUI-

QUIBUS LITERARUM DISCIPLINIS, ET QUATENUS CHALCOGRAPHIA PROSIT?

Cum ea ſit literarum dignitas, ut haud ſciam, an ſolae humanarum artium omnium dignae ſint humani ingenii praeſtantia: ea autem, ad omnes vitae partes, utilitas, ut, ſecundum virtutem quidem, omnium bonarum rerum principatum, jure ſuo, obtineant: rem ſane debitam ipſis literis & per ſe ita dignis, & ita de humano genere meritis, faciunt, qui, quicquid iis ſervandis ornandisque prodeſt, id omnibus modis extollendum ſibi ac praedicandum putant. Quare non debet, neque mirari quisquam, neque reprehendere, ſi, cum ars Chalcographorum plerisque videatur ea, cui bonae literae, non ornamenti modo plurimum debeant, ſed ſalutem etiam, ac vitam propemodum ipſam: ſi ergo quamplurimi ejus celebrandae ingenio ſuo ornandaeque ſibi certamen ſumſerunt. Sed quicunque ſe ad hanc artem illuſtrandam contulerunt, eorum omne ſtudium in eo conſumtum eſſe video, ut, aut laudes ejus praedicarent, aut ejus origines & fata exponerent, &, per quos inprimis viros, quibusque in locis, ea culta, &, per quos quaſi gradus producta, ad hoc faſtigium pervenerit, ut ei jam, non tam, quomodo aſcen-

aſcendat altius, ſed, quomodo locum obtineat, cogitandum videatur.

Neque vero neſcio, fuiſſe, qui, etſi tantas illas Chalcographiae laudes facile agnoſcerent probarentque, tamen iidem ſibi confitendum exiſtimarent, eſſe hanc communem ipſi, cum rebus optimis, fortunam, ut ea homines, ſive ingenii aliqua perverſitate, ſive turpi quaeſtus cupiditate, in multis rebus abuterentur, atque ita, quae ars ad religionis literarumque commodum eſſet, vel ab hominibus inventa, vel a Deo conceſſa, eam ad perniciem rerum, inter homines ſanctiſſimarum pulcherrimarumque, converterent. Unus omnino fuit, quem ego quidem legerim, Guilielmus Inſulanus, qui, commoda & incommoda Chalcographiae comparando, eo deſcendit, ut, plus mali ab ea, quam boni, ad literas redundare contenderet. Ego, hac ſcribendi occaſione oblata, cum hoc, ſive tempori, ſive tot doctiſſimorum hominum vel exemplo, vel auctoritati, ſive ipſi denique arti praeſtantiſſimae dandum videretur, ut de ea jam aliquid praefarer: etſi habebam, quae, ſive de laudibus ejus in univerſum, ſive de fatis, ſive de abuſu dicerem: tamen, ne in tanto eorum numero, qui de his rebus ſcripſerunt, aut faſtidium lectoribus moverem, aut aliorum ſcrinia compilaſſe viderer, avocandam ab his rebus orationem, & ad aliam partem traducendam exiſtimabam.

Ac mihi quidem hoc agenti, ad eamque cogitationem incumbenti, redit in memoriam id, de quo, non ſemel lubido invaſit animum, & mecum cogitandi, & cum doctis hominibus diſputandi, cum quaererem, non in univerſum, an literis Chalcographia profuerit, & prodeſſe poſſit? quis enim hoc, rerum aequus aeſtimator, dubitet? ſed quatenus bonis artibus proſit, & quibus inprimis? Atque hanc quaeſtionem nunc quoque diſceptaturus, ſi qua forte in diſciplina literarum juvanda, Chalcographiae aut nullam, aut non magnam vim agnovero, vehementer iniquitatis culpam deprecor, a qua tantum me hic abeſſe, atque, ut in omnibus rebus, & abeſſem, & abeſſe viderer, laboraſſe ſcio, ut, ſi ea culpa non poſſet ab hac diſputatione ſejungi, quidvis potius mallem, quam eam mihi explicandam ſumere. Sed bene

ne habet. Eſt adhuc locus, in hujusmodi rebus, modeſtae dubitationi, inprimis apud homines liberales & elegantes, quibus haec noſtra Urbs vel maxime abundare creditur. Neque vero quidquam debet tum demum exiſtimari laudatum ſatis, ſi rebus in omnibus prodeſſe dicatur. Quae enim eſt rerum humanarum, quae hanc tantam laudem, in hac omnium mediocritate, capiat? Satis magna mihi laus videtur, ſi quid in rebus multis prodeſſe judicetur.

Atque ego in univerſum de ſingulis artibus ita, & ipſe judico, & judicandum cenſeo, ut earum dignitatem & praeſtantiam, non tam utilitatis magnitudine & neceſſitate, quam inveniendi exercendique difficultate, ac propria cujusque pulchritudine, metiamur, neque, quantum quaeque proſit; ſed, quanti quaeque ſit, ponderemus: niſi vero; quia magis, & neceſſarium eſt, & utile, panes pinſi, quam tabulas pingi, propterea piſtorum opificium arti pictoriae praeferendum putemus. Itaque, ſi nulla, neque ad bonas literas, neque ad reliquam rempublicam, utilitas a Chalcographia proficiſceretur, ſed ſola librorum pulchritudo ab ea peteretur: tamen ea, non modo hujus pulchritudinis cauſſa, ſed etiam propterea, magni facienda videretur, quod, in ejus & inventione, & uſu, ea ſunt inſignis alicujus ſolertiae expreſſa veſtigia, ut ea, non ſine aliquo numine Dei, excogitata eſſe videatur, mirumque non ſit, ſi, quemadmodum Jo. Conradus Durrius exiſtimavit, locum fecit pervagatae illi, de Joanne Fauſto mago, fabulae. Sed tantum abeſt, ut nihil communis hominum vita, nihil literae, huic arti debeant, ut mihi potius plurima eidem & maxima debere videantur.

Quibus autem idem viſum eſt, quique in eo demonſtrando laborarunt, ii mihi videntur plerumque in eo vel maxime peccaſſe, quod in quaeſtione univerſa ſubſtiterunt, neque ad ſingulas bonarum literarum partes deſcenderunt. Quod cum facerent, non poterant profecto aliud afferre ad probandam cauſſam ſuam, quam incredibilem illam in exſcribendis libris celeritatem, in multiplicandis ſingulorum exemplis felicem copiam, in temperandis librorum pretiis facilem ſalubritatem, & certam denique in conſervandis ab in-

teritu fidem. Quae omnia, etſi egregia eſſe confiteor, tamen ejusmodi ſunt, ut de iis multa in contrariam partem probabiliter diſputentur: ſive, quod hoc eſt commune rerum humanarum vitium, ut non minus ipſis bonis ſuis, quam malis, affligant homines: ſive, quod nos prope magis in deteriorem, quam in meliorem partem ingenioſi ſimus, & in univerſum ſolutius eſt, res bonas reprehendere apud homines in vitia credulos, quam pro dignitate laudare.

Nam, quod celerius Chalcographorum formis, quam calamis, libri exſcribuntur: habet hoc quidem hanc vim, ut plura ejusdem libri exempla, non autem, ut plura librorum genera proferantur: niſi forte haec ipſa edendorum per Chalcographiam librorum facilitas accendit ſcribendi ſtudium, & majorem ingeniis, in hoc genere, foecunditatem largitur. Quod ſi eſt, relinquitur tamen haec, non injuſta fortaſſe dubitatio: annon iſta librorum novorum crebritas, aboriendi facilitatem potius, quam veram & ſalubrem foecunditatem indicet: cum Chalcographiae feſtinatio vehemens foetus elidere magis, quam elicere videatur, ſcriptoresque noſtri, ab ea nimis agitati, effundant potius nondum abſolutos partus, quam edant. Quicquid ſit, poteſt tamen hoc ipſum in diſceptationem vocari, an ad numerum librorum augendum Chalcographia valeat, &, absque ea ſi eſſet, pauciores forent? Nam ſi quis, quae de antiquis bibliothecis tradita ſunt a veteribus, cogitet, facile ad dubitandum inducatur. Pergamena bibliotheca, cum ab Antonio Triumviro Cleopatrae donaretur, ducentorum millium numerum explebat. Bibliotheca vero Alexandrina, Ptolemaei Philadelphi, auctoris ſui, tempore, ducenta millia librorum habebat, eumque numerum, brevi tempore, ad quingenta millia venturum, ſpem regi jam tum faciebant, quorum opera in libris conquirendis utebatur. Expugnata vero per Caeſarem urbe, cum arderet, ſeptingenta millia librorum in ea conſtat fuiſſe. Quae eſt hodie, tribus ab inventa Chalcographia ſeculis exactis, bibliotheca, quae hunc Alexandrinum numerum, vel aequet, vel ſuperet? Et hic tantus tum librorum proventus fuit, cum paucae regiones, & in his ipſis paucae urbes eſſent, in quibus literarum ſtudia

dia celebrarentur, aut omnino docti homines verſarentur. Quid futurum putemus fuiſſe, ſi, uti nunc, ita tum quoque univerſa prope Europa, occupata literarum tanquam coloniis fuiſſet?

At ejusdem libri Chalcographiae beneficio, plura fiunt exempla, eaque re pretia ſalubriora fiunt. Audio. Sed illud quoque, intelligo, dici poſſe, primo, in multis, ut malis, ineptis, obſcoenis, barbaris, libris meliorem paucitatem exemplorum fore, quod ita paucioribus nocere, & facilius aboleri poſſent: deinde multos libros eſſe, qui ſemel tantum legantur, poſtea nunquam repetantur, quorum ſane pauca exempla plurimis poſſint ſufficere: denique bonorum, in quocunque genere, librorum non adeo multos eſſe, quibus opus ſit multis hominibus, & nunc quoque, in tanta exemplorum copia, tamen carendum multis, etiam bonis libris, & ad beatorum hominum, publicarumque bibliothecarum opes, ſi eorum uſus veniat, confugiendum eſſe. Idque adeo exiſtimandum eſt, ſine eruditionis detrimento fieri. Nam profecto librorum, quos quis habet, multitudo, etiam optimorum, non eſt certum magnae eruditionis ſignum. Saepe adeo contra eſſe arbitror: propterea, quod animus hominis, tanta librorum multitudine circumfuſi, quaſi vagatur & errat, neque habet, ubi diu conſiſtat, ubi habitet, ubi conquieſcat. Quo nihil, fatentur periti, eſſe eruditioni verae perniciofius. Nam, quemadmodum in cibo capiendo, ſic in libris legendis, varietas & copia nimia nocet, & cruditatem affert: &, in hoc quoque humanitatis animorumque paſtu, coenae dubiae pallidam potius, cum vario ſanguine, maciem, quam ſanum, cum ſalubri ſucco, colorem afferunt. Non tam magna copia in privatis hominibus laudatur, quam bona. Cum non multos libros legere poſſis, veteris philoſophi praeceptum eſt, non debes multos habere velle: & hic quoque debet hominibus in animo eſſe illud ruſticum Virgilii praeceptum: *Laudato ingentia rura, Exiguum colito.* Jam quod Chalcographiae celeritas librorum pretia, magno eruditorum commodo, temperat, quae ſcribendi tarditas accendit: etſi hoc ejusmodi eſt, ut in dubium nequeat vocari: tamen prope idem dixeris in hac cauſſa, quod

ille, neſcio quis, de ſericis telis: quas hodie cariores dicebat, quam Aureliani tempore, cum, ut Vopiſcus ait, libra ſerici, libra auri eſſet. Scilicet, quemadmodum in ſericis telis, ita in libris, vilitatis illecebris homines ad magnos ſumtus faciendos alliciuntur, qui, manente caritate priſtina, facile ab iis cupiditatem ſuam cohibuiſſent. Vilitas rerum pulchrarum inflammat hominum cupiditates, & jacturae ſaepe maximae vilitatis ſpecie & umbra fallunt. Quid enim aliud magis dicamus hodie tot hominum, in colligenda magna librorum copia, inanem ambitionem accendere, quam celebratam illam & Chalcographiae debitam vilitatem, cum videamus, quemadmodum magnificae feminae non ſe modo totas vermicolorum ſericorum exuviis involvunt, ſed etiam parietes inducunt, ita viros multos privatos, neque adeo beatos, parietes libris veſtire, ut ſpecioſiore ad hominum opinionem vanitate, ita ſumtuoſiore. Verum accidit hoc, fatendum eſt enim, non artis, ſed hominum vitio, qui ſuis bonis, per libidinem, abutuntur.

Quod vero omnium proxime ad veritatem accedit, illud eſt, quod Chalcographorum arte magis, quam calamo, libris ab interitu cavetur. Eſt enim profecto confitendum, in tanta cujusque libri exemplorum copia, quam Chalcographiae debemus, facilius poſſe, ſi quod incendium belli exiſtat, unum & item alterum, vim ejus evadere. Et tamen audire memini, qui, ne ſic quidem ſatis eſſe bonis libris eorumque aeternitati proviſum, contenderent. Eorum oratio huc, quantum recordari poſſum, redibat. Interitus tot bonorum librorum, ſi a fortuna diſceſſerimus, quae in omnibus rebus dominatur, a duabus inprimis cauſſis repetendus videtur: quarum altera eſt, vis crudelitasque bellorum, altera vero, regnans longe lateque barbaries, & bonarum literarum contemtio. Bellorum turbae abſtulerunt bibliothecam Athenienſem, a Piſiſtrato inſtitutam, Alexandrinam Ptolemaei, Romanas deinde plurimas & Conſtantinopolitanas Imperatorum, ut nihil de privatis dicam, quarum multas idem bellorum furor perdidit. Barbaries autem a duabus cauſſis orta eſt, primum, a ſuperſtitione, & perverſis de religione opinionibus: deinde, a prava quadam philoſophandi ratione,

tione. Fuit enim tempus, cum quidam homines imperiti illos veteres Graecorum Latinorumque libros, a quibus omnis eruditio ducitur, tanquam reliquias veteris ſuperſtitionis, veritati religionis Chriſtianae pernicioſos, & de medio tollendos putarent. Haec opinio illam alteram Alexandrinam, a Cleopatra conditam, & ſpoliis Attalicis locupletatam bibliothecam perdidit: haec multis libris ſigillatim interitum attulit: haec, ſi nihil aliud, hoc tamen effecit, ut contemtu illorum librorum, & una omnis eruditionis, imbuerentur plerorumque animi, atque ita de iis, neque legendis, neque conſervandis, laborarent. Acceſſit deinde illa diſciplinarum barbaries, cum neque intelligeret quisquam bonos libros, neque intelligere ac legere curaret, ſed omnis ad illam philoſophiam male ſubtilem & acutam, quae tum erat prolata, concurrerent, & in ea omnem veram eruditionem poſitam crederent. Quae res hanc vim habuit, ut partim negligentia in conſervando, partim contemtu, & ad alias res uſu, libri optimi interirent. Nam, ut hoc utar, ſatis conſtat, hoc factitatum illis temporibus eſſe, ut, deletis priſcis veterum librorum literis, in earum veſtigiis ſcriberentur, quae ad philoſophiam aut theologiam, qualis tum erat, pertinerent. Quare, ſi, aut bellorum tantae, tamque diuturnae tempeſtates ingruant, quales fuere, quae mediis temporibus, quae vocamus, omnem terrarum orbem adflixerunt, aut ſuperſtitio iterum extollat caput, aut philoſophi denique novam nobis barbariei diſciplinam excogitent: parum bonis libris haec Chalcographiae copia, adverſus interitum, videtur profutura. Haec illi diſputabant: de quibus, utcunque aliquis ſtatuerit, haud equidem in magno ponam diſcrimine.

Sed quorſum haec tam multa diſputo? nempe, ut intelligatur id, quod ab initio poſui, ſi quaeſtio, de utilitate Chalcographiae ad literas, in univerſum tantum diſputetur, eam facile in utramque partem diſputando trahi, nihilque afferri poſſe ejusmodi, quod non, paribus propemodum rationibus, impugnari posſit. Neque vero plus efficiunt, qui in alteram partem diſſerunt de hac re univerſa. Non magis ipſe

 legi,

legi, quam Guil. Inſulanus, illam Venetiis, auctore Philippo Callimacho, habitam a doctiſſimis viris, & in literas relatam diſputationem in hanc ſententiam. Sed hic Inſulanus certe, qui plurimum & ingenii, & facundiae, ad hanc ſententiam confirmandam attulit, nihil amplius confecit, niſi hoc, ut Chalcographia eloquentiae Latinae obeſſe potius, quam prodeſſe videatur. Itaque, quoniam hoc nobis ſumſimus, ut, quae diſciplinae, & quibus nominibus, in Chalcographiae aere ſint, diſputemus, a quaeſtione univerſa orationem ad ſingulas eruditionis partes demittamus, & primo de Grammatica videamus, a cujus tanquam initiis omnes reliquae artes ducuntur.

Grammaticam autem non intelligo anguſtam illam & tenuem, quam nos hodie dicimus, ſed eam, quam Crates Mallotes, Ariſtophanes, & Ariſtarchus, elaborarunt, &, cum ab iis profecti, tum in univerſum veteres, hoc nomine, inprimis intelligebant, poëtarum, & oratorum, ceterorumque ſcriptorum & interpretem, & emendatricem. Hanc, dico, Chalcographiae multum debere, &, ejus quoque opibus, in eum gradum, quem hodie obtinet, eſſe vel provectam, vel reſtitutam. Ea autem ars in tres commodiſſime partes, cum Sexto Empirico, deſcribitur: quarum prima, quae in noſtris grammaticis libellis reperiuntur, item de vi & poteſtate verborum, &, quae ex his conſequuntur, docet: altera autem, de perſonis, locis, fabulis, & ceteris, quorum in ſcriptoribus mentio fit: tertia denique obſcura exponit, quid rectum pravumve ſit, quid genuinum, quid ſpurium, judicat. Jam, ſecunda pars quoniam omnis continetur hiſtoria, de ea quidem diſputationem ad eum locum differemus, ubi de hiſtoria dicemus. Primam autem & tertiam partem, quis neſcit, multae & prope infinitae lectionis & obſervationis eſſe, neque, ſine bona bonorum librorum copia, ſuſtineri poſſe. Nam, etſi in tertia multum valet judicandi vis, & quaedam naturalis ſagacitas: tamen ea quoque vel maxime lectione alitur & ſuſtentatur. Sciunt hoc, qui unum, & item alterum auctorem, ut Ciceronem de Latinis, vel Livium, vel Plinium majorem, Suetonium Tacitumve,

ve, totum cognoſcere, intelligere, &, ubi opus eſſet, conſtituere inſtituerunt, & eſt praeclare a Perizonio, ſummo in hoc genere viro, in praefatione ad Aeliani varias hiſtorias, demonſtratum. Itaque videmus etiam, ſummos, qui quidem fuerint, Grammaticos e magnarum bibliothecarum tanquam officinis extitiſſe. Nam, ut in illis tribus, quos ſupra commemoravi, maneam, Crates Mallotes quidem, Pergamenae, Ariſtophanes autem, & Ariſtarchus, Alexandrinae bibliothecae copiis inundati fuerunt, & quisquis propemodum poſtea magnam nominis, in hac arte, apud Graecos, famam adeptus eſt, eum bibliotheca Alexandrina uſum eſſe ſcimus, qua illi homines tum utebantur pro ſua. Quod ergo eſt, & quantum Chalcographiae bonum, quod ea effecit, ut, qui hanc Grammaticam profeſſionem ſuſceperit, non adeo magno ſumtu, poſſit maximam & praecipuam librorum partem, in quibus ea ars hodie verſatur, & elaborat, ſibi comparare, & ſuo arbitrio uti? At, hodie quoque bibliothecae in urbibus illuſtribus ſunt conſtitutae, quae Grammaticis patent. Sunt profecto, magno eruditorum commodo: ſed neceſſitatis magis ſubſidia ſunt, quam uſus quotidiani & perpetui inſtrumenta. Non ſemper patent, non totos dies ibi ſedere, ne per tempeſtatis quidem rationem, apud nos licet. Libros autem inde domum petere, aut non licet, aut unum ſaltem, & item alterum, neque ſemper, cum velis, & opus ſit, neque in quodcunque tempus. Si quis ergo Grammaticus non ipſe bonam librorum copiam habeat, ſed ſolis publicis bibliothecis uti velit, nae ille parum longe in hac ſcientia progrediatur.

Alia ſine dubio eſt eloquentiae poeticaeque ratio, quarum neutram Chalcographiae multum debere arbitror. Neque ſolum hoc argumento inductus, quod ſummi, quos terra tulit, oratores, ante eam inventam fuere, verum etiam alio certiori. Utraque facultas ingenii radicibus nixa, lectionis tanquam ſucco nutritur, ſed exercitatione maxime adoleſcit, & confirmatur. Lectio autem ad utramque facultatem prodeſt, non multa & varia, ſed crebra & eadem. Quod Demoſthenes, idoneus in hoc genere auctor, vidit, qui, cum Thucydidem ad eloquentiam valere poſſe

arbitraretur, eum ſexies & decies, ſua ipſe manu, deſcripſit. Itaque non tam multis libris ad eam opus eſt, quam paucis, ſaepe & diligenter legendis. Mihi quidem eloquentia videtur optime conſiſtere poſſe, ſi, ex omnibus omnium linguarum libris, ad eloquentiam pertinentibus, nihil, praeter Demoſthenem & Ciceronem, relinquatur: quos qui non aſſidue legit, & totos imbibit, nae is deſinat ſperare, ſe ad eloquentiam perventurum, & egregium, in hoc genere, nomen futurum eſſe. Poëſis vero, ſi, de Graecis, Homerum, Pindarum, Sophoclem, & Ariſtophanem tantum haberet, de Latinis autem, Virgilium, Ovidium, & Horatium, quid eſſet, quare ſe non ſatis inſtructam & beatam putaret? Nam, ab his fontibus, quicunque Poëtae boni fuerint, defluxiſſe, & ab iis poëtas proficiſci oportere, adeo convenit, ut etiam ii, de poëtis noſtris, qui eos ne intelligunt quidem, ne dum legant, tamen hoc ita eſſe, clament, & vel ſic poëtae videri velint. Jam, ſi unum Thucydidem toties unus Demoſthenes deſcribere potuit, quare non & hos, quos diximus, vel oratores, vel poëtas, deſcribere futurus orator, vel poëta, poſſit? Quodſi quis ita eſſet mollis & delicatus, ut hunc ſe laborem ferre poſſe negaret: tamen minori impenſa defungi poſſet, ſi hos tantum deſcriptos, &, ut olim fiebat, a Grammatico recenſitos, emeret, quam nunc, cum tot ſplendidas Batavorum editiones, non horum, quos diximus, modo, emit, ut legat, ſed ceterorum etiam poëtarum, ut habeat, &, per intelligendi ambitum, aliis oſtendat.

De Historia jam videamus: de qua quid ſit judicandum, vel per ſe apparet. Eſt, videlicet, hiſtoriae ſcientia ea, in qua omnia auctoritas & teſtium fides, nihil ingenii vis & acumen valet: niſi, quoad de ipſa teſtium fide & auctoritate judicat. Sed rerum geſtarum teſtes non poſſunt, niſi literarum beneficio, ut ita dicam, vitales eſſe, nec rerum geſtarum memoria, niſi literarum monumentis conſignata, fideliter ad poſteros propagatur. Cum his monumentis, hoc eſt, hiſtoricorum maxime libris, & vivit rerum memoria, & moritur. Nam quae non per literarum quaſi manus

tra-

traduntur poſteris, iis ſemper aut demit aliquid negligentia hominum & oblivio, aut addit fingendi libido, neque veram retinere ſpeciem poſſunt. Itaque, quibus temporibus nullus, aut rarus literarum uſus fuit, ea quidem ita ſunt, aut ignoratione rerum, aut fabulis, obſcurata, ut nihil certi ex iis conſtet. Contra, ut literarum uſus magis frequens fuit, ita magis hiſtoria commota convaluit. Jam, quis hoc neget, nunquam magis literas frequentatas eſſe, quam inde, ab inventa typographia, ſuppeditante inprimis chartae copia, magno augendi literarum uſus adjumento. Ex quo intelligitur, magnum hiſtoriae & amplificandae, & conſervandae, Chalcographia inventa, adjumentum eſſe adjunctum. Mihi quidem videtur hoc quodam modo egiſſe providentia divina, ut, quoniam in illo triſti naufragio, quo ſaeva barbariae tempeſtas bonas literas adflixit, nulla eruditionis pars majorem, & magis irreparabilem, jacturam fecit hiſtoria, tot libris, ad hiſtoriam pertinentibus, amiſſis, ei in poſterum a ſimili clade per Chalcographiam caveretur, quae non modo, quicquid per terrarum orbem geritur, ſtatim excipit, ſed etiam monumentis prope innumerabilibus, & propterea nullo facile interitu conſumendis & tollendis, aeternitati conſecrat. Atque id eſt agnoſcendum hoc magis praedicandumque beneficium, quod nulla facile eſt humanarum diſciplinarum, cujus utilitas tam late pateat, & ita ad omnes non modo vitae humanae partes, ſed etiam diſciplinas literarum, extendatur.

Philosophia, etſi ipſa quoque magnam, tamen facilius ferendam, tot Graecorum inprimis, de philoſophia librorum interitu, calamitatem accepit. Nam primo, quod quorundam Philoſophorum veterum de certis rebus decreta neſcimus: fortaſſe multa ſuavia ſomnia ignoramus. Deinde, nihil loquacius fuit philoſophis Graecis: ſive commune hoc eſt omnibus philoſophis, ſive proprium Graecis fuit vitium: cum de iisdem rebus eadem centies, plerumque iisdem verbis, ſcriberent, interdum vero, ut nova & ſua dixiſſe viderentur, nihil praeter verba, quemadmodum, ut Cicero ait, fures rerum furto ablatarum ſigna, muta-

tarent. In horum ergo ſcriptis majoremne philoſophia jacturam fecit, quam, ſi nunc quoque omnia illa ejusdem ſectae compendia, & de ſingulis locis jejunae diſputatiunculae intercciderent? Et, cum res in philoſophia maxime utiles, & neceſſariae hominum vitae, inſitae ſint in communi hominum intelligentia, etiamſi intereant, qui eas evolutas nobis explicatasque tradunt, libri: tamen ab ingeniis acutis, quibus nulla plane ſterilis eſt aetas, iterum inveniri poſſunt. Itaque, etſi hoc debet philoſophia Chalcographiae, quod ejus opera, quae acute excogitata ſunt, & celerius vulgantur, &, ne ſaepe eadem iterum invenienda ſint, facilius conſervantur: tamen hoc totum, quicquid eſt, non habet tantam neceſſitatem, ut ſine eo philoſophia ſtare omnino non poſſit. Ceterum, ex omnibus philoſophiae partibus, nulla plus commodi, & habet, & ſperare poteſt, quam, de natura rerum, doctrina: quam ego unam arbitror eſſe ejusmodi, ut, ſine Chalcographiae auxiliis, nullo modo potuiſſet eo, ubi nunc eſt, progredi. Ea eſt hujus diſciplinae amplitudo, ut iisdem, quibus hoc univerſum, terminis definiatur, ſolusque phyſicus ſit, qui omne, cum ſtellis innumerabilibus, coelum, & totam, cum univerſo mari, terram animo complectatur. In ipſius autem terrae tam variis, tamque varie abundantibus rebus, ut ne generum quidem, nedum ſingularum rerum, numerum inire queamus, quae tamen eſt, quam non, qui ingenium ſuum ad hanc diſciplinam contulit, ad curam ſuam cognitionemque pertinere putet? Itaque haec philoſophiae pars non, ut ceterae, a paucis, & quaſi domeſticis obſervationibus ducitur, ſed ab infinitis, in diſſitiſſimis locis, & variis artibus, atque inſtrumentis, ſaepiſſime etiam felici caſu quodam, factis. Alia nos vidimus, alia Galli, alia Britanni, alia Itali, alia Belgae, alia alii. Jam, ſi haec omnia una calami ope propaganda esſent, quam pauca ex iis, & ad quam paucorum notitiam pervenirent: cum nunc, Chalcographiae veluti nunciis, celeriter in omnes terras differantur, & ita, quae ab omnibus, in disjunctiſſimis regionibus, obſervata ſunt, uniuscujusque fiant: ut phyſicae, ſi bonum nomen eſſe velit, neceſſario fatendum ſit,

ma-

magnis ſe multisque nominibus Chalcographiae debere.

Non minus autem Mathesis, quam philoſophia, ſedulitate Chalcographiae juvatur. Nam etſi ea, quae pura vocatur, ejus opera, ſi ita neceſſe ſit, carere, & uno fortaſſe Euclide contenta eſſe queat: tamen altera illa, quae magnitudinis doctrinam ad phyſicam elaborandam transfert, ejus auxilia vehementer deſiderat: propterea, quod illis phyſicorum obſervationibus & experimentis, non minus, quam philoſophia, & opus habet, & utitur. Analyſis autem, cum plurimis diverſarum disjunctiſſimarumque nationum inventis locupletata ſit, & in poſterum quoque augeri posſit: quis non videt, eam a Chalcographia valde adjutam eſſe & in poſterum adjuvari poſſe: cum nova in hoc genere inventa, ei commiſſa, ad omnes, qui ubique ſunt mathematicos facile & recte perveniant.

Nunc cum, & pro inſtituto, & pro hujus ſcriptionis anguſtiis, ſatis ſit de eo, quod ab initio propoſuimus, dictum: erunt fortaſſe, qui hoc a me exſpectabunt, ut de iis etiam diſciplinis dicam, quae ſuperiorum in ſcholis ordinum propriae ſunt. Sed praeterquam, quod ii, qui huic ſcriptioni definiti ſunt, termini, omnem hanc diſputationem excludunt, vix eſt, ut, qui rem recte reputet, eam magnopere a nobis deſiderare poſſit. Nam, cum ea ſit illarum diſciplinarum ratio, ut, quicquid habeant, propter quod eruditionis nomen obtineant, id omne ab iis, de quibus expoſitum eſt, artibus repetant: non eſt ſane, quare de iis ſigillatim longam orationem explicemus, &, quae per ſe intelligi poſſunt, demonſtremus. Quare finem diſputationis hujus faciemus, neque quidquam, praeter nomina juvenum addemus, qui quatuor orationes contrarias, contra Chalcographiam, & pro eadem, recitabunt. &c.

DE

DE
GRATA NEGLIGENTIA ORATIONIS.

Duae res ſunt, quibus recte eleganterque dicendi facultas maxime comparatur, frequentia ſcribendi & diligentia: ſed quarum altera alterius auxilio valde indiget. Nam ſaepe multumque ſcribendi ſtudium, ſi a cura ſejunctum eſt, celeritatem illud quidem affert, ſed, quae garrulitas potius, quam eloquentia dicatur. Diligentia autem, ſine perpetuitate & conſtantia exercitationis, etſi acuit judicandi vim, & orationi vitia detrahit, atque elegantiam addit, tamen, neque juſtas vires facere, neque difficultatem ſcribendi ac tarditatem tollere poteſt, rem tironi moleſtam, viro autem etiam indignam. Sed haec cura ſcribendi & religio in duabus rebus cernitur, in ſententiarum ac verborum delectu & collocatione. Ac ſententiis quidem cum maxime oratio contineatur, nulla videtur juſto major eſſe, in iis deligendis, cura, ſi rhetorum praeceptis percipiendis, judicioque, veterum Latinorum & Graecorum ſcriptorum aſſidua lectione, ſubigendo, quid in iis ſequendum fugiendumve ſit, ſatis cognoris, videasque, ne nimia religione ſupra modum oratio attenuetur, neve, dum vitioſum ſanguinem detrahere curas, bonum ſimul ducas, & exſangue corpus ac macilentum efficias. In delectu autem verborum, in quo

ſumma

ſumma eloquentia, quoad verbis conſtat, ineſſe recte putatur, quis aliquid nimium eſſe poſſe credat? Collocationem denique verborum & ſimplicium & conjunctorum, ex qua laevitas quaedam & harmonia numerusque efficitur, ita deſiderant aures noſtrae, ab ipſa natura ad ejus ſenſum eruditae, ut orationem crebro hiantem, vagam minusque apte concluſam vehementer abhorrere videantur. Sed eſt tamen in his etiam generibus quaedam negligentia, non modo, quia faſtidio medetur, quo, in rebus curatius exquiſitiusque elaboratis, facile adhaereſcimus, probanda, ſed etiam, quod diligentiae quandam interdum ſpeciem habet, jucunda. Fit enim hoc, ſive natura, ſive errore quodam, ut in rebus, ſive pulchritudine & arte, ſive copia praeſtantibus, ſi quid ſubneglectum videatur, eo non minus prope, quam quod perfectum eſt, delectemur: in quo autem ubique exquiſitior quaedam abſolutio curaque emineat, id etiam ſuboffendat. Natura quidem hoc ſollerter ſic eſt machinata, ut perfectionem operum ſuorum quadam negligentiae veluti umbra occultaret, quasdam etiam partes prope deſtitueret, & non ſatis elaboratas velut abjiceret, tanquam efficacius opera ſua per hanc modeſtiam commendatura. In magnis divitiis aliquid negligi volumus, &, ſive paupertatis, ſive avaritiae, quae ipſa quoque paupertas eſt, indicium habetur, ad omnia intentum eſſe, nihil omnino negligere. In feminae autem ornatu, ſi qua pars paullulum negligenter exculta eſt, veluti ſtudio quaeſitum placet. Adeo denique volumus, aliquid, in omnibus rebus, quae arte continentur, negligi, ut diligentia etiam minuta videatur. *Μικροπρεπὴς ἡ ἀκρίβεια*, inquit Demetrius, non contemnendus auctor. Hoc ſecuti ſummi quique Poëtae, Oratores, & Hiſtorici, in ſententiarum conformatione, verborum delectu ac compoſitione, interdum & paullo negligentiores videri voluerunt, &, ſi quid ſibi minus curioſe dictum & collocatum excidiſſe per ſcribendi calorem, dum de rebus magis quam de verbis cogitant, viderunt, id relinquere maluerunt, quam ad ſubtiliorem rationem exactum tollere. Neque enim exiſtimari debet, ea, quae nos, in ipſorum libris negligentius ſcripta eſſe, facile vide-

demus, ea ipſos neque vidiſſe, neque emendatius accuratiusque ſcribere potuiſſe, qui, ſi non ingenio & doctrina, linguae tamen ſcientia longe nobis ſuperiores fuerunt. Principes Graeci ingenii atque linguae Homerus, Plato, Demoſthenes, recte putantur. Sed iidem illi ἰσόθεοι, ut Longinus vocat, ſcriptores τῆς ἐν ἅπασιν ἀκριβείας ὑπερεφρόνησαν, *ſummam in rebus omnibus diligentiam neglexerunt.* Latinae autem eloquentiae poëſeosque parentes, Cicero & Virgilius, multa poſuerunt, quae vitioſa & parum accurata videri poſſunt: ſecuri ſcilicet parvarum obſervationum, cum magnas tenerent. Omnino mihi videor, Graecis Latinisque ſcriptoribus legendis, inter ſeque comparandis,. animadvertiſſe, ut quisque a vita umbratica & ſcholaſtica longius abfuerit, ita frequentiorem illis negligentiae peccatis, minusque religioſum in parvis rebus fuiſſe. Cujus rei, praeter Iſocratem & Demoſthenem, etiam Xenophon & Aeſchines documenta praebent. Uterque e Socratis ſchola fuit, ſed non eodem uterque vitae genere. Nam Xenophon quidem plurimum in republica pace belloque adminiſtranda verſatus eſt: Aeſchines autem in ſchola vitam, philoſophia docenda, comſumſit. Jam, quod ad Aeſchinem attinet, habet ille quidem non pauca ex illo genere, quod etiam Clericus vidit: ſed adeo plura Xenophon, ut ei Aeſchinem diligentiae nomine praeferat Hermogenes: ἐπιμελὴς δὲ, inquit, ὡς ἐν ἀφελείᾳ, σφόδρα, καὶ μᾶλλον γε ἢ Ξενοφῶν. Thucydides autem, non major in hiſtoria ſcribenda, quam in rebus gerendis, quam multa ex eo genere habeat, facile quisque legendo obſervabit, & idoneus auctor eſſe Dionyſius poteſt. Quid? Rhetorum & Criticorum veterum quisque, ut exquiſitius de arte dicendi diſputavit, non eo magis illam negligentiam, in ſcriptoribus dijudicandis, ſive laudavit, ſive deſideravit, iis autem, qui ad bene ſcribendi laudem adſpirant, commendavit? Cicero quidem hiatum, qui vocalium concurſu, & negligenda verborum coagmentatione, fiat, molle quiddam habere dicit, & quod indicet non ingratam negligentiam hominis, de re magis, quam de verbis, laborantis. Dionyſius autem, uti Lyſiacam dictionem mirifice probat, quod in ea quaedam modeſta diligentia & curioſa negligentia

tia reperiatur, ita in Iſocrate contra Iſaeoque reprehendit λέξιν τεχνικωτέραν καὶ ἀκριβεστέραν τῆς Λυσίου, τὴν δὲ σύνθεσιν περιεργοτέραν. Hermogenes porro, in eodem Iſocrate, ſibi diſplicere oſtendit τὸ ἐπιμελείᾳ περιττεύειν. Plinius denique, qui de recto ſanoque ſui ſeculi oratore quodam dicebat, eum nihil peccare, quam quod nihil peccaret, quid aliud indicavit, quam in bona oratione, quae a pectore calido & generoſo proficiſcatur, etiam indiligentiae peccato locum eſſe: quod ſi omne abſit, artis quaeſitae opinionem exiſtere, quae multo facilius taedium moveat, quam bonae naturae peccata, per negligentiam orta. Et cum hoc Criticorum judicio omnis aetas, quo incorruptius judicavit, eo magis conſenſit. Nihil peccavit negligentia, Longino judice, Apollonius Rhodius. Quis autem fuit unquam, qui ei non longe praeferendum Homerum, minime ἀναμάρτητον, putarit? Curioſior in ſcribendo Aeſchines fuit Xenophonte. Et tamen non Aeſchines, ſed Xenophon, Atticae Muſae nomen tulit: neque Aeſchinis, ſed Xenophontis Dialogis, a ſcribenda per Dialogos philoſophia, deterritus eſt Ariſtoteles, quorum elegantiam ſuavitatemque ſe aſſecuturum deſperabat. Quae cum ita ſint, illud non difficulter intelligitur, ſi quid ejusmodi in ſcriptore, ceteris rebus probabili & elegante, reperiatur, cum Longino, acerrimo orationis judice, &, ut ipſe dicit, ἥκιστα τοῖς πταίσμασιν ἀρεσκομένῳ, ἁμάρτημα ἑκούσιον potius, quam παρόραμα δι' ἀμέλειαν appellari, & non modo venia, ſed etiam laude dignum putari debere, neque talia quem aut temere reprehendere, aut etiam emendare velle, veluti diligentius ſcribere coacturum.

Sed hic moleſti ſunt primum ii, qui parum in ſcriptoribus Graecis & Latinis cum intelligentia legendis verſati, ſed jejunis quibusdam & vulgaribus Dialecticorum praeceptiunculis imbuti, omnes artes ac diſciplinas dialectico ſupercilio ſuo ſe ſuſtinere putant. Hi enim, ſi quod epitheton aut attributum non ſatis aptum, ſi quae redundantia, aut non ſatis ſibi reſpondentia, judicant, ſi quam ſententiam non ſatis dictatis ſuis conſentientem, ad contemtum ſtatim rem trahunt, aut adeo, corrigendis, addendis, detrahendisve verbis quibusdam, conſulere ſententiae ſubtilitati & ſcripto-

rum diligentiae inſtituunt. Aliud genus eſt eorum, qui, cum vulgares grammaticas leges, &, de commutanda oratione, collocandisque verbis, praeceptiunculas audierunt, magnos ſe ſtatim Platones & Cicerones putant, neque ſolum judicandi de omnibus ſcriptoribus, antiquis pariter atque recentioribus, ſed etiam corrigendi eos, hoc eſt, ut Seneca de hujusmodi hominibus ait, delendi ac corrumpendi, audaciam ſibi ſumunt, impudentiam pro ſapientia obtrudere conantes. Atque ego non ignoro, magnos etiam homines inprimisque doctos in eo genere interdum lapſos eſſe. Sed aliter catuli olent, ut ille ait, aliter ſues: utque tales venia fortaſſe digni, ſic indocti illi omnibus modis ſunt coërcendi. Adoleſcentes autem, qui ad veram eloquentiam contendant, aut aliquando recte & cum laude, in auctoribus Graecis & Latinis interpretandis emendandisque, verſari cupiant, in tempore ſunt monendi, ut ab illa temeritate, quae quotidie magis invaleſcit, ſibi etiam atque etiam caveant, ne, dum acutos ſe cupiunt probare, riſum doctis debeant. Itaque hanc ſibi inprimis legem ſcriptam putent, ne judicare de hujusmodi locis, aut ea emendare audeant, quam multorum annorum aſſidua lectione in juſtam ſcriptorum veterum conſuetudinem venerint, & non modo cujusque ſcriptoris ingenium dicendique formam penitus cognoverint, ſed etiam, cum ſingularum, tum diverſarum aetatum auctores inter ſe diligenter comparaverint, manuſcriptosque & editos e manuſcriptis libros conſuluerint: quae eſt una recta in hac re verſandi ratio. Sed ut eo minus mirum iis accidat, ſi quid ex eo, de quo agimus, genere, invenerint, age, exempla ex antiquis ſcriptoribus proponemus, quae eorum vel admirationi, vel temeritati mederi posſint: quibus ſimilia, ſi velint attendere, facile reperiant.

Lex eſt recte ſcribendi, ut a repetitionibus inanibus abſtineatur: ejusque obſervantiſſimus bonus quisque ſcriptor fuit. Sed tamen haud facile quenquam, etiam ex optimis, reperias, qui eam nunquam neglexerit. Thucydides in illuſtri loco de peſtilentia Athenienſi II. 49. init. dicit τὸ μὲν ἔτος, ὡς ὡμολογεῖτο, ἐκ πάντων μάλιστα δὴ ἐκεῖνα ἄνοσον ἐς τὰς ἄλλας ἀσθενείας ἐτύγ-

χανεν

χανεν ὄν· εἰ δέ τις καὶ προέκαμνέ τι, ἐς τοῦτο πάντα ἀπεκρίθη. Poſt, forma morbi explicata, idem repetit: καὶ ἄλλο παρελίπει κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον οὐδὲν τῶν εἰωθότων· ὃ δὲ καὶ γένοιτο, ἐς τοῦτο ἐτελεύτα. Et ejus generis plura ſunt apud eum, & patrem hiſtoriae Herodotum. Idem commiſit accuratus, ſi quisquam, ſcriptor, Livius. Nam XXXII. 21. Ariſtaenum in eadem oratione dicentem inducit primo: *Nolite, quia ultro Romani petunt amicitiam, id, quod optandum vobis ac ſumma ope petendum erat, faſtidire.* Deinde, paucis interjectis: *Nolite, ſi, quod omnibus votis petendum erat, ultro offertur, faſtidire.* Porro c. 22. *Dymaei ac Megalopolitani, & quidam Argivorum, prius, quam decretum fieret, conſurrexerunt, ac reliquerunt concilium, neque mirante ullo, neque improbante.* Vix ſeptem verſibus interjectis: *ob haec concilio exceſſerunt, veniaque iis hujus ſeceſſionis fuit, &c.* Alia lex eſt, ut antecedentia ſententiarum & conſequentia ſibi accurate reſpondeant. Hanc quoque perſaepe migrari cernas. Ut non memorem ἀνακόλουθα & ἀνανταπόδοτα, quae paſſim ab interpretibus ſcriptorum veterum obſervata reperiuntur: quale illud videtur Xenophontis, in Memorab. Socr. III. 1. 4? Dixerat, qui citharam pulſare, vel ſanare morbos didicerit, etſi neque pulſet citharam, neque aegrotos curet, tamen citharistam, vel medicum eſſe: ſic, qui imperare exercitui didicerit, imperatorem eſſe, etſi non praeſit exercitui. Contrarium deinde rei propoſitae addit, ὁ δὲ μὴ ἐπιστάμενος, οὐδὲ στρατηγὸς, οὐδὲ ἰατρός ἐστι, omiſſo citharista, quo adjecto, accuratior oratio foret. Sic Maximus Tyrius Diſſ. X. in aſſerenda contra Epicureos providentia divina, cum dixiſſet, omnem navem a gubernatore, exercitum ab imperatore, civitatem a legislatore regi, ſubjicit: ὑπὲρ δὲ οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ θαλάττης καὶ τῶν ἄλλων μερῶν, τίς, ὦ Ἐπίκουρε, βουλεύεται; τίς στρατηγός; τίς νομοθέτης; τίς γεωργός; τίς οἰκονόμος; Non dubitandum eſt, quin id parum accurate factum ſit. Sed propterea non neceſſe erat, omnibus MSS. Codd. in lectione vulgata conſentientibus, & tot exemplis ſimilis negligentiae apud alios ſcriptores occurrentibus, hunc locum ita refingi nuper a Marklando V. C. in prima comparationis parte additis de conjectura verbis: καὶ περὶ γῆς γεωργὸς, καὶ περὶ οἴκου οἰκονόμος, ut conſeqnentia antecedentibus plane reſponderent.

rent. Ariſtoteles Rhet. III. 5. recte praecipit de emendata ſcribendi ratione, ut conjunctiones membrorum ſibi reſpondeant. Id autem interdum negligi, adeo non in vitio eſt, ut etiam auctorem hujus negligentiae Demetrium habeamus, χρὴ δὲ, inquit, de Elocut. §. 53. καὶ τοὺς συνδέσμους μὴ μάλα ἀνταποδίδοσθαι ἀκριβῶς, ἀλλὰ καὶ ἀτακτοτέρως πως χρῆσθαι. in quo ille Antiphonteo exemplo utitur.

Jam, ut ad verba veniamus, innumerabilia negligentiae & genera & exempla proferre poſſemus. Nam quoties non optimi quique ſcriptores, inprimiſque Thucydides, notante etiam Dionyſio, Xenophon, &, e Latinis, Livius & Cicero, ab uno genere, modo, gradu, numero, etiam caſu & tempore, ad aliud tranſiliunt, quae tamen ex accurata dicendi formula conſentire inter ſe debebant, ut praecipit in Oratore Cicero, ipſe interdum legis a ſe rogatae gratiam ſibi faciens. Quorum negligentiae generum ſi vellemus exempla, quot poſſemus, commemorare, finem vix reperiremus. Sed ea ſunt inprimis ejuſmodi, ut, quia probabilem explicationem habere poſſunt, etiam quaeſita, & propterea magis grata, quam diligentior & legitima ratio, videantur. Parem gratiam habet, ac prope dicam majorem, illud, cum commutatio verborum negligitur ſic, ut aliqua cauſſa ejus negligentiae afferri poſſit, quae nec levior ea videatur, propter quam commutata ratio placet, nec tam facile, ut illa, in oculos incurrat. Juvat exemplum unum & item alterum proferre, ſi forte ineptos quoſdam commutatae orationis praecones hoc helleboro ſanare poſſimus. Homeri in Odyſſ. Τ. 204. ſ. hi ſunt verſus:

Τῆς δ᾽ ἄρ᾽ ἀκουούσης ῥέε δάκρυα, ΤΗ'ΚΕΤΟ δὲ χρώς.
ὡς δὲ χιὼν ΚΑΤΑΤΗ'ΚΕΤ᾽ ἐν ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν,
ἥν τ᾽ εὖρος ΚΑΤΕ'ΤΗΞΕΝ, ἐπὴν Ζέφυρος καταχεύοι,
ΤΗΚΟΜΕ'ΝΗΣ δ᾽ ἄρα τῆς ποταμοὶ πλήθουσι ῥέοντες·
ὣς τῆς ΤΗ'ΚΕΤΟ καλὰ παρήια δακρυχεούσης.

Ecce idem verbum quinque verſibus toties adhibetur ab eo, cujus copiam & varietatem omnis aetas eſt admirata. Habet ſane res negligentiae ſpeciem injucundae, ſi repetitionem eorundem ſonorum, aurem prope

prope fatigantium, ſpectes. In omni enim re varietas plurimum delectat, & ea ipſa eſt, quae commutationem orationis commendat. Sed ſi intelligas, quid interior quaedam cura ſub hujus negligentiae involucro abdiderit, plus ea, quam varietate, capiare. Itaque etiam hic locus ſemper mirifice a doctis Criticis eſt laudatus. Nempe cum verbum illud, quo uſus eſt Homerus, ſit iis rebus, de quibus dicit, omnium aptiſſimum, inanis & intempeſtiva varietas fuiſſet, ſi diverſis verbis uſus eſſet, ut ſcite monuit Hermogenes *Method. c.* 4. Eodem modo Cicero in una epiſtola *ad Div.* XI. 16. *epiſtolam reddere* paucis verſiculis ter dixit, ſpecie negligenter, re eleganter. *Mil.* 13. *inſidias factas* eſſe *conſtat, & id* eſt, *quod ſenatus contra remp. factum judicavit: ab utro factae* ſint, *incertum* eſt, *de hoc igitur latum* eſt, *ut quaereretur.* Caeſar *de B. G.* V. 50. ejuſdem periodi bina membra verbo *jubet* concludit. Livius XXX. 33. in una eademque comprehenſione poſuit: elephantos *inſtruxit*, & ſubſidiariam aciem *inſtruxit.* Libro autem II. 32. ter *eſt*, cum infinitivo *eſſe*, duobus verſiculis ſcripſit: denique IV. 3. eodem verſiculo: ſpes —— ſi dignus *ſummo honore*, adipiſcendi *ſummi honoris.*

Tertia eſt collocatio verborum, in qua grata negligentia, auctore Cicerone, reperitur. Age ergo hujus quoque exempla quaedam e Cicerone & Livio proferemus. *ad Div.* XII. 2. qui, quia, quae *de rep. bene ſenſerint, libere locuti ſunt, tuto in ſenatum venire non poſſunt.* Hic Graevius offenſus omiſit tertium *quae*, quod tamen ſententia requirit. Eodem modo dixit Cicero *pro Quint.* 11. *& is* qui, quia, quod *nunquam debitum eſt &c. Nat. D.* I. 20. qui, quia, quemadmodum *natura &c. Offic.* I. 20. *fortis animus & magnus duabus rebus cernitur. ibid.* 61. *pleniore* ore. *Divin.* I. 43. *Viſus eſt in ſomnis* amicae amictus *eſſe* amiculo. Talia perquam multa ſunt apud Ciceronem: plura etiam apud Livium. Multa jam congeſſit ad XXXI. 22. Gronovius, admonens lectores, ne, in hiſtoricis, (quidni ſcriptoribus antiquis omnibus?) emendandis, aurium judicium ſequantur. Ex iis haec ſunt: *quam per pavorem amiſerant patriae, profectae poſtea a Vejis: bona, quae publicari poterant, pigneranda poenae praebent:*

priusquam conſules praetoresque in provincias profici-ſcerentur, prodigia per pontifices procurari placuit. Hic Gronovius ſubjicit: *Haec meditatus eſſe quidem & ſcripſiſſe Livius, ſed legi audiviſſe non videtur.* Non repugnem: ſed mihi tamen magis placet Servius ad Virgilii verba *Aen.* II. 199. *Hic aliud* majus miſeris multoque *tremendum Objicitur* magis &c.. *Frequentavit M.* inquit, *ut*, & ſale ſaxa ſonabant: *&:* caſus Caſſandra canebat. Addere poterat ex illo ipſo libro vſ. 201. *ſorte ſacerdos Solemnis* taurum &c. *Nam apud veteres a ſimilibus incipere vitioſum non erat.* Idem fere pronunciat Vavaſſor *Antibarb. p.* 511. 567. 571. *ed. Lipſ.* Nam Livium Ciceronemque iſta non aeque ac nos ſenſiſſe, aut, ſi ferenda non eſſent, ab amicis, hunc quidem ab Attico & Tirone, quos ſcriptorum ſuorum canonas vocat, monitos non fuiſſe, vix mihi probari poteſt. Negligentiam habere videbant, ſed eam non ingratam fore credebant.

Poſſemus multa alia ex omnibus, quae poſuimus, generibus, aliisque inſuper, commemorare, ſed tempore & ſpatio excludimur. Quare faciemus illud potius, cujus cauſſa haec ſcriptio ſuſcepta eſt. &c.

HISTO-

HISTORIA CRITICA
OPERUM CICERONIS
TYPOGRAPHORUM FORMULIS EDITORUM.

In adeundo munere eo, quod in eloquentia praeceptis exemplisque docenda verſetur, nihil facilius aut aptius in mentem venerit ſcribere, quam de *Cicerone*, eloquentiae verae & magiſtro optimo, & exemplo, quod quidem exſtet, perfectiſſimo, atque imitatione digniſſimo, praeſertim nobis, qui in ejus libris intelligendis interpretandisque plurimum ſtudii curaeque poſuimus, & hoc tempore, quo in editione Operum ejus iterum concinnanda, & Clave Ciceroniana caſtiganda augendaque maxime verſamur. Sed de ingenio viri, virtutibus, rebusque geſtis, ita jam dudum omnis conſumta eſt diſputatio, ut, quod de iis legere quisquam, non hoſpes in his literis, cupiat, vix reperiatur. Illud autem nobis occurrit nondum nec tentatum ab ullo eſſe, nec perfectum, ut Operum Ciceronianorum omnium editiones recenſeret accurate ad eumque modum, qui unus enumerationem editionum atque ſcientiam utilem efficere poteſt: h. e. ut, unde quaeque ducta ſit, quid vel a ſuperioribus exemplis, vel a ſcriptis libris, vel a doctorum hominum ingeniis acceperit, quid adeo pretii ei ſit ſtatuendum, quam auctoritatem in lectionum judicio habere debeat, intelligatur; ad quem nos modum nuper *Taciti*, *Burmannus*, *Drakenborchius*, aliique aliorum ve-

veterum ſcriptorum editiones percenſuere, denique Catalogos editionum in *Fabricii* Bibliotheca Latina, adjuvantibus doctis quibusdam viris, corrigere & locupletare in animo habemus. Hoc igitur nunc agemus, & ita ſpecimen novi inſtituti proponemus.

Initium Ciceronianorum Operum per typographorum formulas edendorum ſatis conſtat factum eſſe a ſingulis libris, auſpicantibus Germanis noſtris, primum Mogontiaci *Jo. Fauſto*, in aureolis de officio libris, poſt in Italia *Ulr. Han*, & *Vendelino Spirenſi*. Sed omnium, quae quidem prolata e bibliothecis eſſent, operum una edendorum primus conſilium cepiſſe videtur *Nic. Jenſon*, qui Venetiis a. 1470. 71. praeter Rhetoricos libros, Epiſtolas duobus voluminibus edidit: primus perfeciſſe exiſtimatur *Alexander Minucianus*, qui quatuor voluminibus *Mediolani* 1498. & 1499. omnia complexus eſt. Quod dubium facit de *Pannartio* & *Schweinhemio*, Epiſtola *Jo. Andreae* Alerienſis, ad *Sixtum* IV. Pontificem, quae habet enumerationem librorum ab his Romae editorum; in quibus ſunt quinque volumina Ciceroniana, duo Epiſtolarum, Rhetoricorum autem librorum & philoſophicorum, Orationum denique ſingula. Sed ordo librorum ibi enumeratorum, ſi eſt temporibus conſentiens, videtur indicare, omnia quidem Ciceroniana eſſe ab Germanis iſtis edita per partes, ſed non, ut unum opus eſſet, quodque pro uno opere venderetur. Editionem autem Mediolanenſem, quanquam minus accurate quam vellemus, deſcribunt *Verburgius* in praefatione *Ciceronis* ab ſe editi, & *Saxius* in Hiſt. typogr. liter. Mediolan. p. CCCCXVI. & Catalog. libror. Mediol. editorum p. DCIV. & DCV. qui etiam exhibet epiſtolam, qua volumina duo poſteriora dedicantur *Jo. Jac. Trivultio*, p. DXXV. cujus nulla mentio apud *Verburgium*. *Minucianus* Mediolani docebat literas Latinas, idemque libros antiquos formulis deſcribebat. v. *Saxius* l. c. p. CCCCXVII. Sed ille ſaepius repetebat ab aliis edita, ut patet ex iis, quae de *Tacito Beroaldino*, Mediolani recocto, diximus in praefatione editionis noſtrae, quam e libris ſcriptis edebat. In Ciceronis operibus quid praeſtiterit, ex ipſo audiemus. *Ciceronis Opera* ſe, ait in capite voluminis primi, *diſpoſuiſſe, non eo ordine, quem temporum ratio*

tio poſtularet, ſed, quem neceſſitas praeſcriberet, dum vetuſtiora exemplaria e diverſis & longinquis locis arceſſeret. Vetuſtiora exemplaria utrum manu ſcripta, an formulis typographicis deſcripta intelligat, pro conſuetudine loquendi illorum temporum, fortaſſe intelligi poteſt e verbis Epiſtolae ad *Trivultium:* nam verborum illorum ambiguitate ſaepe vidi falſos eſſe viros doctos, qui *vetera exempla* ſemper ſcriptos libros putarent. Ait ergo: *Livii editio cum honeſte mihi ſucceſſiſſet, & hominibus ſtudioſis haud ingrata fuiſſet, ad majora animum intendens coepi mecum cogitare, an aliquid opis Ciceroni afferre poſſem, cujus opera magna ex parte mutilata, depravata atque praepoſtera legerentur. Quare e diverſis bibliothecis compluribus conquiſitis Ciceronis operibus, quae in noſtram hanc editionem conſulerem, etſi ex unico exemplari lancinato, ut arbitror, & carioſo deſcripta videbantur, ab illo tamen temporum culpa ita degenerarunt, ut ab ipſo Cicerone, ſi reviviſceret, vix ſua agnoſcerentur. Propter quod jam me conſilii poenitere incipiebat. ——— Verum, quia opificum incuria in pejus quotidie ruerent, & iis, quae in manibus haberentur, deteriora fierent, volui in propoſito perſeverare, ut alius multiplicioris lectionis, & in habendis fidelioribus exemplaribus longe me felicior, exemplo noſtro invitatus, aliquid majoris opis lapſis jam Ciceronis rebus afferre ſtudeat, cum interea ea me conſcientia conſolari poſſit, qui divinis operibus ſic in unum redactis, uti majeſtatem attulimus, ita multis mendis repurgavimus.* Ex quibus in promtu eſt *Minucianum* nullis ſcriptis libris, ſed ſolis editis uſum eſſe, ex iisque collatis, & ſua quoque correctione adhibita, novum textum confeciſſe, eamque ob causſam ei tantum tribuendum eſſe, quantum prioribus exemplis Italicis, quae ſane, ut ipſe ait, ſingula e ſingulis libris ſcriptis, iisque non integerrimis ducta erant: quanquam ita loquitur Minucianus, acſi omnium operum exempla omnia ex uno eodemque libro ac Volumine repetita fuiſſent, quod ſecus eſſe, ſatis conſtat, venitque nobis in mentem conjicere, Minucianum, quae de Volumine uno, ut Orationum, aut Rhetoricorum legerat, ad totum Ciceronem transtuliſſe.

Huic proxima eſt *Aſcenſiana prima Pariſiis a.* 1511. quatuor majoris formae Voluminibus curata. Eam du-

ctam eſſe de Mediolanenſi, his argumentis inducor, ut credam. Primum Oratoriis libris pariter, ut in Mediolanenſi, addidit *Aeſchinis* & *Demoſthenis* Orationes contrarias, ex *Aretini* verſione: deinde Orationes dedit eodem ordine, quo *Minucianus* cum ſuperioribus omnibus dederat, ut a Maniliana inciperet, in Verrinis, & Philippicis deſineret, Catilinariisque ſubjiceret *Salluſtii* invectivam in *Ciceronem*, & *Ciceronis* Recriminationem: denique lectiones habet, quas e Mediolanenſi laudari vidi, in nulla alia antiqua reperi, ut in Divinat. c. 2. *adduci*, ubi ſequentes *adductum eſſe*. (*) Neque tamen mera repetitio eſt Mediolanenſis: ſed bona pars recognita & emaculata eſt ad exempla a *Guil. Budaeo* caſtigata, per *Gerardum Vercellanum*, eruditiſſimum virum, qui iſti editioni praefuit, itemque *Guil. Mainum*, liberorum *Budaei* praeceptorem, qui ſpecimina typographica correxit, in parte ea, quae Epiſtolas continet. Acceſſere ſingulis voluminibus Indices rerum, ſed breves. In marginibus etiam notatae paſſim ſunt variae lectiones, undecunque ductae, quarum nonnullas in textu ſequentium editionum, ut *Aldinae*, reperi, etiam conjecturae, ut *Scodrenſis* (*Becichemi*) in Rhetoricis. Ceterum, quantum & in quibus a Mediolanenſi receſſerit, cognoſcere nondum licuit, cum facultas Mediolanenſis videndae & comparandae nulla mihi unquam contigerit. (**)

Secuta eſt *Aldina*, inſtituta *Venetiis* a. 1519. & 1523. abſoluta, novem voluminibus minoris formae. *Aldus* ipſe ediderat primo a. 1502. epiſtolas ad Diverſos, ad Atticum autem, Brutum & Q. Fratrem a. 1513. octonis. Quas cum ederet, in animo ſe habuiſſe, ait in praefatione ad *Phil. Cyulanum Moram*, Pannonium, regium ad Venetos

(*) Alia indicia occurrent in Narratione *de edd. Orationum Cic.*

(**) Poſt haec ſcripta contigit, exemplo nobis e Britanniis allato. Quo comparando cognovimus in lectionibus ipſis raro recedere a Minuciano exemplo. Itaque *Gravius* & *Ganius* pro *Gavius*, & alia in Verr. V. ſimiliter vitioſa, pariter ſunt in Aſcenſiana: item bona, ut Verr. IV. 58. *Vidimus* pro vitioſo *videmus*, de quo in Narr. ſequ. In Verr. V. 58. autem habet prima Graecum, ſed vitioſe, ἐσεπτώθησαν pro ἰδὼν.

tos oratorem, tribus voluminibus ita cetera *Ciceronis* opera edere, ut uno libros Philoſophicos, altero Rhetoricos, tertio Orationes complecteretur, eaque ſic emendata, ut pauca in iis deſiderari poſſent. Sed illud conſilium hactenus irritum fecit mors viri 1515 conſecuta, ut Rhetoricos tantum uno volumine, ſed paullo majoris formae ederet anno poſt. Mortuo igitur *Aldo*, *Aſulanus* curavit, ut omnia Ciceroniana eadem forma ederentur, iis, quibus diximus, annis. Et in epiſtolarum quidem exemplis nil aliud curatum videtur ab *Aldo*, niſi, ut operarum vitia, quae in ſuperiores editiones irrepſerant, tollerentur. Nihil certe aliud ſibi in praefationibus tribuit. Sed tribus illis, quae deſtinaverat edere, voluminibus praefecerat *Andream Naugerium*, qui illo tempore aſſiduus erat in ſcriptoribus Latinis ex antiquis Codicibus emendandis. Ab eo igitur illa Rhetoricorum librorum editio emendatior ſuperioribus facta eſſe traditur. Sed idem emendatiores fecit Orationes, & de Philoſophia libros, in editione *Aſulani*, quanquam *Aſulanus* omnia ſibi tribuit. Nam in praefatione Philoſophici voluminis (p. 5.) *omnia*, ait, *quod & in orationibus ante fecimus, cum veteribus & emendatioribus libris contulimus, atque omni conatu enixi ſumus, ut quam caſtigatiſſima prodirent: multa certe, quae in his, quae circumferebantur, exemplaribus deerant, addita, multa immutata ſunt: quod ita eſſe, ſi quis ea conferre voluerit, facillime judicabit.* Sed non nimis credendum eſt talibus dictis. Non negamus porro, pluribus locis emendatiorem factum eſſe Ciceronem per *Aſulanum* vel *Naugerium*: ſed interdum non meliores lectiones receptas obſervavimus: & vitia operarum non nimis rara ſunt: quod dudum animadverterat magnus *Eraſmus*. Nam in Epiſtola ad *Conr. Goclenium* queritur, in Adagiis ſuis loca quaedam *Ciceronis* & *Homeri* a *Nicolao Bentio* mutata & depravata eſſe ex editionibus Aldinis, quas eſſe depravatiſſimas: quod ſane & de *Homero* Aldino a. 1504. edito verum eſt: cujus exemplum habemus, quod *Eraſmo Phil. Melanchthon* donavit his verſiculis:

Τήνδε δόσιν ἀγαθήν τε φίλην τ' ἔχε φίλτατ' Ἔρασμε
Πάσης τῆς ἀρετῆς ϗ σοφίης πατέρα.

quam

quanquam pleraque correcta in edd. a 1517. & 1524. reperimus. Nimis multos libros & nimis feſtinanter illa officina, inprimis poſt *Aldi* mortem, protruſit: unde plerique perquam vitioſi ſunt. Nihil hodie tam vitioſe editum vidi, quod non longe ſuperaret *Athenaeus* Aldinus. Sed hoc obiter. In ordine librorum, (nam hoc quoque non praetereundum eſt) aliquid mutavit *Naugerius*. Nam orationes ita digeſſit ex ordine temporum, ut hodie eduntur, & *Lucullum*, qui ante quartus Academicarum habebatur ſecundum primae editionis inſcripſit, & primo loco poſuit: eum autem, qui primus numerabatur, editionis ſecundae primum. In quo recte atque ordine feciſſe, nemo dubitare poteſt. Sed veri hic videndi initium fecerat *Minucianus*. Nam liber primus ille ſecundae editionis, ante eum inſcribebatur falſo *Pars libelli de Philoſophia.* h. e. *Hortenſii:* ab ipſo Academicarum primus proſcriptus eſt.

Jam ſi *Aſcenſianam alteram* a. 1522. f. non numeres, quae plane Aldinam neglecta priore repetiit, ſervatis tamen prioris editionis notis in margine; quarta eſt & Aldinae proxima *Baſileenſis Cratandri* a. 1528. tribus tomis maximi moduli comprehenſa, charta & formis literarum elegans. Hanc ad Aldinam expreſſam eſſe, non poteſt dubitari. Nam & ordinem Orationum & librorum Philoſophicorum Aldinum ſecutus eſt, & deprehendi lectiones, quibus Aldina ab Aſcenſiana diſcrepat. In Rhetoricis tamen ordinem veterem *Badii* ſervavit, ut Topica & Partitiones ante libros de Oratore poneret. Sed multis modis praeſtat Aldinae. Nam *Cratander* a doctiſſimis iſtius aetatis in Germania viris egregie eſt adjutus. *Conr. Peutingerus* ei miſit aliquot Orationum reliquias, & venerandae vetuſtatis exemplaria. *Hartmannus* JCtus, & Principis Palatini a ſecretis actis, uſum Codicum Heidelbergicae Bibliothecae impetravit, per quos aliquoties *Ciceroni* veram & genuinam lectionem vel vindicatam vel emendatam ait. Alios Codices cum ipſo communicavit *Jo. Sichardus*, alios ipſe non parvis impendiis, nec vulgari peregrinatione conquiſivit. Etiam ſex *Epiſtolas ad Brutum*, ante non editas protulit. Iis autem praeſidiis ſane bonis, (nam Victorius fatetur Codices Germanicos fuiſſe optimos) utendis, & omnibus operibus Ciceronis caſtigandis prae-

fuit

fuit *Mich. Bentinus*, vir rara literarum ſcientia, cujus opera *Cratander* etiam in aliis libris uſus fuerat, in ipſa hac *Ciceronis* caſtigatione, dum ultimam manum imponere vult, mortuus. Haec igitur editio praeſtantiſſima eſt, & ſuperioribus longe melior: qua & inprimis uſus eſt Victorius. Sed inprimis Orationes longe caſtigatiores factae ſunt, in quibus etiam duae, altera pro *L. Flacco*, altera in *Vatinium*, per Peutingeriana exemplaria, magna acceſſione adauctae ſunt, eaque ex hac editione in ceteras pervenit. De orationis pro *L. Flacco* loco, ab *Peutingero* etiam correcto, in voce *monedulae*, eſt adnotatio *Peutingeri* in primo Volumine: quam ignoraſſe vidi *Graevium*. *Camerarius* ad Or. pr. *Flacco* c. 31. init. notat, multa hic in prioribus libris, ante aliquot annos editis, non reperiri, quae in poſt editis legantur. *Sylvius* primum edita, ait, in Codice in Germania impreſſo: *Graevius*, ea non reperiri in Mediolanenſi & Aſcenſiana a. 1511. At etiam abſunt ab Aldina, inde a verbis, *primum ut in oppidum*, usque ad haec: *ita ſcitote*, *judices*, *eſſe cetera* c. 33. med. Quid opus erat ambagibus? A *Cratandro* primum edita eſſe, monendi erant lectores. Sed *Peutingerus* illum locum acceperat ab *Hieronymo Rorario* Forojulienſi. Neque vero fecit *Cratander*, quod alii tum vulgo, ut ederet, quod ſibi videretur, quid diverſum in libris reperiſſet, reticeret: ſed diverſitatem lectionis in margine ſaepe indicavit. Praemiſſa etiam ſunt excerpta e priſcis & recentioribus ſcriptoribus, ad interpretationem locorum difficilium pertinentia, & additi indices jam percopioſi.

Hujus tam praeclarae editionis exemplis celeriter divenditis, ſex annis poſt h. e. a. 1534. in eadem urbe curata eſt alia apud *Hervagium*, quatuor tomis, forma maxima, charta & literarum formis multo elegantior & nitidior. Nec ceteris rebus non habet, quo commendetur. *Hervagius* quidem in epiſtola ad notiſſimum illum Caroli V. Pro-Cancellarium, *J. Held*, ait, ſe non ſolum recentes Gallicas & Germanicas editiones in conſilium adhibuiſſe, h. e. Aſcenſianam ſecundam & Cratandrinam, ſed etiam antiquiſſima exemplaria Romana, Florentina & Veneta (intelligens *Hani*, *Panar-*

tii,

tii, *Jenſoni*, *Spirenſis* &c. exempla) pleraque etiam manuſcripta e ſuperiori ſeculo transmiſſa, quod ea vulgaribus iſtis editionibus a viris doctis longe praeferri cognoverit: in quo videtur aliquid invidiae adverſus *Cratandrum* ineſſe. Habet haec editio aliquid novi boni, ſimile iis, quae *Cratandri* editio in Or. pro *Flacco* & in *Vatinium* praecipua habet. Nam Orationis pro *Sextio* lacunae, quae in ſuperioribus editionibus multae & magnae fuerant, quasque in Aldinis exemplis ſtellulae in margine poſitae indicant, expletae ſunt, & oratio haec tertia prope parte auctior facta eſt e Codice *Gabrielis Florentii Talenti*, Mediolanenſis Senatoris: quod etiam e libello Var. Lect. Graeviano patet: ubi tamen aliquo loco c. 51. errore quodam ſemper *Hervagii* nomen pro *Cratandrino* ponitur. Varietatem autem lectionis in manuſcriptis libris & exemplis veteribus repertam, non ille in margine diſpoſuit, ſuperiorum inſtituto, quod erat lectoribus commodius, ſed in libellum peculiarem congeſtam ad calcem rejecit. Obſervavi permultis locis in hac editione eſſe lectiones, quas primus eodem anno dedit Victorius, itemque vitia Victorianae editionis, ut pro Font. c. 4 *hominibus* pro *nominibus*.

Sed circa idem tempus ad *Ciceronem* ex libris ſcriptis & editis caſtigandum, & opera omnia emendate edenda animum contulerat *P. Victorius*, tanta felicitate, ut nunc quoque ſoſpitator *Ciceronis* putetur, & ſuperiorum merita, ſane, ut vidimus, non parva, obſcuraret. Nam & libros editos & ſcriptos diligenter inſpexerat, in his vetuſtiſſimum Mediceum, cui plurimum tribuit, Epiſtolarum ad Diverſos, ex iisque magna cum fide ac religione, adde etiam acerrimo judicio, contextum Ciceronianorum operum conſtituerat, de quo tanto minus quisquam dubitare poteſt, etiamſi ipſe ſuo judicio non confidat, quo magis in eo, qui in hoc genere plurimum vident, omnes conſentiunt. Hoc tamen in *Victorio* jure deſiderabat jam *Camerarius* noſter, omnium bonarum literarum facile princeps, quod in nonnullis nimium ſuis libris tribuiſſet, quaedam etiam nimis contra uſitatam & vulgatam in editis lectionem exquiſiviſſet, adfectato quodam, ut opinor, antiquitatis ſtudio, cui etiam illa ſcriptura

ver-

verborum inſolentior *apiſci*, *baca*, *flama*, *conlocare*, *exprobare*, *oſtes*, *repueriſcere*, *tramittere*, *viris pro vires*, & aliorum debetur. Sed quidam ex antiquis Codicibus etiam ſordes tollunt, ne qua auri mica ſub iis relicta pereat. Atque etiam plus curae poſuit in Epiſtolis, quam libris Philoſophicis, & Rhetoricis, & Orationibus. Nam in illos non multum, in has nihil notarum dedit: arripuitque magis hic illic quaedam Ciceronis membra, ut ſanaret; quam totum corpus curavit: quod ei in illa librorum veterum copia, & in illa judicandi dexteritate proclive erat. Haec Victoriana editio, quatuor & ipſa magnis voluminibus conſtans, curata eſt *Venetiis* a *Lucio Antonio Junta*, annis 1534. 36. 37. ſuperatque ſuperiores omnes etiam formarum & chartarum pulcritudine: nec verum eſt, quod traditum reperi, literis vulgaribus, quas curſivas vulgo dicunt, expreſſam eſſe: nam id tantum factum eſt in editione epiſtolarum ad Atticum, quae facta eſt *Florentiae* apud *Juntas* a. 1571. quo exemplo uſum ſe memorat *Graevius* beneficio *Malliabeccii*.

Cum magnopere probaretur omnibus Victoriana recenſio, ſtatim reperti ſunt, qui eam repeterent: quidam ſimpliciter, quidam cum judicio. Ex illo genere eſt major *Roberti* (non *Caroli*, ut mirifico errore aliquoties habet *Verburgius* l. c.) *Stephani* editio *Pariſienſis* anni 1539. quae in ipſo titulo ſe Victorianae filiam profitetur, & *Lugdunenſis Gryphiorum*, anni 1540. octonis, ſaepe deinde recocta, novem voluminibus conſtans: cui tamen editioni praefuit *Jo. Mich. Brutus*, qui aliquid amplius praeſtare in animo habebat. vid. epiſt. *Bruti* laudata a *Graevio* in praef. Or. Cic. (*). His accenſendae *Sturmianae*, quarum prima eodem anno *Argentorati*, totidem partibus facta, ſed ita, ut paucis in locis judicio ſuo uteretur, & Aldinam quoque adhiberet, maxime in Orationibus. Longius progreſſus eſt ille noſter *Camerarius*, qui ſe ab *Hervagio*, novam *Ciceronis* editionem moliente, induci paſſus eſt, ut ad *Ciceronem* recenſendum accederet: quo nemo tum erat ab ingenio, doctrina & curioſa *Ciceronis* lectione ad eam

(*) Vid. quae de ea in Recenſione edd. Orat. diximus.

eam rem inſtructior & paratior. Nam Victoriani exempli, *Venetum* in notis appellat, fidem & auctoritatem in plerisque ille quidem ſecutus eſt, ceterum priores lectiones, & ipſas e MSS. Codicibus ductas, ſaepe praetulit, ſecutus rationem & judicium ſuum, fugiensque illam, quam diximus, *Victorii* κακοζηλίαν. In quo uſus eſt etiam ratione digna commemoratu, & iis, qui in veteribus libris accurate velint verſari, in non uno ſcriptore profutura. Quasdam enim lectiones librorum diverſas eſſe, ait, ejusmodi, ut ſuſpicio exiſtere vel debeat, vel poſſit, non alteram ex altera per commutationem quandam ortam, ſed utramque repertam fuiſſe. Nam & quaedam primo quondam ab auctoribus edita, poſtea mutata & caſtigata eſſe, & non abhorrere a vero, diverſa exempla de diverſis archetypis, non de uno, ſumta & prodita fuiſſe: quam obſervationem ſuam fecit *Car. Stephanus* in admonitione praepoſita variis Lectionibus Orationum (T. II. p. 682.) *Dubium non eſt, aut Ciceronem multis amanuenſibus uſum eſſe, aut ſaepius transſcripta exemplaria ſua emendaſſe &c.* Ceterum haec Camerariana recenſio prodiit *Baſileae* a. 1540. tomis quatuor moduli maximi, formis literarum & charta ita nitida, latisque marginibus, ut cum plerisque ſuperioribus pulcritudine certare poſſit. Acceſſit in fine libellus variarum lectionum e libris antiquioribus.

Eodem anno quadrageſimo in lucem data ſunt primum exempla recenſionis a *Paullo Manutio* factae *Venetiis*, decem voluminibus 8. repetitae etiam a. 50. ſqq. & 63. Nam, quo tempore *Victorius Ciceronis* caſtigationem ſuſceperat, idem agebat *Manutius*, adoleſcens tum, ut ipſe ſe vocat, duodetriginta annos natus, non interpres magis, quam imitator *Ciceronis* feliciſſimus, agebatque ſtudio curaque ſingulari. Nam & Romam ſe contulit, & partem Italiae eam, quae erat librorum antiquorum bibliothecis celebrior, magno ſumtu & labore peragravit, ut veteres codices Ciceronis conſuleret (praef. Ep. Cic. ad Famil. ad *Maphaeum Leonem*) ſed inprimis libros perantiquos nactus eſt *Epiſtolarum* Ciceronis ad Fam. a *Bernardino Maffeo, Vinc. Riccio* & *Ubaldino Bandinello* (v. Schol. ad. I. 9. extr. X. ult.) itemque a

Jo.

Jo. Scala, *Paullo Boto*, *Petro Bembo*, *Sigonio* &c. (ad XII. 13.) *Epiſtolarum ad Att.* cum alios, tum *Barthol. Cavalcantis* antiquum & bonum, cui plurimum tribuit: *librorum Philoſophicorum* antiquiſſimum & optimum *Bernh. Maffei*, aliosque: *Rhetoricorum* duos *Borromaei*, totidem *Fulvii Urſini*, & *Latinii*, aliosque: nec in Orationibus emendandis ſine libris verſatus eſt. Et his copiis uſus eſt in editione iſta, quae primum, uti dixi, a. 40. curata, poſt aliquoties repetita eſt: quanquam epiſtolarum volumen jam ante aliquoties prodierat ſeparatim, ut e diverſis praefationibus patet. Alii poſt Codices conſulti ſunt, quibus uſus eſt in majoribus Commentariis (v. ad Ep. ad Div. X. ult.) Nam huic, de qua loquimur, editioni tantum brevia ſcholia addidit, quibus vel obſcura loca explicaret, vel emendationum rationem redderet, non tamen univerſae, ſed tantum Epiſtolis ad Div. libris Philoſophicis, & libris de Oratore; in ceteros, Rhetoricos, & orationes, quod ſciam, nihil. Nam in tribus, quae habeo, exemplis edd. a. 40. 52. 64. nulla ſunt. Habuit *Manutius* aliquid controverſiae cum *Victorio*, quem in ſcholiis ad Epiſtolas aliquot locis vellicaverat, eaque re commoverat *Victorium*, ut *Caſtigationes poſteriores* a. 40. ederet; quae tamen ad ſolas epiſtolas pertinent: quibus permotus *Manutius* ea poſthaec e ſcholiis ſuſtulit; nec extant in exemplis editionum ante memoratarum, ſed in exemplis prioribus epiſtolarum, quae expreſſit *Rob. Stephanus*, in editione ea, de qua nunc dicam. Miror, eruditos illa editione prima non uſos eſſe: cum Manutii lectiones memorant, intelligunt ed. Aldi Nepotis majorem, de qua mox.

Rex ea aetate Franciae imperabat *Franciſcus*, bonarum literarum amantiſſimus. Is non modo bibliothecam inſtruxerat ampliſſimam omnis generis librorum, Hebraicorum, Graecorum & Latinorum, ſed etiam omnium illarum linguarum novas & elegantes literarum formas per artifices praeſtantiſſimos ſcalpi jusſerat, ut illo ſeculo nata ſcribendi ratione (curſivam intelligit, a *Franciſco Bononienſi* inventam) optimus quisque liber deſcriberetur. His igitur literarum formis ſcriptores Latinos deſcribendi initium fieri placuit a *Ci-*

ceronis Operibus, per *Robertum Stephanum*, qui annis 1543. & 1544. omnia Ciceroniana octo voluminibus edidit, octonis. Priora tria volumina habent Orationes, ſequentia duo Epiſtolas, ſextum & ſeptimum, philoſophicos libros, ultimum rhetoricos. De ratione edendi nihil aliud tradit *Robertus*, niſi multa, quae in aliarum editionum libris corrupte legerentur, ex diligenti vetuſtorum exemplarium collatione eſſe emendata. Sed tales profeſſiones quam obſcurae & ambiguae ſint, quam etiam parum fide dignae, inter peritos hodie ſatis conſtat. Nondum diu hujus editionis exemplum eſt bibliothecae noſtrae pars: necdum nobis fuit otium totius accurate cum ſuperiorum editionum exemplis comparandae: ceterum inſpiciendis aliquot libris, ut Tuſc. & N. D. primo, & locis plurimis, praeſertim in Epiſtolis ad Diverſos, in quibus recenſendis maximam diligentiam poſuere *Victorius* & *Manutius*, crebriusque quam in ceteris libris a ſuperiorum editionum ſcriptura receſſere, *Stephanum* reperi, exprimere lectiones editionis Manutianae, non Victorianae; omninoque diverſas a Manutiana adeo raro, ut iis quoque locis non *Victorium*, ſed alios libros ſecutus videatur. v. c. I. 1. *Manutius* primus edidit *commodo reip.* idem exhibet *Stephanus.* I. 5. *nimium magno ſilentio* eſt in *Vict.* & *Cam.* Sed *Camerarius* notat, verius eſſe, quod libri quidam habeant *omnium m. ſ.* id cum *Manutio Stephanus* expreſſit. In eadem epiſtola *Victorius* habet *eripiatur nobis cauſſa regia; Camerarius: er. a nobis cauſſa r. Stephanus* cum eodem *Manutio: eripiatur nobis aut aeſeratur*, ejectis verbis *cauſſa regia:* quod non vidit *Graevius*, qui *Manutio* & *Lambino* haec verba de gloſſa ſuſpecta memorat, ceterum ſine libris non tollere audet. I. 9. primus *Manutius* edidit *non modo praemiis*, pro *non modo non praemiis:* idem habet *Stephanus.* Ibid. *primum illa furia* ſervat *Manutius:* id ſequitur & *Stephanus*, cum *Victorius* jam dediſſet *furia.* I. 9. extr. deſerit *Manutium*, & pro *felicitatem* habet veterem lectionem *facilitate*, forte caſu &c. IX. 15. ſequitur Manutium in verbo *commorationis.* Ex his autem intelligitur, Stephanianam editionem eſſe illam quidem repetitionem Manutianae, cujus etiam ſcholia in epiſtolas adſumſit, ſed quaedam

ta-

tamen propria habere, vel ex aliis edd. vel e Mſſ. quae ad lectionem veram indagandam interdum prodeſſe poſſint.

Illis ipſis autem annis, quibus Stephaniana prodiit, *Ciceronis* Opera etiam a *Sim. Colinaeo* in eadem urbe, edita ſunt duodenis, partibus undecim, ut vidi in Catalogo Muſei Boſiani. Literarum formae & chartae ſunt longe nitidiſſimae. Profeſſio librarii & commendatio libri haec eſt: *Omnia collatis vetuſtis libris manu ſcriptis, idque adhibito judicio, locis quam plurimis ſummo labore ſummaque diligentia emendata ſunt.* Collatio autem facta cum aliis exemplis docuit me, eſſe meram repetitionem exempli Stephaniani: quippe etiam interpunctiones vitioſas & perturbationes ſervat. Sed eundem *Colinaeum* jam ante, ſive omnia Ciceroniana, ſive plures partes edidiſſe a. 1532. reperi, de quibus dicere nihil licet: niſi tamen vitium in numero eſt.

Poſt has editiones Francicas, & cum jam aliquoties Manutiana editio repetita eſſet, *Ciceronis* opera edita ſunt ſplendidis & chartis & literarum formis a *Carolo Stephano Pariſ.* 1554. quatuor voluminibus maximi moduli. Ei editioni quis praefuerit, non traditur. In univerſum ad *Manutii* aut *R. Stephani* exemplum expreſſam eſſe video. Nam lectiones habet eas, quas primus invexit *Manutius*, ſecutusque primus eſt *Stephanus*, ut in Or. pro *Roſcio Comoedo* init. *tabulas hominis honeſti*, pro quo in omnibus ſuperioribus eſt *hominis citi*, & alias. Profeſſio editoris haec eſt in capite Varietatis lectionum, quae eſt ad calcem Tomi cujusque, nominatim T. I. p. 315. *maluiſſe ſe veterum Codd.* (manu ſcriptorum an editorum?) *lectionem adnotare, quam per ſingula loca emendare, relicto lectoribus judicio. Sed ubi tria aut plura exemplaria concurrerint, & re ipſa etiam loquente locum corrigere neceſſarium eſſet, id ea ſe lege feciſſe, ut hic quoque veterem lectionem deſcriberet.* Quae profeſſio ſatis honeſta eſt, niſi quod ambiguitatem habet in eo, cum tribus aut quatuor exemplaribus conſentientibus vulgatam lectionem correctam dicit. Nam ea exemplaria quae aut qualia fuerint, non dicit, & in vitioſis lectionibus ſaepe plerique Codices conſentiunt, nec quam multi, ſed quam

boni libri ſint, quaeritur. Sed peſſime hoc negotium eſſe adminiſtratum, res ipſa docet. Nam innumerabilibus locis vel expulſa dudum bonorum librorum auctoritate lectio eſt revocata, vel inducta nova, quam in nulla, inde ab Aſcenſiana prima, editione reperi, eaque plerumque haud dubie deterior vulgata. Ut eruditi homines ipſi judicare poſſint, lectiones aliquot capitum unius orationis ponam. In Divinatione igitur in Caecil. c. 1. pro *deſcendere* reponit *deſcenderim: praeponendum eſſe mihi* pro *m. e. praep. provincia diſceſſiſſem* pro *decesſiſſem: ſupplices iſſe* pro *ſ. eſſe.* c. 2. *in eum me locum adduci* (quod & Mediol. & Aſcenſ. habet, nec improbat *Graevius*) pro *i. e. m. l. adductum;* quod deſiderant verba *falleret* & *traduceret: quod res quae* pro *quod haec quae: quia mihi unus*, pro *ſi mihi unus: inſtituto meo video me* pro *inſtituto meo videor:* c. 3. *hoc unum jus tot incommodis remedium eſſe arbitrarer*, ineptiſſime pro *hoc unum his tot &c.* Atque tales mutationes in hanc unam Orationem quatuor & ſexaginta locis invectae ſunt: unde de hujus editionis ratione & pretio facile judicari poteſt.

Non diu poſt ad recenſenda edendaque Ciceronis opera invitatus ab librariis Lugdunenſibus acceſſit *Jo. Bulierius*, ejusque recenſionis exempla prodiere 1562. 12. & rurſus caſtigata 1568. minutiſſimis literis. Profeſſio eſt ſolennis illa, nunc primum optimis quibusque exemplis collatis emendatam eſſe. Textus nullum certum exemplum, ſed ſaepiſſime non bonas lectiones ſequitur, maxime Aldinae primae, cujus etiam in Orationibus praefationes habet. Variae lectiones notantur in margine, ſed paucae. Scholia quae in titulo commemorantur, in Orationibus ſunt rhetorica analyſin textus exhibentia, ut & in epiſtolis, ſed in his inprimis in libris de officiis, ſunt etiam quaedam ad ſenſum verborum pertinentia, quae fere de Eraſmi & Melanchthonis notis ſumta ſunt.

Paullo poſt ad recenſenda *Ciceronis* Opera magni illius *Erici Memmii* hortatu ſe contulit *Dionyſ. Lambinus*, vir excellentis ingenii atque doctrinae, tanto ſtudio & ſedulitate, ut, intra biennium cum dimidio amplius, totum negotium confecerit. Quod exemplum ma-

maxime in hac recenſione ſecutus ſit, non ille quidem indicavit: eſtque difficile, liquido judicare, in tanta frequentia aberrationum a ſuperioribus editionibus omnibus, ſed tamen non arbitror, me a vero aberraturum, ſi, eum *P. Manutii* aut *R. Stephani* exemplum maxime exprimere voluiſſe, dicam. Nam ejus editionis exempla tum maxime in Francia verſabantur in manibus, & ejus lectiones a ſuperioribus diſcrepantes ſaepius ceteris exprimit: quas etiam interdum vulgatas appellat, veluti in ep. 5. L. I. ad Div. habet, ut ante diximus, *omnium magno ſilentio eſt accuſatus*: in notula autem ad eum locum notat, alios habere *nimium m. ſ.* idque firmari libris ſcriptis: ſed ſe a vulgata diſcedere noluiſſe. Enimvero haec lectio eſt, ut ſupra oſtendimus, Manutianae & Stephanianae editionis, cum praecedentes, Cameraria-na, Victoriana, Cratandrina, Aldina exprimant *nimium*. Contra quod tamen video illud dici poſſe, quod lectiones harum editionum interdum ignoraſſe adeo videtur, ut in altero illo ſupra poſito exemplo verborum *cauſſa regia*, ad quae, videri ait, iſta verba delenda, nulla illarum editionum mentione. Sed *Lambinus* nimis in tanto opere feſtinavit, nec ſemper bonam fidem in laudandis auctoribus, unde profecerat, praeſtitit. Codicibus Mſſ. uſus eſt ſane pluribus, quam ſuperiorum quisquam, *Memmio*, aliisque ſuppeditantibus. Sed accuſatur nimiae in refingenda lectione vulgari licentiae, ut qui non modo e libris ſcriptis & editis, quod maxime placuiſſet, in textum receperit, ſed etiam ſuis ſaepe aliorumque doctorum hominum conjecturis locum dederit. Et illud quidem reprehendendum non eſſet, ſi modo e quibus & quam bonis libris ſumſiſſet, indicare voluiſſet, nec nos contentos eſſe juſſiſſet commemoratione nuda veteris, aut veterum Codicum: hoc autem ut interdum, ſi liquidae ſint & evidentes conjecturae, non improbandum, ſic ſaepe & nimis facile factum, ſane probari non poteſt. Audivi tamen e docto quodam Italo, Lambinianam recenſionem omnium maxime probatam fuiſſe *J. Facciolato*, viro Latine doctiſſimo, & Ciceroniana lectione inprimis trito. Ac profecto ſi *Lambinus* non hoc conſecutus eſt, ut ubique

Ciceronis veram manum exprimeret (quis enim hoc vel religioſiſſimus, & ſcrupuloſiſſimus editor eſt conſecutus, aut ſe conſecutum putet?) certe hoc videtur perfeciſſe, ut exhiberet, quod intelligi poſſet: ejusque doctam audaciam haud paucis in locis praetulerim *Gruteri*, *Gebhardi*, *J. Gronovii*, interdum etiam *Victorii* ſuperſtitioſae veterum membranarum imitationi, quae exhibeat lectiones haud dubie corruptas, aut nullo modo intelligendas. Ceterum qui Lambinianae recenſionis exemplum genuinum cognoſcere cupiat, ei adeunda eſt editio prima a. 1566. quae una vivo *Lambino* curata eſt. Nam in iis exemplis, quae poſt mortem viri excuſa ſunt, quod factum eſt primum a. 1573. cum ille mortuus eſſet anno 1572. & poſt aliquoties, res ita mutata eſt, ut omnes Lambinianae lectiones in marginem ejicerentur (quod tamen aliquot locis vel neglectum, vel parum accurate factum eſſe cognovimus) & lectio ſuperioris alicujus editionis exprimeretur: nec id ipſum tamen ita conſtanter factum eſt, ut, ad quam textus novus conformatus ſit, dicere liceat. Itaque inane eſt, quod in quorundam exemplorum poſtea editorum titulis reperi: *ad extremam Lambini recenſionem.* Lambinianum autem textum fere expreſſere *Genevenſes*, facto a *Gothofredo* initio, etiam *Gryphiana* & *Aldina* officina, quae etiam notulas *Lambini* repetierunt.

Ab illo tempore nulla nova recenſio facta eſt Ciceronianorum Operum, quae aliquid auctoritatis obtineat, donec *Gruterus* ad eam rem animum adjiceret. Nam editio Manutiana, quae auctore *Aldo* Nepote, *cum commentariis exquiſitis & elaboratiſſimis Paulli & Aldi Manucciorum* (ita titulus habet) facta eſt *Venetiis* ab anno 1578. ad 1583. decem voluminibus maximi moduli, ea vero non eſt ejusmodi, ut novae recenſionis nomen poſtulare poſſit. Textus fere Manutianum *Paulli* refert, ſed ita eſt peccatis operarum vitiatus, ut nihil ſupra: nec quisquam intelligens ejus auctoritate uti volet. Ad triginta codices Mſſ. ſe contuliſſe ait, & inde varietates lectionum notaſſe. Dotes hujus editionis ſunt primum in bonitate chartarum & elegantia literarum, quibus tamen cedit plerisque ſuperioribus, deinde in *Commentariis Paulli in Orationes*, *Epi-*

Epiſtolas, & *Officiorum libros*, quos inde repetiit *Graevius:* nam in ceteros libros nihil habemus *P. Manutii* praeter ſcholia, ipſius exemplis adjecta, quae *Daviſius* in Philoſophicorum librorum editione repetiit. *Aldi* Nepotis notae fere ſunt aliis ſubiectae, nec dignae Manutiano nomine, nec multae, nec in omnes libros; ut mirari ſubeat, quomodo magnus ille *Reineſius* eum exactiſſimum Ciceronis interpretem appellare potuerit in Var. Lect. p. 326. eumque maxime in lectionibus judicandis audiendum putare. Sed accidit hoc doctiſſimis hominibus, ut iis plurimum tribuant, a quibus cauſſam ſuam adjuvari vident. Paſſim tamen lectiones Codicum notat; quibus in locis eum conſulere non alienum eſt. In quos libros *Manutii* nihil notarum dederunt, in eos ſunt notae aliorum ante editae.

Janus Gruterus autem ad *Ciceronem* edendum ita acceſſit, ut non modo uteretur Excerptis Codicum, quos in Francia, Belgio, & Germania cum editis contulerat *Jo. Guilielmius*, ſed etiam Codicibus Palatinis, e quibus magnum variarum lectionum numerum collegerat. Erat *Gruterus* in hoc genere doctrinae eodem, quo *Victorius*, ſenſu, ita libris ſcriptis addictus, ut manifeſta menda eorum praeferret acutiſſimis conjecturis, eaque etiam interdum explicaret ac defenderet. Itaque fundum ſuae editionis eſſe voluit textum Victorianum, ſed eum e Codd. antiquis multis in locis mutatum, adjectis *Guilielmii* ſuisque Excerptis librorum ſcriptorum atque etiam editionum veterum, & notulis ſuis. In Epiſtolas ad Div. & Tuſculanas, ad extremam L. III. de Legibus partem, & Aratea notae ſunt *Gebhardi*, ſuperſtitioſi admiratoris Victorii (v. v. c. ad Div. IX. 16. in *fama*) in Epiſtolas ad Att. *Davidis Clerici*, quibus *Gruterus* eas partes commiſerat notis inſtruendas. Hujus recenſionis exempla curata ſunt *Hamburgi* a. 1618. quatuor tomis, formae maximae, a *Frobenio*, repetita formis Britannicis *Londini* 1681. ſed nitidioribus. Nam Hamburgenſes ita parum elegantes ſunt chartae, ita fuſcae, ut *Ciceronem* pudere debuerit, ſe ab ſuperiori cultus lautitia repente ad tam ſordidum habitum redactum eſſe. Sed propter auctoritatem Victorianae lectionis, in cujus ſocietatem

Gruteriana venit, & Codicum MSS. qui conſulti erant, multitudinem, & in conſtituenda e libris antiquis lectione fidem ac religionem, tantum auctoritatis haec editio conſecuta eſt, ut pro correctiſſima haberetur. Itaque quicunque poſt id tempus *Ciceronis* Opera edere inſtituerunt, eam ſequendam putarunt, ut *Elzevirii* a. 1642. *Blaviique* a. 1658. *Schrevelii* 1661. & alii: ſervatis etiam operarum peccatis & nova negligentia auctis. Atque etiam *Jac. Gronovius*, qui a. 1692. *Lugduni B.* opera *Ciceronis* edi curavit, quaternis & octonis, Gruterianam exprimi voluit, quam profitetur ſe haud dubie omnibus aliis praeferre. Neque textum ſolum repetiit, verum etiam notas, quas illam editionem habere dixi. Sed id fecit ea diligentia, ut & textus & notarum vitia, quae per negligentiam operarum aut alio quo modo irrepſerant, bene multa tolleret, & de ſuo adderet nova bona. Nam multorum ſcriptorum librorum Excerpta habuit, quibus ad emendandum Ciceronem uſus eſt, nec neglexit, quae alii, velut *Graevius* ad Epiſtolas, & Officia (nam Orationes tum nondum ediderat) prodidiſſent: unde & textus quibusdam locis emendatior factus eſt, & notulae natae ſunt non paucae, in quibus non modo lectiones veterum Codicum & editionum proferuntur & dijudicantur, ſed etiam interdum ſenſus obſcuriorum locorum breviter exponitur. Interdum tamen conjecturae in textum illatae ſunt. Adjectae etiam ſunt *Aſconii* reliquiae Commentariorum in Orationes, multis locis emendatiores factae. Quibus rebus conſecutus eſt *Gronovius*, ut haec editio merito ſuo omnium, quae quidem extarent, emendatiſſima & optima putaretur. Itaque qui poſthaec *Ciceronis* Opera univerſa edere inſtituerunt, Gronovianae caſtigationis exemplum ſecuti plerumque ſunt, ut *Iſaacus Verburgius*, qui *Amſtelodami* a. 1724. *Ciceronem* recudi fecit, ut nos, cum a. 1739. hac in urbe *Ciceronis* Opera in uſum juventutis prodirent. Majus quid, quam *Gronovius* praeſtitiſſet, exſpectabatur a *Graevio*, ſi non in contextu conſtituendo, at in illuſtrando ſuis aliorumque Commentariis. Sed ad finem operis pervenire non potuit. Ut de *Verburgio* aliquid addamus, ad intelligendum *Ciceronem* ut prodeſſet, editioni ſuae intulit integras notas

Victo-

Victorii, *Camerarii*, & *Urſini*: ceterorum omnium, quos aliquo in numero haberet, eas, quae maxime placuiſſent, adſperſis etiam quibusdam ſuis. Sed nec in illo delectu ſatisfecit eruditis, nec ſuas notas iis probare potuit.

Alia & nova ratione uſus eſt *Joſephus Olivetus*, qui in Uſum Delphini Opera *Ciceronis* edidit novem voluminibus, *Pariſ.* a. 1739. *f.* quaternis. Contentus exemplis typographorum arte excuſis, tamen ad nullius auctoritatem ſe totum contulit, ſed quatuor diverſarum editionum, Victorianae, Manutianae, Lambinianae & Gruterianae exempla comparavit, his legibus, ut nihil daret, quod in nulla earum reperiretur: ubi congruerent, nunquam ab iis diſcederet: ubi diſſentirent, ſequeretur eam, cujus lectio ſibi maxime probaretur, reliquarum varietate adnotata. Ea ratione ſane conſecutus eſt hoc, ut qui hanc habeat, quatuor nobiliſſimarum lectiones pariter habeat: ſi quidem ceterarum lectio accurate notata eſt. Sed in hac ratione lectionis conſtituendae multa ſunt incommoda. Nam ex ejus prima lege negligenda fuerunt omnia, in quibus *Gronovius*, *Graevius*, *Daviſius*, aliique ab iſtis exemplis diſſentiunt, quod quin aliquot locis recte faciant, dubitari non poteſt. Quod item convenit in alteram: in qua accedit etiam hoc, quod lectori permultis, ac prope dicam pleriſque locis ſtandum eſt judicio editoris, h. e. in iis, ubi nihil aliud cognoſcere licet, niſi cujus lectio praelata ſit, non quibus de cauſſis, & quorum librorum auctoritate. Atque etiam caſus quidam fecit, ut ne illud quidem ſcire liceat in Epiſtolarum voluminibus. Nam libelli varietatis lectionum perierunt ante, quam prelo ſubjicerentur, nec novorum conficiendorum aut tempus aut animus *Oliveto* fuit. Ceterum hujus editionis exempla inſtructa ſunt notis delectis e Commentariis maxime in *Ciceronem*, notato nomine ejus, qui quamque rem primus dixit, & Indicibus Legum, Perſonarum, & Latinitatis, e Clave noſtra maxime ductis. Sed de hac editione accurate dictum eſt in Actis noſtris Eruditorum a. 1745. quae repetere non eſt neceſſe.

Haec eſt igitur ſeries editorum per typographos

Operum Ciceronianorum, non e vulgarium librorum indiciis nexa, ſed exemplis ipſis tractandis & comparandis: quod potuimus facere hoc diligentius & commodius, cum ipſi pleraque in noſtra ſupellectili habeamus. Quod ſi quis deſideret unam & item alteram editionem: eam nobis nondum videre & comparare licuiſſe exiſtimet, aut ipſo titulo, unde ducta ſit, indicare, ut Hanovienſem a. 1606. aliasque. Illud quidem haud dubitanter affirmaverimus, nullam praetermiſſam & neglectam eſſe, quae aliquid auctoritatis debeat habere. Ceterum ſperamus, in hac re nos operam navaſſe non inutilem iis, qui aliquid in re critica, atque interpretatione *Ciceronis* efficere cupiant, nec injucundam his, qui *Ciceronem* norint: quis autem omnino non novit? aut etiam ament: quis autem non eum amare vel per ambitionem videri cupit?

NAR-

NARRATIO CRITICA
DE
EDITIONIBUS ORATIONUM CICERONIS.

Quod alio tempore in univerſis Ciceronis libris feci, ut eorum editiones, quae inde ab initiis inventae artis typographicae factae eſſent, enarrarem, &, unde ducta quaeque, quid novi boni, vel ab acceſſione alicujus ante nondum editae partis, vel ab ingenio diligentiaque doctorum virorum, haberet, demonſtrarem: idem cum in ſingulis generibus librorum Ciceronianorum facere inſtituo, non vereor, ne rem aut inutilem ſtudioſis literarum Latinarum, aut ingratam ſuſcipiam. Nam & ſuperiorem illam operum omnium recenſionem non improbatam a doctis hominibus intellexi, qui antea ſolis titulorum indicibus contenti fuiſſent, & hac de ſingulis generibus commemoratione effici poſſe confido, ut, qualia ſint ea, quibus nunc utimur, exempla, quam vel emendata, vel vitioſa, appareat: quod eſt inprimis & utile, & neceſſarium, non modo hactenus, ne magnorum virorum nominibus decepti, praeter modum laudemus ac probemus, quae probari non debent, quod, in hoc de editionibus veterum ſcriptorum judicio, nimis ſolenne eſt, ſed etiam, ut ſtudioſorum diligentia acuatur ad curam animadvertendi, & vitia librorum editorum vel indagandi, vel emendandi. Etenim pleris-

riſque hoc eventurum certo ſcio, ut, lectis iis, quae a nobis erunt tradita, intelligant, nondum eſſe conſumtam materiam laudis, quae ex emendandis Ciceronianis libris peti poſſit, nec exemplis iis, quibus vulgo utimur, nimis credi debere, ſed omnia eſſe in legendo ad praecepta grammatica, non vulgaria modo illa, ſed etiam cetera exquiſitiora, de vera verborum poteſtate, de temporum modorumque ratione & conſecutione, & ſimilibus, accurate exigenda, ut, cum primum aliquid adhorrens repertum ſit, adiri libri ſuperiores, & medicina requiri poſſit.

Sed a quo magis genere nobis conveniat initium capere, quam ab oratorio, quod noſtrae profeſſioni maxime proprium eſt, & ab Orationibus, in quibus publice enarrandis, quoniam hunc ſeſquiannum ita verſati ſumus, ut ſtudioſos ad illam, quam ante deſcripſimus, rationem adduceremus, comparandis, ubi haerebatur, libris veteribus, facilius nobis erit, in hac tanta occupatione noſtra, perficere, quae deſtinavimus.

Edendarum autem Orationum initium factum eſt ſeculi quintidecimi anno primo & ſeptuageſimo, qui duas idem editiones extulit, alteram *Romanam Andr. Alerienſis* per *Sueinhemii* & *Pannartii* formulas, alteram *Venetam* per *Chriſtophorum Valdarferum*, Ratisbonenſem, quem poſt Mediolani artem feciſſe docet *Saxius in Prolegom. ad hiſt. typogr. Mediol. p.* XCVII. qui de eo adiri debet. De Romana quidem, vulgo nihil praeter aliorum, *Mettarii* inprimis, traditionem habetur, admodum levem & negligentem, nec ad judicandum utilem, quales ſolent eſſe hominum, qui non res & libros ipſos norunt, ut, quid de iis tradendum ſit, uſu docti ſciant. Quanquam ipſi illi artifices in nota epiſtola ad *Sixtum* IV. Pontificem M. ejus mentionem faciunt: unde tamen nihil aliud diſcere licet, quam in illius editionis exempla omnes, quae quidem ſuperſtites eſſent, orationes congeſtas fuiſſe. Altera non habet omnes orationes, quae nunc in editis libris repeṛiuntur. Abſunt, praeter *Verrinas* & *Philippicas*, orationes pro *Roſcio Comoedo* & *Fontejo.* Eſt autem hoc Valdarferianum exemplum, ut charta literarumque formis, pro illa aetate, perpulcrum, ita ſcriptura ipſa ſaepe, praeſertim in nominibus propriis, vi-

vitioſum & pravum, ut ſuſpicari quis poſſit, contextum ex ipſo exemplo vetere ductum eſſe ab operis, ſine viri docti adjumento, qui e vetere exemplo accurate deſcriptas & correctas orationes formulis ſubjiceret, quod tum factitatum, res ipſa loquitur: cum etiam N. T. Graeci Eraſmianum exemplum ex ipſo vetere codice ſcripto, ſed *Eraſmi* manu correcto, ab operis Frobenianis repetitum conſtet. Sed in calce operis majuſculis literis expreſſum eſt nomen *Lod. Carbonis*, quo *Valdarferum* correctore ſpeciminum typographicorum uſum eſſe, e verſibus *Virgilio* Valdarferiano ſubjectis diſcimus, fuitque vir ille Latinarum literarum, pro illius aetatis modo, bene peritus, quas etiam cum philoſophia docuit, ad extremum Peruſiae Theologiae doctor. Et tamen inter vitia illa ſcripturae, multae bonae lectiones reperiuntur, quas poſterior aetas, vel ignoravit, vel deſeruit, aut vitioſae lectiones ejusmodi, ex quibus verae indagari poſſint. In Or. *in Sen. p. Red. c.* 1. quidem, ubi omnes alii habent: *ſed fuerunt duo conſules, quorum mentes anguſtae, humiles*, pravae, *oppletae tenebris ac ſordibus:* id, quod quidam conjecere legendum, *parvae*, plane exhibet haec editio: item ad *Quir. p. R.* c. 3. *Diademate*, unde vera lectio erui poterat facile. *pr. Flacc.* 4. efficacius meo ſenſu eſt, quod illa habet: *unde illud eſt? da mihi teſtimonium mutuum: non Gallorum, non Hiſpanorum putatur*, quam quod in aliis eſt: *num* G. *num* H. ut alia mittamus, quorum quaedam infra per aliam occaſionem trademus.

Hanc excepit anno poſt (LXXII.) editio *Adami Ambergenſis.* Ea etſi in manibus *Graevii* fuit, cum orationes Ciceronis recenſeret, tamen non magis ipſe, quam alius quisquam, quid in ea ineſſet, plane commemoravit. *Graevius*, in cetera negligentia, etiam ſatis habuit, eam modo ſub nomine editionis primae, modo ſub anni 1472. titulo, ad partes vocare, & lectiones ejus in libello Var. lect. commemorare. In quo tamen ambiguitate inſidias ſtruit ſecuritati lectorum. Nam cum in praefatione, ſe, dicat, hanc editionem primam vocare: in libello illo ſubinde principem editionem appellat aliam, ut ad *Verr.* I. 36. ubi, ſi quis de *Adamica* capiat, & inde colligat, in ea *Verrinas* ineſſe, valde

de erret, cum tota varietas lectionis in illo loco e notula editionis *Gruterianae*, ut pleraque alia, excerpta ſit, in qua *princeps editio* pro eadem lectione laudatur, quae ei a *Graevio* aſſignatur, quod & *Caecin.* 10. & aliis locis factum. Immo vero per totam Verrinarum varietatem, a *Graevio* notatam, non licet reperire veſtigium *Adamicae* editionis: unde in promtu eſt, etiam non inſpecto ejus exemplo, judicare, *Verrinas* ab ea abeſſe. Quanquam id certiori teſtimonio mihi conſtat. Nam in exemplo noſtro editionis *Valdarferianae*, tabulae Orationum in calce adſcripſit manus vetus, in editione *Adami* acceſſiſſe orationes duas, pro *Fontejo* & *Roſcio Comoedo*: quod eſſe falſum, inſpecto exemplo Adamico, reperi. Ceterum haud dubio argumento intellexi, eam in ceteris orationibus totam ductam eſſe de *Valdarſeri* exemplo. Nam, quicquid *Graevius*, in variarum lectionum libello, ex ea commemorat lectionis, id, facta multarum orationum comparatione, omne, totidem literis, eſſe reperi in *Valdarferiana*: nec aliud eſt, in quo conſenſus non ſit certus, quam quod interdum nihil variae lectionis notatum eſt, ubi *Valdarferiana* a *Graevianae* contextu differt, veluti in *Or. ad Quir.* c. 4. ad vulgatam lectionem *L. Dalmaticus*, & *pravae*, nihil varietatis eſt ex *Adamica*, ubi, quid *Valdarſerus* dederit, ante monui; nec ex *Or. ad S. p. R. e.* 2. notatur, quid ſit in illa editione, ubi jam editur *L. Ninnio*, quo ducit ed. *Vald.* quae habet *Numio*: e quo temere editores poſtea fecere *Mummio*. Sed eae poſſunt eſſe praetermiſſiones, ab negligentia, quae in tali comparatione librorum cui non interdum obrepit? Sed de his videbunt ii, quibus facultas datur illius libri inſpiciendi. Nos quidem hac conjectura nihil injuriae feciſſe *Graevio*, aut ei potius, cujus ille opera uſus eſt in excerpendis variis lectionibus, cum multis exemplis docere poſſimus, uno luculento demonſtrabo. In *Verrina* IV. 58. quo loco *Cicero* commemorat ſimulacra Jovis Urii, demonſtraturus ſanctitatem religionis, quae huic Jovi tribuatur, jubet recordari, *quanta religione fuerit eadem ſpecie atque forma ſignum illud, quod e Macedonia captum in Capitolio poſuerat Flamininus. Etenim tria ferebantur in orbe terrarum ſigna Jovis Imperatoris, uno in genere pul-*

pulcerrime facta: unum illud Macedonianum, quod in Capitolio videmus. Aures & ratio Latinitatis ipſius poſtulant *vidimus*, erat enim combuſtum cum Capitolio, ut e ſuperioribus clarum eſt: idque vidit *Hotomannus* per conjecturam: quae ſine dubitatione in textum recipienda erat. Ecce illud ipſum *vidimus* eſt in *ed. Mediolanenſi* a. 1498. & Aſcenſiana 1511. quibus ſe *Graevius*, ait, uſum, quarum lectiones ſubinde in Libello varietatis ponit: & tamen nuſpiam ejus lectionis mentio. Sed de hoc genere plura poſt dicemus, cum ad *Graevianae* recenſionis exemplum venerimus.

Antequam ad alias plenioresque editiones progrediamur, non alienum videtur monere, earum orationum, quae in illis antiquiſſimis exemplis reperiuntur, aliquot inventas primum eſſe a *Poggio* in Germania, cum in Italia periſſent: quod conſtat indicio Codicis in Bibliotheca Medicea, in cujus fine id notatum eſt. Sunt autem hae: *pro Caecina, de lege Agraria contra Rullum duae, in L. Piſonem, pro Rabirio Poſtumo & Perd. pro Roſcio Comoedo.* v. *Apoſt. Zeni Diſſertationes Voſſ. p.* 43. Atque ex hoc *Poggiano* exemplo veniſſe has orationes, in omnes editos libros, ejus rei indicio eſt non modo hoc, quod eodem loco una omnes in veteribus editionibus reperiuntur, quae ante *Aldinam* factae ſunt, niſi, quod in ed. Vald. Or. pro Roſcio C. non reperitur, & in illo loco tantum eſt Agraria ſec. ſed etiam quod in *Mediolanenſi* exemplo, quod *Minucianus* curavit, ad calcem Or. pro *Rabirio Perd.* & initium calcemque alterius pro *Roſcio Com.* admonitio diſerta adjecta eſt de lacunis, & mentio exemplaris *Poggiani*, quod iſtas lacunas habeat, admonente in margine librario, duo folia in codice antiquo abſciſſa fuiſſe (*): quam admonitionem repetiit *Aſcenſius*, qui

(*) Verba ſunt haec: *Deeſt finis & principium alterius, quod e vetuſtiſſimo exemplari, unde haec deſcripta ſunt, duae chartae abſciſſae fuerunt.* Ad fin. or. *pr. Roſc.* C. *In exemplari etiam, quod ex Germania Poggius advexit, ſimiliter finis deſiderabatur.* Deinde ſtatim: *Hujus or. principium de lege Agraria contra Rullum non extat. Duo enim folia ex vetuſtisſimo Codice abſciſſa fuiſſe admonitum reliquerunt librarii in marginibus vetuſtisſimorum exemplarium, quae in conſultationem hujus noſtrae editionis adhibuimus.*

qui editionem *Mediolanenſem* a. 1511. recoxit, ut in ſuperiori Proluſione diximus: nam in altera a. 1532. ſequitur *Aldinam*, ut vidimus certius, poſteaquam ejus quoque exemplum nacti ſumus. Ex quo intelligitur, quicquid ſit in his orationibus diverſum ab editionibus primis, id eſſe vel ab errore eorum, qui eas orationes ex *Poggiano* exemplo deſcripſerint, operarumque, vel ab correctione virorum doctorum, qui iis editionibus praefuiſſent: eamque ob cauſſam nec jactantibus libros ſcriptos, poſterioresque primis editiones, multum tribuendum eſſe, cum ipſi MSS. libri e *Poggiano* exemplo fluxerint.

His editionibus orationum Ciceronis vulgo ſubjicitur ea, quae anno LXXX. curata eſt *Venetiis*, & prima dicitur a Grutero: ſed in manus meas e Britannia venit alia, haud dubie antiquior, quae nec artificis nomen, nec loci annique notam habet. Charta eſt maximi moduli, & candoris: margines lati, literae non illae quidem venuſtisſimae; ſed tamen venuſtiores Romanis *Sueinhemii*, & Venetis *Jo.* & *Vendelini Spirenſium*, ſimiles Brixienſibus in Macrobio. In eo exemplo, cujus non vidi a quoquam mentionem factam, inſunt orationes, quas nunc habemus, omnes, quarum quaſi dux eſt, ut in veteribus ante *Aldum* omnibus, *Maniliana*, agmen cogunt *Verrinae* & *Philippicae*, ceterae paullo diverſo ordine, quam in *Valdarferiana* (*). In voce Graeca, quae eſt *Verr.* V. 58. eſt lacuna, ut in omnibus ante *Aſcenſianam* a. 1511. quae prima exhibet ἰδειπώθησαν, unde *Aldus* ἰδεικ. *P. Manutius* demum

ἰδι-

(*) Sed ordinem utriusque exempli ſubjecimus, quia ad judicium de ceteris edd. prodeſſe poteſt.

Editionis Valdarferianae Ordo: *Pro L. Manilia. Pro T. A. Milone. Pro Cn. Planco. Pro P. Sulla. Pro A. L. Archia. Agraria I. Pro M Marcello. Agraria III. Pro Q. Ligario. Pro Dejotaro. Pro A. Cluentio. Pro P. Quintio. Pro L. Flacco. Ad Quir. p. red. Ad Sen. p. red. Ad Quir. a. i. in exil. Pro domo ſua. In Vatinium. Pro M. Coelio. Pro S. Roſcio Amer. Pro L. Murena. Pro Corn. Balbo. De Aruſp. Reſp. De Provinc. Coſſ. Pro P. Sextio. Pro lege agrar. in R. Pro Rabirio Perd. Pro A. Caecina. In L. Piſonem. Pro Rabir. Poſt. Invect. Salluſtii in Cic. Ciceronis Reſp. in Sall. Catilinariae IV.*

ἐδικώθησαν fecit. Conjectura autem eo deducerer, ut crederem, eſſe id exemplum ductum e Romano *Sueinhemii*, eo quod quascunque *Gruterus*, qui vix potuiſſe videatur primam editionem Orationum ignorare, lectiones editionis primae commemorat (contuli autem non modo variarum orationum loca inſignioris lectionis, ſed etiam omnium Verrinarum lectiones) eae ſunt totidem literis omnes in hac ἀνωνύμῳ, ſed incertum eſt, an primam, vel primogeniam, ut interdum vocat, editionem intellexerit *Sueinhemianam*, & non hanc ipſam noſtram, aut etiam anni 1480. quam ſe, ait, in notula prima ad *Or. pr. Quint.* operae pretium duxiſſe, in locis dubiis, cum altera a. 1483. conſulere, quod ſane pro certo dicere non ſuſtineo. Utcunque ſit, *contextus ejus exempli*, qui in hac editione ἀνωνύμως vulgata, extat, *baſis eſt fere omnium, quae ſecutae ſunt, editionum:* in quibus ille vel ſimpliciter repetitus eſt ſine varietate, niſi quam typographorum operae induxerunt temere caſuque, vel ex aliis exemplis, vel ſcriptis, vel etiam editis antiquioribus, ut *Valdarferiano*, & aliis, quae partem modo orationum continent, vel conjecturis leviter mutatus, interdum etiam quacunque de cauſſa depravatus: id quod jam per omnes editiones, quae in manibus noſtris ſunt, eundo, demonſtrabimus breviter.

Primum igitur, ordo orationum, qui eſt in illo exemplo, diverſus a *Valdarferiano*, a plerisque usque ad *Aldinum* ſervatur. Ab initio non omnes orationes ſimul editae ſunt: nec enim in uno omnes codice reperie-

Ordo Editionis ἀνωνύμου.

Pro L. Manilia. Pro T. A. Milone. Pro Plancio. Pro Sulla. De Haruſp. Reſp. Pro Murena. Pro Roſcio Am. Pro C. Balbo. Pro Sextio. Pro domo. Pro Quintio. Pro Flacco. Pro Cluentio. Pro Fontejo. Pro Cecina. Pro Rabirio Poſt. Pro Rabirio Perd. Pro Roſcio Com. Agrariae III. In Piſonem. Catilinariae IV. Salluſtii in Cic. Cic. Recriminatio. Pro Archia. In Vatinium. Ad Equites R. a. i. in ex. Ad Quirites p. Red. Ad ſenatum p. Red. Pro Coelio. De provinciis Conſ. Pro Dejotaro. Pro M. Marcello. Pro Q. Ligario. Verrinae VII. Philippicae XIV.

riebantur. *Philippicas* ſeparatim ediderat *Udalricus Gallus* Romae, alii, ut opinor, alias, ut copia data erat. *Sueinhemius* primus omnes uno volumine complexus eſt, auctore *Andrea Alerienſi*, qui Codices viro ſuppeditabat: quod ille in calce operis indicare voluiſſe videtur, itemque in epiſtola ſupra commemorata, in qua inter libros ab ſe editos memorat *Orationes Ciceronis cum Invectivis in Antonium*, *Verrem*, *Catilinam.* Conſentiunt porro cum hujus editionis contextu in omnibus, etiam inſignioribus, & a *Valdarferiano* & *Adamico* diverſis lectionibus, editiones *Venetae* 1580. 1583. quarum una nil eſt niſi repetitio alterius. Etiam parvis rebus conſentiunt. Titulus *Philippicarum* in ἀνωνύμῳ eſt hic: *M. T. Cic. in M. Antonium Orationes, quae Demoſthenis in regem Philippum Macedonum exemplo Philippicae nuncupantur.* Is totidem verbis repetitus eſt in *Veneta* utraque. In titulis orationum judicialium varie vel additur vel omittitur *ad judices:* ecce in iisdem & additur & omittitur apud Venetos, ſimiliterque in ceteris titulis omnia plane eadem. Nec arbitror ab his diverſam eſſe, quae a. 1477. attribuitur a nonnullis: niſi error in ea re intercedit hic, ut *Aſconii Pediani* editio, quae primum eo anno facta eſt *Venetiis*, pro omnium orationum Ciceronianarum editione memoretur.

Poſt has duae *Venetae*, ejusdem officinae *Barthol. Zanis de Porteſio*, editiones memorantur, altera anni 1495. altera 1499. quarum poſteriorem prioris repetitionem eſſe putamus. Hujus textus quidem ex eodem fonte ductus eſt, ſed habet tamen lectiones quasdam diverſas, quae non poſſunt caſu irrepſiſſe: v. c. quod *ad Quir. p. Red.* 2. plane editur, ut Critici recentiores voluere: *non ut pro Q. Metello, clariſſimo viro, jam ſpectata aetate filius:* non L. Diadematus, *conſularis, ſumma auctoritate vir: non Q. Metellus cenſorius &c.* quod, cum paucis aliis, vel e MS. vel potius e *Valdarferi* aut *Adami* exemplis ductum eſt. Idque mihi fit etiam inde veroſimile, quod ordo orationum, qui in ſuperioribus *Venetis* ſervatus erat, in hac deſertus, & ordo *Valdarferi* repoſitus eſt, duabus orationibus pro *Font.* & *Roſcio Com.* ad calcem rejectis, *Verrinis* ſeparatim, velut alio volumine, cum propria ſubnotatione loci,

loci, anni, & officinae, additis, *Philippicis* autem plane omiſſis: quod ne caſu accidiſſe putem exemplo (a. 1499.) quod in manibus habeo, teſtimonium impedit eorum, qui in priori (a. 1495.) pariter *Verrinas* ſeparatim, ſine *Philippicis*, adjunctas teſtantur. v. *Mettarius ad a.* 1496. Sed ut permultis locis recte deſeruit auctoritatem hujus editionis, ut cum in Or. *pro Quintio init.* non, *ne me dicendo impediat*, e *Vald.* ſed *in dicendo* cum ceteris tum vulgatis edidit: nam quod in Graeviana notatur, MSS. & edd. habere *ne me dic. i.* id tantum ad Vald. & Aldinam cum ſequacibus pertinet: ita contra interdum, etiam ubi non debebat, veluti l. c. 2. in verbis *magnitudo periculi ſummo timore hominem adficit*: ubi retinet tum vulgatum in aliis omnibus (non ut *Gruterus*, & ex eo *Graevius* tradunt, duabus tantum edd. vett. h. e. *Venetis* illis) *conficit*: quod inde ab *Aldo* recte ab omnibus repudiatum eſt, reſtituta lectione *Valdarferi*, *adficit*. Ceterum ei editioni quis praefuerit, ſtatim patebit.

Eodem ſcilicet anno prodiit exemplum orationum e *Phil. Beroaldi* recognitione per *Benedictum Hectoris Bononienſem*, ut titulus habet, apud *Mettarium*, ſed ſine loci indicio, cujus loco typographus emtores beavit magnifica operis commendatione: *impreſſit B. H. B. ea diligentia, qua ſi omnes operibus formandis uterentur, bene cum literis ageretur.* Hujus ipſius editionis exemplum nobis quidem non contigit videre: ſed habemus in manibus ejus repetitionem, *Venetiis*, a. 1505. factam per *Chriſtoph. de Penſis*, eodem titulo, in quo *Beroaldo* recognitio tribuitur. Id exemplum autem adeo refert ſuperiorem editionem (a. 1499.) ut etiam paginae ſingulae ſingulis, numero, & argumento, & vitiis operarum, reſpondeant (*), ſitque haec mera illius repetitio. Quod ſi hunc contextum concinnavit *Beroaldus*, ſive in *Porteſii*, ſive in *Benedicti* Bononienſis gratiam, certe alter librariorum alterum foeda fraude circumvenit. Nam *Porteſii* editio profitetur in calce ſe abſolu-

(*) V. c. in *Agrar.* II. 30. eſt in utraque *itane vero? privatum po. Ro. de hoc vectigali poteſt dicere:* ubi totus verſiculus temere omiſſus eſt.

ſolutam eſſe a. 1499. XIV. *m. Maji.* altera *Bononienſis*, ejusdem anni *idibus Aprilis.* Ac forte fraus *Porteſii* hic interceſſit in hac Beroaldina recognitione talis, qualis *Alex. Minuciani* in *Tacito Beroaldi* fuit, de qua in praefatione ad *Tacitum*, a nobis ante aliquot annos recognitum, diximus. Ceterum ex his exemplis haud dubie fluxit editio *Florentina Juntae* a. 1515. 8. cui *Nic. Angelius* praefuit. Eſt idem ordo, eadem Verrinarum in peculiare volumen concluſio: ſunt tamen lectiones quaedam huic propriae. Et ait *Angelius*, ſe caſtigatiſſimo codice beneficio *A. Colotii* uſum eſſe, incertum quarum orationum, & aliis plurimis ac vetuſtiſſimis exemplaribus, quae nominatim non commemorat, per quae ſe innumerabilia, pleraque letalia, vulnera ſanaſſe. Tales praedicationes illis temporibus frequentes fuere, ſed res plerumque non adparet. In hac quidem editione, fateor, plures me lectiones novas reperiſſe, quae nunc quoque ſint in exemplis editis, recteque probentur. Primus, quod ſciam, pro *Quint.* I. edidit: *Certe aut apud te — — veritas valebit, aut ex h. l. repulſa vi & gratia, locum, ubi conſiſtat, reperire non poterit:* cum ante fuiſſet, *ubi res conſiſtat:* primus ibid. c. 2. *telum — — jecerit*, & mox, *venenatum telum jecerint*, pro *legerit* & *legerint*; primus *Agrar.* 2. 30. pro vulgato: *at fide pop. R. de hoc vectigali poteſt dicere*, dedit, *at vide, ſi pop. R.* non abſurde, ſi e libris: melius tamen, quod poſt editum eſt. Et talia plura in hac editione reperiuntur. Argui eum vidi temeritatis a *Grutero* ad *Verr.* 65. ubi in vulgato: *Quid? ſi L. Pretium equitem Rom. qui tum in Sicilia, nominabat?* addidit *negotiabatur*, quod deſiderari videtur. Sed favet tamen ei rei editio ἀνώνυμος, quae habet *nominabatur*, quod videtur indicare, omiſſum eſſe alterum verbum, quod ita terminaretur.

Inter haec etiam *Mediolani* editae erant orationes *Ciceronis* ab *Antonio Zaroto*, ſi fides *Jo. Smith*, apud *Saxium* in *Catal. libr. Mediolan.* p. DCXIII. ſed qualia illius editionis exempla fuerint, judicare non licet, cum nec ipſi viderimus unquam, nec quicquam praeter nudum indicium ſit eo, quo diximus, loco. Sed qui *Zarotum*, aliosque typographos adjuvare corrigendis libris ſolebat, & ſumtu faciendo, *Alexander Minucianus*,

cianus, is poſt, inſtituta officina, & conductis operis, ipſe curam edendorum veterum auctorum ſuſcepit, in his *Operum Ciceronis* omnium, quae a. 1498. & 99. IV. *Voll.* prodiere: de qua editione diximus in ſuperiori illa Proluſione, quantum erat tum ſatis, & quantum poteramus: nunc, qualis orationum contextus ſit, planius dicendum eſt, atque dicere licet, cum ipſi ejus operis tria volumina nacti ſimus. In quo, ut nihil dicam de ſplendore operis a pulcritudine literarum, quas ille ſuperioribus omnibus pulcriores effecit, a magnitudine & candore chartarum, marginum denique latitudine: ſi credere ipſi *Minuciano* velimus, multa ab eo, ut in univerſis *Ciceronis* libris, ſic in orationibus emendata credemus. Et erat profecto *Minucianus* is, qui poſſet praeſtare plurimum, ipſe bonarum literarum Profeſſor doctiſſimus atque clariſſimus, ſi ſatis temporis ſibi ſumeret, & labori non parceret. Verum, ſi, quot & quanta opera paucis annis ediderit, cogitemus, quam parum temporis inter *Livii* & *Ciceronis* editionem interjectum fuerit, vix eſt, ut magna ſperare poſſimus. Sed quid in Orationum volumine animadverſum nobis ſit, dicemus. Ut igitur ordo orationum eſt idem, qui in vetere ἀδεσπότῳ editione, & *Venetis* 1480. 83. ita & lectionis univerſae baſis eſt in illa ipſa editione. Nam cum ea fere conſentit, etiam in inſignioribus lectionibus, cum bonis, tum vitioſis, nec multa ſunt, in quibus ab iis in meliorem partem (typographica peccata excipio) & ita inſigniter diſſentiat, ut aut e codice bene ſcripto, aut ab ingenii exquiſita ſolertia profecta illa diſſenſio videatur. Poggianum quidem codicem ab illo inſpectum videri, ante diximus. Commemorata eſt etiam bona lectio ab eo inducta, cui ſimilis eſt altera *Agr.* II. 30. ubi in verbis; *privatum haec cauſſa commovet: In po. R. ne-non commoverit'*, quae eſt lectio primarum editionum, explanate primus edidit, *populum Romanum* ſine *in:* quod bene alii ſecuti ſunt, donec inde a *Lambino* temere inductum, ab aliis & ſervatum, *populus R.* At mox nihil vidit in ſequentibus: *at fide P. R.* pro quo hodie bene editur, *atqui idem populus R. Minuciano* porro debetur lectio, id quod Graevius non notavit, *Cluent.* 26. *cum domi ſuae miſerrimus & inaniſſimus tantum numorum poſitum vide-*

deret, quam omnes deinde ſecuti ſunt, & a *Grutero* repudiatam, revocavit *Graevius*. Quod autem *Gruterus*, velut e MSS. *miſerrimis in locis & inaniſſimis*, edidit, idem eſt in vetere editione ἀνωνύμῳ, niſi quod vitio operarum eſt *miſerrimus*, idque ſecuti religioſe *Veneti*, cum *Valdarſerus* contra & *Adamus* nihil habeant, niſi, *cum miſerrimus tantum numorum &c.* Ejus generis plura liceret commemorare, ſi longiores eſſe vellemus: & haec pro conſilio praeſentis ſcriptionis ſufficere arbitramur. Proximus ab *Minuciano* editor operum Ciceronis fuit *Aſcenſius*, ut ante diximus, qui etiam ejus exemplum, vel maxime in orationibus expreſſit. Itaque v. c. in omnibus iis, quae ante indicavimus, *Minuciani* bonis, cum eo plane conſentit; ſi qua parte male aberrat, velut cum in loco *Agrariae* habet *commovit* pro *commovet*, quod poſt editoribus placuit, id temeritati caſus tribuendum videtur. Et ſunt tamen quaedam, quae ab doctrina editoris fluxere, ut e narratione de edd. Operum Cic. patet.

Sed alia veluti ſeries exemplorum naſcitur ab *Aldinis* ex *Andr. Naugerii* recognitione, de qua in priori proluſione dictum. Primum novus orationum ordo inſtitutus eſt ad rationem temporum, quem poſtea omnes deinceps ſunt ſecuti. In textu autem video *Naugerium* multa correxiſſe, in eoque ſaepe *Juntinam* editionem, etiam *Valdarſerianam*, ſecutum, ut, cum *Quint.* I. *ne me dicendo impediat*, omiſſo *in*, & c. 2. dedit: *magnitudo periculi timore hominem adficit*, quod in ſola *Valdarſeriana* reperitur, ceterae omnes *conficit*. Interdum tamen & ingenii conjecturam ſecutus eſt, unde ſaepe ſequentes editores eum deſeruere. Sed de hoc dictum eſt alias. Ceterum *haec editio* orationum *eſt baſis omnium, quae poſt prodierunt*, nec aliud poſt actum ab editore quoque, quam ut, pro facultate librorum & ingenii atque doctrinae, contextum, vel pleniorem, vel emendatiorem redderet. Lacunae aliquot e MSS. expletae ſunt in editionibus *Cratandri* & *Hervagii*, & loca plurima ſanata per codices Germanicos, ipſo *Victorio* fatente, Germanos bonis codicibus uſos eſſe in *Cicerone* edendo. v. *not. ad Epp. ad Fam.* IV. 5. XV. 9. &c. Sed nihil attinet, hoc loco repetere, quae dicta ſunt alibi de iis, qui *Ciceronis* opera omnia edide-

dere. Pauca addemus de iis, qui tum a nobis praetermiſſi ſunt, & de indole textus orationum nunc vulgati.

Ciceronis opera edidit etiam *Jo. Mich. Brutus* apud *Ant. Gryphium* a. 1570. *ſqq.* de qua editione nihil in recenſione editionum Ciceronis a nobis antea dictum eſt, quia putabamus, nihil differre a *Gryphiana* a. 1540. 8. quae ſe in titulo *Victorianae* filiam profitetur. Sed admonuit nos *D. I. M. Reinhardus*, Antiſtes Beltitienſis, in Saxonibus, Theologus omni doctrina cultiſſimus, qui non debuerat in illo angulo latere, idemque pietate inſignis, vetus amicus noſter, eſſe penes ſe partes editionis *Gryphianae* a. 1570. & *ſqq.* curatae, quae ſit propria *Bruto*, ejusque rationem nobis perſcripſit. Nacti poſt ipſi ſumus exemplum orationum *Ciceronis*, e recognitione *Brutina*, quod ex officina *Plantini*, a. 1584. 8. exiit: quo perſpecto, cognovimus, *Brutum* nullis MSS. uſum, conjecturas modo exercuiſſe, maxime tamen animadverſiones e libris ſuperiorum, qui vel univerſos, vel ſingulos *Ciceronis* libros edidiſſent, aliorumque Criticorum, qui loca *Ciceronis* corrigere tentaſſent, collegiſſe: in quibus maxime favet *Lambino:* quae cauſſa eſſe videtur, quare *Gruterus* & *Gebhardus*, *Lambinianae* recenſioni infeſtiſſimi, interdum durius eum tractent in notis ad *Ciceronem.* In praefatione videtur innuere, eas notas, quibus nullum nomen adſcriptum ſit, ſuae correctionis eſſe, de quibus liberum cuique judicium eſſe velit. Sed in his quoque multa dudum in editis libris prodita. Nec diſſimilis *Bruto* eſt *Jo. Bulierius*, de cujus editione operum *Ciceronis Lugd.* a. 1562. 12. ante diximus.

Ergo his quidem parum admodum aut nihil debent orationes *Ciceronis.* At tanto plus Philippicae debent viris doctis, *Maturantio*, *Faerno*, *Mureto*, quorum iſtum quidem ex ingenio corrigere has orationes tentaſſe, ſatis arguit praefatio, hi autem codice Vaticano ſunt uſi. Etiam *Aem. Ferretus* in Epiſtola ad *Salviatum* Cardinalem, quae in capite editionis *Bulierianae* repetita eſt, ſe poſt Victorianam recenſionem contuliſſe ait excerpta codicis antiquiſſimi & emendatiſſimi, qui contineret *Verrinas* & *Philippicas*, ad emendatiores reddendas has orationes, quod cognoviſſet, hoc

ſuum exemplar minus quidem illuſtre, ſed caſtigatius eſſe *Florentino*, quo *Victorius* maxime uſus eſſet. Ejus recognitionis exempla prodiere *Lugd.* ap. *Seb. Gryph.* 1541. 8. Mittimus alios, qui ſingulis orationibus prodeſſe voluere, ne nimis longi ſimus. Reſtat, ut de indole contextus, qui nunc vulgatus appellatur, pauca dicamus.

Ita autem maxime appellatur hodie *Gruterianus*, praeſertim a *Jac. Gronovio* purgatus, atque etiam quibusdam locis mutatus: de quo ſatis dictum in univerſorum Operum Ciceronis editionibus. Sed huic a nonnullis praefertur *Graevianus*, in quo multa loca ex edd. antiquis, & MSS. *Erfurtenſi* maxime & *Dresdenſi*, ſunt caſtigata: quo nomine merito magna laus *Graevio* debetur. Sed tamen ampla adhuc copia eſt emendandi. Primum in neutra editione veteres libri editi ſatis copioſe aut ſatis diligenter ſunt conſulti. Neuter habuit librum *Valdarferi*, neuter editionem ἀνώνυμον, forte ne *Gruterus* quidem Romanam. Unde fit, ut interdum aliquid in nullo libro edito eſſe dicatur, quod eſt in non uno, ut pro conjectura proferatur, vel repudietur, quod dudum editum eſt: cujus generis exempla jam paſſim protulimus. Sed addamus aliud. In *Catilinaria* III. 8. fulmen dicitur *turres* plures percusſiſſe. Id me ſemper offendit. Quae ſunt iſtae turres in Capitolio? Non tum templa turres habebant, ut noſtra more Gothico. *Gruterus* notat ſe in MS. reperiſſe *res*, non *turres*: ſed libros editos in *turres* conſentire. Atqui *Valdarferi* exemplum exhibet *res*. A *Graevio* porro, aut eo, cujus opera uſus eſt, negligentius collatas eſſe veteres editiones, quarum copia erat, ante diximus. Nihil negligentius factum vidi, quam libellos variarum lectionum, qui ſunt ad calcem Voluminis cujusque: adeo non modo multa non notata ſunt, ſed etiam vitioſe: uni veteri aut duabus edd. tribuitur, dum ſecure deſcribuntur notulae Gruterianae editionis, quod omnes ſummo conſenſu, aut una *Valdarferiana* diſſentiente, habent: ed. *Mediol.* 1480. commemoratur pro *Veneta*, cum *Mediolanenſis* illius anni nulla nec ſit, nec ab ipſo in praefatione commemoretur. Sed illud in utroque contextu maxime vitioſum ac reprehendendum eſt, quod inſunt in ipſa Hambur-

burgenſi editione vitia typographica craſſiora, quae a *Gronovio* non ſublata, a *Graevio* etiam ſervata ſunt, cum, conſultis vel Grammaticis rationibus, vel editionibus priſcis, facile potuiſſent deprehendi; quod ipſum negligentiam conferendi arguit. In pluribus locis mihi hoc accidit, ut, cum aut olim in lectionibus ex natura linguae & rei oſtendiſſem, corrupta eſſe verba, & quomodo emendanda eſſent, poſt, cum in lauta copia editionum eſſe coepiſſem, ſaepe deprehenderem, ita ut dixiſſem, in edd. vett. eſſe, & illa vitia eſſe ab operis typographicis, non animadverſa vel *Grutero*, vel *J. Gronovio*, vel *Graevio*, vel omnibus. Ne incredibile videatur, age aliquot exemplis rem planam faciam. *Verr.* II. 51. omnes illae tres edd. habent: *Syracuſis lex eſt de religione, quae in annos ſingulos Jovis ſacerdotem ſortito capi* jubebat. Ratio grammatica de temporibus & modis me docebat, eſſe debere *jubeat.* Operae Germanicae, offenſae conjunctivo, fecere *jubebat:* atque id lectores Germanicae linguae adſuetos fefellit, etiam doctos. Vidi deinde omnes editiones ante *Gruterum* ſummo conſenſu habere *jubeat:* quod eſt reponendum. Non longe poſt c. 53. verba in tribus edd. ſunt haec: *Itaque populus eum, qui maximam fidem rerum ſuarum* habebat, *maxima cura deligit.* In quibus idem eſſe vitium, leviter attendenti apparet. Et eſt in omnibus, ante *Gruterum, habeat*: pro quo *habebat* dederunt temere operae: idemque de *qui* dicendum, quod non eſt in Lambinianis, recteque corrigitur *cui* a *Graevio.* In eadem oratione c. 69. qui attente legerit haec: *ſtatuae equeſtres, quas tu paullo ante, quam ad urbem venires, poni inſcribique juſſiſti, ut omnium inimicorum* amicos *accuſatorumque tardares*, haereat neceſſe eſt in *amicos*, videatque reſcribi debere *animos*: ita cum primum legi diligenter, corrigendum judicavi. Enimvero ita habent omnes ante *Gruterum*, apud quem per negligentiam operarum *amicos* expreſſum, per parem incuriam a *J. Gronovio* & *Graevio* ſervatum. In *Verr.* III. 60. extr. *quid potuit elegantius facere praetor cupidus exiſtimationis bonae, qui ab ſeſe omnem ſuſpicionem propulſaret, qui ſe eripere ex infamia cuperet*? Adſcripſi, cum primum interpretarer in ſcholis, *propulſare*, le-

gendum eſſe. Non me fefellit ratio grammatica. Nam ita poſt vidi, omnes veteres habere, *propulſaret* vitium eſſe *Gruterianae* editionis, non obſervatum nec *J. Gronovio*, nec *Graevio.* Par vitium eſt a pari cauſa, IV. 55. *extr. videte, quanto tetrior hic tyrannus* Syracuſanus *fuerit, quam quidam ſuperiorum;* quod ab initio vitium typographicum eſſe putabam in libro meo, corrigendumque *Syracuſanis:* ſed omnes illas tres edd. habere vidi, *Syracuſanis* omnes ſuperiores. Et his ſimilia reperiuntur, quae omnia commemorari, non eſt neceſſe.

DE

VESTIGIIS LINGUAE HEBRAICAE IN LINGUA GRAECA.

In controverſia ea, quae viris doctis intercedit de genere ſcribendi Graeco, quo viri divini uſi ſunt in libris ſacris, ſitne ſatis ſimile ei, quod Graeca vetuſtas uſurpavit, & ab Hebraismis purum, nec ne, defenſores puritatis ſaepiſſime pugnant auctoritatibus poëtarum. His contrariae ſententiae auctores, Gatakerus inprimis, Moſesque Solanus, ita occurrunt, ut dicant, multa eſſe in poëtis abhorrentia a vulgari conſuetudine loquendi, quam ſequantur ſcriptores populares, eamque ob cauſſam non eſſe conſentaneum, ut, ſi cujus φράσεως, ſcriptoribus θεοπνεύστοις frequentatae, Hebraicaeque conſuetudini ſimilis, unum & item alterum exemplum in poëtis Graecis reperiatur, ea pure Graeca, & ab ſcriptoribus bene Graece ſcribentibus potius, quam ex Hebraico ſermone ducta putetur. Eam rationem etſi non repudiaverim; tamen non omnino mihi ſatisfacere fateor, etiam propter multitudinem exemplorum, quae in eo genere proferuntur. Altius repeti refellendi ratio poteſt, ut opinor, atque ſic comparari, ut etiam in alio genere exemplorum repudiando proſit, quo illi in puritatis defenſione utuntur. Quae ut intelligatur, animum induxi, quaedam hoc tempore diſputare univerſe, de veſtigiis linguae Hebraicae, quae mihi

mihi viſus ſum deprehendiſſe impreſſa, non modo in poëtis Graecis, ſed etiam in aliis ſcriptorum generibus. Ea diſputatio erit tripartita. Primum oſtendam, in antiquiſſimis optimisque Graecae linguae auctoribus iis, qui populari oratione utantur, eſſe quaedam, quae videantur e conſuetudine Hebraica ducta eſſe: veniam deinde ad poëtas, in iisque, non abhorrens eſſe, diſſeram, quasdam agnoſcere veteris Hebraicae linguae reliquias: deſinet denique diſputatio in ſcriptoribus iis, qui ſublata libertate Graecorum, maximeque, imperantibus primum in Oriente Graecis, deinde Romano imperio ad easdem partes propagato, & Chriſtiana denique religione conſtituta, vixere. Ejus autem rei conſilium mihi injectum eſt nuper, cum interpretatione libelli, quem Plutarchus de diſcrimine Amici & Adulatoris ſcripſit, inſtituta, veniſſem ad locum, ubi adulator dicitur imitatione morum inſtitutorumque captare benivolentiam hominum, τῷ μὲν συνορχούμενος καὶ συνᾴδων, τῷ δὲ συμπαλαίων, καὶ συγκονιούμενος &c. ubi Plutarchus, de more ſuo, verbo vulgari συμπαλαίειν junxit ejusdem ſignificationis verbum aliud exquiſitius συγκονιοῦσθαι: quod ita ſimile eſt Hebraico גֶּאֱבַק & הֵאָבֵק, ut ad ejus ſimilitudinem factum videri poſſit. Nam Hebraicum illud, quo uſus eſt Moſes Gen. XXXII. 25, 26. quodque vertitur ab Alexandrinis Interpretibus παλαίειν, proprie eſt *in pulvere volvi*, eaque de cauſſa ab Aquila, proprietatem verborum diligentiſſime ſecuto, itemque a Symmacho, per κυλίεσθαι, explicatur. Sed rem, ut propoſuimus, aggrediamur.

Primum igitur, qui veteres illos Atticos Oratores, Hiſtoricos, ceterosque proſaicos ſcriptores, attente legant, ſi Hebraismi non ſint prorſus imperiti, paſſim animadvertant formas dicendi, quae ita ſimiles ſint Hebraicis, ut vix dubitare liceat, quin ex his ſint expreſſae. Non mea unius, aut primi, iſta obſervatio eſt atque opinio, ſed multorum ante me, nominatim Marklandi V. C. ad Lyſiam p. 549. ubi, prolatis e Lyſia exemplis formulae μετά τινος εἶναι, ſubjicit: *Et hinc intelligitur phraſis iſta, quae in Novo Foedere toties occur-*

occurrit, ut Jo. VIII. 29. *Act.* X. 38. *quam locutionem ab Hebraeis forte, ut innumeras alias, mutuati ſunt Graeci veteres.* Quos ille univerſo nomine appellat, intelligit, ut opinor, maxime Atticos illos veteres, quibus id certe commune eſt cum ceteris, de quibus poſt dicetur. Atque illa obſervatio ſaepe perutilis eſſe poteſt, in ſacris libris, ubi non raro haerent viri docti in formis Hebraicis, aut iis reſpondentibus Graecis interpretandis, dum nimis verba ſingula amplectuntur: facile ſe expedituri, ſi earum vim comparatione cum Graecis reperire didiciſſent. Uno exemplo, ſed luculento, defungemur. Quomodo torſerint Interpretes verba Moſaica Gen. XLIX. 10. מִבֵּן רַגְלָיו, nemo eſt, quin ſciat. Ejus rei nulla alia cauſſa eſt, niſi vulgaris illa & puerilis interpretatio verborum, ab Aquila orta, ἀπὸ μεταξὺ ποδῶν αὐτοῦ vertente, quae in vernacula inprimis noſtra, aliquid ſonare videntur amplius, quam in linguis mortuis ſignificant: quanquam & Hebraeorum magiſtri olim ſimilia nugati ſunt, dum vocum ſingularum propriam vim nimis retinerent. Quanto facilius verum ſenſum, omni argutatione vitata, viri docti reperiſſent, ſi Graecos conſuluiſſent, qui iſtam formam dicendi, סור מִבֵּן רַגְלַיִם & רַגְלָיו ad verbum ſuo ſermone exprimunt, valdeque frequentant. Plato in Theage T. I. p. 123. A. ἐκ τῶν ποδῶν ἀποχωρήσομεν: & Xenophon Sympoſ. c. 4. §. 51. ἐκ ποδῶν ἀπέχονται. Id autem nihil eſt amplius, quam, quod Latini dicunt, *e medio diſcedere*, ſive ſimpliciter, *abire*, ut ἐκ ποδῶν, ſive ἐκποδὼν γίνεσθαι, *diſcedere e conſpectu*, vel *mori*, & ἐκ ποδῶν ποιεῖσθαι, *tollere*, *amovere*, & multa alia ſimilia. Neque id modo abſolute dicunt, ſed etiam cum genitivo, ne ulla dubitatio reliqua ſit, ut Xenoph. Cyrop. V. p. 52. 16. ed. Steph. ſec. ὅσα ἐνοχλεῖσθαί ἐστιν, τούτων ἐκ ποδῶν ἦμεν, *quaecunque incommodum afferre poſſunt, ab his aberamus.* Nemo in Graeca hac forma unquam haereat mediocriter Graece doctus. Qui e verbis ἐκ ποδῶν aliquid exprimere amplius vellet, quam dixi, urgens verborum proprietatem, pueris riſum moveret.

Hebraeorum mos eſt, homines exprimere per partes corporis, quarum qualiscunque ſit conjunctio cum

re

re ea, quae iis tribuitur: idque cum faciunt, nihil de iſtis partibus cogitant, ſed totam perſonam animo contuentur, ſicut, qui Latine appellant aliquem *cariſſimum caput* aut *pectus*, nihil de iſtis partibus admodum cogitant, ſed de toto homine, vel maxime animo ejus. Quod ignorantes vulgo homines, aut non cogitantes, non modo inepte formas illas loquendi verterunt, ſed etiam ex iis emphaſes, ritus, & alia exſculpſere. Act. V. 2. Ananias pretium venditi praedii ἔθηκε παρὰ πόδας τῶν ἀποστόλων, *tradidit Apoſtolis*, non, *apud pedes Ap. poſuit*: nec fecit hoc Latino ſenſu, nec id cogitavit Lucas: ſed, ſi tamen quid amplius deſideres, cuſtodiae curaeque Apoſtolorum, ait, tradidiſſe & mandaſſe, ut Paullo veſtes ii, qui Stephanum lapidabant Act. VII. 58. ἀπέθεντο τὰ ἱμάτια παρὰ τοὺς πόδας Σαύλου· ubi vertendum erat, *Saulo veſtes mandabant cuſtodiendas*, ut patet ex Act. XXII. 20. ducta forma loquendi e Gen. XXX. 30. ubi Jacobus Labani dicit: te Deus auxit לְרַגְלִי *cura mea*, *per me*, non, *ad pedem meum*. Atque ad hanc rationem explicandum erat illud de Paullo, παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιὴλ ἀνατεθραμμένῳ Act. XXII. 3. educato *cura Gamalielis*, ſive ſimpliciter, *apud Gamalielem*, non, ut compilatores antiquitatum Hebraicarum, & interpretum quidam volunt, *ad pedes*, quod diſcipuli humi ſederint apud Hebraeos, magiſtri in loco & ſede editiori, unde etiam vulgo hodie, cum aliquem volunt dicere diſcipulum alterius fuiſſe, ad pedes ejus ſediſſe, etiam in vernacula noſtra, haud bene dicunt. Martha quidem Lucae X. 39. παρακαθίσασα παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ, ἤκουε τὸν λόγον αὐτοῦ, non profecto humi ſedens, cum Chriſtus loco editiori ſederet: ridiculus ſit, cui tale quid in mentem veniat: ſed *ſedens prope Jeſum*: ſicut Attici, qui hoc genus loquendi modo quodam imitati ſunt, ἐν ποσὶ, πρὸ ποδῶν, atque etiam παρὰ πόδας dicunt eſſe *praeſentes res*, perſonas, quod ſciam, nunquam. Itaque, ſi de perſonis occurrat, ſane non ſit ſimplex periphraſis praeſentiae, ut nec in illo Ciceroniano pro Cluent. 13. *ante pedes triumviri Manilii conſtituitur*: ubi ſane ad ſedem triumviri loco editiori reſpicitur. Quam rationem interpretandi firmant ſcriptores divini ipſi, cum for-

mas

mae iſti ſubſtituunt nomen perſonae, ut Paullus 1 Cor. XV. eodem verſu jungit ὑποτάξαι ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ, quod exprimit Hebraicum תַּחַת רַגְלָיו e Pſ. VIII. & ὑποτάξαι αὐτῷ. Act. V. 9. οἱ πόδες τῶν θαψάντων, ii, *qui ſepelivere maritum tuum*, etiam Hebraeus, Latine doctus, vertat, non *pedes eorum*, *qui* &c. Rom. X. 15. ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελ. εἰρήνην, *quam jucundi ſunt nuncii pacis*, non *pedes nunciorum*, qui ſuaves eſſe non ſolent. Sed ſatis circa pedes illos Hebraicos haeſimus: aliarum partium exempla adjungemus, quoniam in hujus rei mentionem incidimus. Maſius ad Joſuae I. 8. merito ridet eos, qui argutati ſunt in verbis, *non recedat liber legis* מִפִּיךָ, ἐκ στόματος, ut οἱ ό vertunt, quaſi ad docendi officium pertineant, ob mentionem oris, cum nihil aliud ſit, quam periphraſis perſonae, ut, cum *labia ſacerdotis*, ſine ulla emphaſi, pro ſacerdote dicuntur. Quae per miniſterium alterius fiunt, in iis perſonam περιφράζουσι per manum, ut בְּיַד ἐν χειρί τινος fieri dicantur, quae ſine ulla manuum opera, ſed ore, verbis, pedibus, quocunque denique modo fiant, ut Act. X. 12. 41. &c. Unum addam ex Hoſeae vaticiniis II. 4. quo maxime illuſtratur locus Moſaicus, ab initio poſitus. Meretriciam libidinem, inquit, תָּסֵר מִפָּנֶיהָ *removebo* ἐκ προσώπου αὐτῆς, & adulterium מִבֵּין שָׁדֶיהָ ἐκ μέσου τῶν μαστῶν αὐτῆς. Sicut hic מִבֵּין שָׁדֶיהָ nihil aliud eſt, niſi *ab ipſa*: non enim vereor, ne quis etiam hic ſcrutari, & inveſtigare abditam aliquam emphaſin, ut in pedibus Judae velit: ſic in Moſis verbis מִבֵּין רַגְלָיו nihil eſt, quam *ab ipſo*, ſine peculiari aliqua vi in pedum verbo intelligenda, plane ut Graecorum ἐκ ποδῶν αὐτοῦ, quod hinc natum & ductum eſt, utque *ſervus Dejotari a pedibus legatorum* h. e. ab legatis, *abductus* dicitur apud Ciceronem pro Dejot. c. 1.

Sed nihil impedit, quo minus aliud exemplum ſubjiciamus, quod cum ſuperiori conjunctum ſit, & ſimul juve-

juvenes acuamus ad intelligendam eam, quam cum magno A. Schultenſio Analogiam linguarum vocem, praeſtantiſſimum interpretandi praeſidium, ſed paucis cognitum apud nos aut uſurpatum ex iis, qui interpretari libros ſacros conantur; quando, qui ſe ad id negotium conferunt, plerumque ne unam quidem mediocriter callent, nedum plures ita, ut comparationem inſtituere, & ex altera alteri lucem accendere poſſint. Quemadmodum optimi Atticorum dicunt ἐκ ποδῶν, ſ. ἐκποδὼν, ut vel redundet plane, vel ſit *e conſpectu*, *e medio*, eique contrarium ἐμποδὼν, ut *coram*, *in conſpectu* ſignificet: ita & utuntur formulis ἐκ μέσου, διὰ μέσου, ἐν μέσῳ, ut illa τῷ ἐκποδὼν, reſpondeat, reliquae τῷ ἐμποδὼν, ἀνὰ μέσον denique & εἰς μέσον, aut plane redundent, aut ſimplicem praeſentiam ſignificent: quod etiam imitatur Latina conſuetudo, inprimis poëtarum, qui centies *mediam rem* dicunt πλεοναστικῶς, rem ſimpliciter, & quemcunque ejus locum aut partem: unde non erat, quare Burmannus, Vir ſummus, in Aeneid. II. 240. ubi equus ille fatalis Trojae ſubit muros urbis, *mediaeque minans illabitur urbi*, *mediae urbi* referret ad *minans* potius, quam ad *illabitur*, quia vix ingreſſus erat muros, nondumque in mediam urbem pervenerat: non ignarus alioqui conſuetudinis Latinae in hoc verbo. Nam *urbs media* κατὰ πλεονασμὸν eſt urbis quicquid intra muros eſt, urbs ipſa & moenia, ut *moenia media* IV. 74. *Media inter numina*, inter numina, coram numinibus, IV. 204. ubi ineptit offenſus ad id verbum Servius. Sed hae formae prorſus reſpondent Hebraeorum conſuetudini in verbis מִתּוֹךְ׃ בְּקֶרֶב׃ אֶל תּוֹךְ׃ בְּתוֹךְ׃ quae formulis iſtis exprimuntur a Graecis interpretibus & ſcriptoribus Novi Teſtamenti, ut non dubitandum ſit, quin e lingua Hebraica in Graecam illam, de qua dicimus, venerint. Nam etſi omnes linguae habent multa neceſſario communia, quae non ſtatim ex altera in alteram veniſſe debent putari: tamen in his ita impreſſa eſt, ut in multis aliis, nota & character quidam Hebraiſmi, ut ex illo genere cenſeri non debeant.

Sed

Sed multo plura Hebraiſmi veſtigia ſunt in Poëtis Graecis antiquioribus: nam de poſterioribus, qui inde ab Imperii Graeci in Aſia temporibus vixere, poſt dicetur: in Homero quidem tam multa, ut etiam quibusdam e libris ſacris profeciſſe videretur, haud pauca & in aliis, in Pindaro, in Tragicis, praeſertim Chori cantibus, in Choro Ariſtophanis comico. Quibus ita utuntur, qui dictionem Atticam eſſe in N. T. defendunt, ut bene Graecas & Atticas eſſe iſtas formas loquendi, ubi occurrant in libris ſacris, contendant. Ego quidem iſtas, aut omnes, aut maximam partem, e lingua Hebraica originem ducere arbitror, neque magis pure Graecas eſſe, aut in populari oratione uſurpandas ei, qui Attice ſcribere velit, quam, quia Virgilius, aureae aetatis poëta, dixit, *it clamor coelo*, *os humerosque deo ſimilis*, aliaque & ipſe, & alii Latini poëtae, ſimilia, propterea hae formulae non Graecae, ſed pure Latinae jure putentur, & in oratione populari, de rebus humanis divinisque, recte uſurpentur. Non arbitror, exempla quemquam deſideraturum. Magna copia eſt apud eos, quos dixi, ſcriptores, ſatis notos illos & obvios: unde petent, qui volent. Ratio ejus rei & cauſſa quae ſit, videamus.

Atticorum ultimas origines ex Oriente eſſe repetendas, ab iisque Graeciae illatam eſſe linguam, vel ipſam Hebraicam, ut tum erat, ſive, ſi quis ita malit, eam, qua in Oriente uſi fuiſſent, non abſimilem Hebraicae, aut ab ea ortam, vix hodie quisquam in dubium vocabit: quippe etiam antiquiſſimos Atticorum iisdem, quibus in Oriente uterentur, literis uſos conſtat. Sed incredibile eſt, quantam vim habeat, ut ad ingenia vel acuenda vel obtundenda, animos vel incitandos vel retardandos, mores denique fingendos, ita ad ſermonem variandum, penitusque mutandum, aër, quem ſpiramus, terra, quam incolimus, victus denique ipſe morésque; praeſertim, ubi nullis dum Grammaticorum legibus parere conſuevit, quibus ſolis certus & conſtans reddi poteſt. Itaque etiam is, quem rudes homines ex Oriente attulerant, ſermo ita eſt multorum ſeculorum decurſu immutatus, ut in Orientem reverſus, veluti per colonos in Ioniam miſſos, non

magis agnoſceretur ab Orientali, ſive matre, ſive ſorore, quam Oreſten agnoſcit in fabulis Electra ſoror. Sed ut Ulyſſem, quamvis ita per abſentiam mutatum, ut a nemine ſuorum cognoſceretur, tamen prodidit cicatrix, & in fabulis etiam e naevis agnoſcunt liberos matres: ita lingua illa priſca non potuit ita aboleri, quin nonnulla ſui veſtigia relinqueret, retineretque formas quasdam dicendi, praeſertim, quae non nimis ab ingenio novo diſſentirent, unde origo ejus intelligi poſſet. Atque ex hoc genere arbitror eſſe ea, quae in Atticis veteribus, qui quidem proſaica oratione uſi ſunt, reperiuntur, magis conſentanea Hebraicae rationi, quam ut non ab ea profecta putentur.

Neque vero mirandum eſt, multo plura reperiri ejusmodi in poëtis, praeſertim ſublimioribus, velut lyricis & tragicis, quam in ceteris ſcriptoribus. Semper hoc poëtae ſibi arbitrati ſunt licere, ut non modo ex antiquioribus ſuae gentis ſcriptoribus aſſumerent verba & formas loquendi, quae dudum deſiiſſent uſu populi frequentari, ſed etiam ex lingua ea, unde ſuam natam conſtaret: unde etiam docti ſunt appellati. De Latinis poëtis notius eſt, quam ut demonſtratione indigeat, quam multa ex antiquis poëtis gentis ſuae, qui propiores originibus linguae ſuae fuisſent, quam multa e Graeca lingua, unde Latinam natam ſcirent, ſumſerint. Quod illos non dubitem exemplo & auctoritate Graecorum poëtarum feciſſe. Nemo, ut opinor, primum Homerum, putat, carmen probabile in eo genere ſcripſiſſe, primum Pindarum odas. Multos ante fuiſſe, dubitari non poteſt, quos aut aetas aboleverit, aut horum gloria obſcurarit: qui, cum eſſent minus remoti ab originibus Graecorum, plures linguae Orientalis reliquias, ſublatas tum ex uſu vulgari loquendi, habuerunt, e quibus poſteriores, quae viderentur, decerpſerunt. Neque repugnaverim valde, ſi quis & Homerum, doctiſſimum hominem, & alios de more illorum temporum, peregrinatos per Aſiam, incidiſſe in libros Hebraicos, atque inde hauſiſſe putet. Erat autem lyricae & dithyrambicae poëſi tanto accommodatior illa Hebraica con-

conſuetudo loquendi, quod habet permulta, ex Orientalium populorum indole, in quibus extollitur altius, quam Europaeorum fert ingenium. Atque ex illo ipſo dithyrambico genere fere ſunt carmina Chori tragici & comici, uſurpantis etiam cum Lyricis Doricam dialectum, vel antiquitatis cauſſa, & doctrinae jactatione. Nam etiam poſt quidam, ut Scholiaſtes Ariſtophanis ait ad Nubes v. 248. διὰ πολυμάθειαν ἐδώριζον, *eruditionis oſtentandae cauſſa Dorice loquebantur aut ſcribebant.* Itaque plura Chori habent hujusmodi, quam reliquae fabularum partes. In quo, ſicuti in aliis, deſiderare ſoleo diligentiam uſurpantium ſcenicorum poëtarum auctoritatem. Quae apud Ariſtophanem perſonae, velut in Nubibus Socrates, Strepſiades, Phidippides, colloquuntur, ea, concedo, eſſe ejusmodi, ut hinc, quid pure Graecum, Atticumque ſit, doceri poſſit, ſi exceperis verba comica, ut βρενθύεσθαι, & ea, quae, non tanquam probet, ſed ut rideat, velut inepte dicta ab aliis ſuae aetatis poëtis, ponit, quae ſunt non pauca, etiam in ipſis Choris, vulgo tamen in Lexicis ſub Ariſtophanis nomine poſita, & hac auctoritate probata. At de iis, quae in Choris aut precationibus occurrunt, ſecus judico. Ῥῆξαι φωνὴν etſi apud Ariſtophanem bis eſt in Nub. 357. & 956. tamen pure Graecum, & in proſa uſurpandum negem. Eſt enim loco priori in allocutione Dearum, in altero autem in carmine Chori, ductum ex Hebraica haud dubie lingua, e qua οἱ ὁ ad verbum expreſſere. v. Grotius ad Galat. IV. 27. Itaque & Latini, etſi in carmine eandem formam imitari non dubitarunt, tamen in proſa nunquam ſic dixere. Eſt enim contra bene pureque ſcribendi legem. Ex quibus, quid talia loca ad puritatem ſermonis probandam valeant, ſponte intelligitur.

Si quis libros eorum, qui operam ſuam ad phraſin N. T. e ſcriptoribus Graecis vel illuſtrandam vel vindicandam contulerunt, attente legat, animadvertat facile in haud paucis exempla petita eſſe ex iis ſolis, qui ſublata, cum libertate Athenienſium, priſca illa Attica puritate & elegantia vixere, ſub Seleucidis, & Lagidis, imperioque deinde Romano. Id

negant Gatakerus & Solanus recte atque ordine fieri, neque has auctoritates concedunt ad puritatem orationis Graecae aſſerendam ſatis valere. Quodſi puritas Graecae Linguae illorum veterum Atticorum, ut Latinae ex aureae aetatis, quam vocant, uſu, judicari debet, habet eorum ratio, quo ſe tueatur. Sed hoc jam nihil ad nos. Illud quaerere lubet, unde illa tam multa in his poſterioribus, quorum nullum in iſtis Atticis veſtigium compareat, multa contra in verſione V. T. Graeca, itemque N. T. libris? Fallarne multum, ſi ea illi ipſi verſioni Graecae, omninoque Judaeis & conſuetudini loquendi Hebraicae deberi dicam? Satis conſtat, auctore Joſepho, Seleucidas invitaſſe Judaeos, praemiis propoſitis, ad ſedes fortunarum in iis urbibus ponendas, quas ipſi condidiſſent, & quam celerrime frequentari cuperent: itemque Lagidas magnum eorum numerum in Aegyptum vel devocaſſe, vel per vim abduxiſſe. Poſtea quam vero C. Julius Caeſar Judaeis hoc dedit, ut in univerſis imperii Rom. urbibus ſacra ſua exercere, nemine impediente, poſſent, nemo ignorat, nullam Aſiae, Graeciaeque urbem, praeſertim quae eſſet mercaturae exercendae opportuna, fuiſſe, in qua non plures Judaei habitarent. Quid igitur? Cum iſti homines Graece loqui coepiſſent, non ab idoneis magiſtris inſtituti, id quod eos omni modo fugiſſe, tradit Joſephus, ſed quantum uſu qualicunque conſequi potuiſſent, (in quo non poterat fieri, quin multa dicerent e conſuetudine linguae Hebraicae & verſionis ſacrorum librorum Graecae) multumque conſuetudinis haberent cum Graecis: an improbabile eſt, ac non potius valde veroſimile, multa ab iis fluxiſſe in ceterorum orationem, multaque per eos invecta eſſe in linguam Graecam, quae a priſca ratione abhorrerent? Galli, qui per Caeſarem in urbem Romam inducti ſunt, tam brevi tempore peregrinitate infecerunt linguam Latinam, ut jam Ciceroni de eo querendum videretur: ab Judaeis autem per tot annos, immo ſecula, nihil infuſum linguae Graecae credibile eſt? Non tam facile colorantur, qui in ſole ambulant, aut in corpora morbi a contactu tranſeunt, quam linguae aliquid trahunt a contagione aliarum. Poſtquam religio Chri-

Chriſtiana venit ad Latinos, quam multa in eorum ſermonem venere e Latina verſione ſacrorum librorum? Ipſa vernacula noſtra, incredibile eſt, quot hodie habeat ab aliarum linguarum conſuetudine ducta. Quam plena eſt primum verbis & phraſibus, quae ex Latina Germanicaque verſionibus librorum ſacrorum, nimis verborum Hebraicorum & Graecorum retinentibus, irrepſere: quorum peregrinitatem hodie vix quisquam ſentit: quam multa traxit e lingua Francica, per conſuetudinem legendorum librorum, qui ex ea lingua male in noſtram ſunt converſi? Nuper coepta eſt in philoſophia voce literisque tradenda uſurpari vernacula noſtra: & verba formaeque novae loquendi, philoſophorum ingeniis repertae, jam etiam plebi in concionibus audiendae ſunt. Itaque nihil mihi videtur veroſimilius, quam per Judaeos, cum Graecis, omnibus in locis celebrioribus, conſuetudine, re rationeque, dum ibi negotiantur, & per domos omnes, de more ſuo, quem nunc etiam videmus, curſitant, conjunctos, plura in linguam Graecam veniſſe, quae in antiquioribus illis Atticis non reperiantur. Ut nihil dicam de Graecis eruditis, qui libros ſacros noſtros legerunt, atque ea, quae placerent, imitati ſunt (habet enim profecto lingua Hebraica ſuas Veneres, dignas imitatione) ſive per negligentiam, ut fit, ac temere adſumſerunt.

Sed haec, ut arbitror, veſtigia linguae Hebraicae ſunt in ſingulis verbis formulisque dicendi animadverſa. Quid vero? An etiam in habitu & velut forma totius orationis aliquid ejusmodi animadvertitur? Saepe miratus ſum, viros doctiſſimos, cum de Stilo N. T. ut vocant, in utramque partem differerent, hanc partem, quantum ego quidem repererim, non attigiſſe, ſolis verbis & phraſibus expendendis voluiſſe contineri. Atqui etiam in hoc linguae inter ſe maxime differunt. Qui volet docere, ſcriptores divinos non minus bene Graece ſcripſiſſe, quam veteres illos Atticos, aut ſaltem alios probabiles ſcriptores Graecos poſterioris aetatis, hoc vel maxime debet oſtendere, formam orationis, hoc eſt, modum narrandi ac diſſerendi, colligationemque ſingularum partium ac mem-

membrorum, enunciationes dialectici vocant, eſſe eandem in Novo Teſt. & iſtis, quos dixi, ſcriptoribus. Puerorum, atque aliorum imperitorum, hic error eſt, exiſtimare, qui verbis & phraſibus Ciceronis utatur, eum Ciceronianum, immo Ciceronem alterum eſſe. Utinam tam facile Cicerones fierent, multos ſingulis annis efficerem. Si Latina illa divinorum librorum Verſio, quam Vulgatam appellamus, multos Boiſios vindices nanciſceretur, ut nullum in ea verbum, nulla phraſis relinqueretur, quin auctoritate boni & veteris ſcriptoris ſe tueretur: aut ſi quis eam plane refingeret, & omnia verba Ciceroniana efficeret: tamen ipſa Ciceroniana non eſſet. Si quis ex Herodoto deleret, quicquid ibi dialecti Ionicae eſt, ſubſtitueretque Atticae verba, & contra in Xenophontis libro aliquo efficeret verba Ionicae dialecti omnia, tamen hunc Atticum ſcriptorem agnoſcerem, illum non item. Forma enim univerſae orationis in utroque eſt ejusmodi, ut ille nullo modo Atticus eſſe poſſit, hic ſit neceſſario. Itaque hoc nomine maxime produnt ignorantiam Graecismi, qui pro elegantia Graeci ſermonis in N. T. pugnant, & nihil ibi eſſe volunt Hebraicae conſuetudinis: cum tota illa orationis compages, & forma narrandi inprimis, ſit Hebraica, h. e. ſimplex, nihil artificii habens, qualis eſſe ſolet expertium artis dicendi, a Graecis inventae, non Graeca, multo minus Attica, ſicut in verſione vulgata non eſt Latina. Ei nihil apud Graecos uſpiam ſimile eſt: niſi quod ab ea minus abhorret Herodotus, quam qui poſt eum de rebus geſtis ſcripſere.

Haec igitur de argumento propoſito, hoc tempore, dicta ſunt. Sed idem Plutarchi libellus, qui mihi haec ſcribendi cogitationem injecit, argumenta Orationum ſuppeditavit ſex alumnis diſciplinae noſtrae &c.

DE-

DEFENSIO VETERUM PHILOSOPHORUM ADVERSUS EOS QUI METHODUM MATHEMATICAM AB IIS VEL IGNORATAM VEL MALE NEGLECTAM ESSE CONTENDUNT.

Ex quo tempore bonarum literarum facta eſt inſtauratio, depulſisque ſuperioris barbariae tenebris, nova quaedam elegantiae lux ingeniis hominum affulſit, ut, quid in quoque genere rectum eſſet, ſubtile, acutum, elegans, judicare poſſent, ſemper hanc penitus inſitam doctis hominibus opinionem fuiſſe reperio, ut perfectiſſimum ſubtilitatis elegantiaeque exemplar a Graecis Latinisque ſcriptoribus petendum exiſtimarent. Itaque ſi quis hoc erat animo, ut facultatem de ſingulis rebus ſubtiliter & via quadam ac ratione diſſerendi comparandam ſibi putaret; omne ſtudium ſuum ad eorum libros aſſidue legendos conferebat. Sed ut omnium rerum, ita opinionum quaedam eſt viciſſitudo: propterea, quod hoc eſt ingenii humani vitium, ut inſito quodam novitatis ſtudio, in antiquis, quamvis recta

recta ſint, faſtidiat, & novis, etiamſi nullam aliam, niſi novitatis, commendationem habeant, tamen celerrime adhaereſcat. Nihil attinet, in re manifeſta, multis & ab inſtituta diſputatione alienis exemplis uti. Quod enim aliud eſt illuſtrius eo, quod haec noſtra, feraciſſima novarum opinionum, aetas tulit, maxime proprium illud cauſſae diſputationique noſtrae: cum, exorto uno aliquo, qui eam rationem, qua ſoli antea mathematici uſi eſſent, ad philoſophiam transferendam praeciperet, & a ſe primum traductam diceret, magnus repente numerus eorum extitit, qui non modo novam illam de philoſophia diſſerendi rationem uno omnes ore celebrarent, & ejus legibus omnes divinas humanasque diſciplinas, indignantes quamvis reluctantesque, adſtringere inſtituerent, ſed etiam hoc in ſermonibus ſaepe ſcriptisque jactarent, veteres Graecos Latinosque philoſophos, rationem eam, per quam unam via ad veram rerum certamque ſcientiam pateret, aut ignoraſſe, aut neglexiſſe. Scio ſane, hoc aliquem de magno quodam viro ſcripſiſſe, eum, etſi res ipſas non male explicarit, tamen in eo maxime reprehendendum eſſe, quod nihil via ac ratione tradiderit: ejus adeo rei cauſſam hanc eſſe, quod illam diſciplinam, quam ab eo explicatam haberemus, e veteribus hauſiſſet, quos veras methodi leges ignoraſſe. Quid prius conqueramur? Ipſarumne elegantiorum literarum fortunam, quae, iſtis jactandis & in animos adoleſcentum ſpargendis, in contemtum paullatim adducuntur? an vero veterum philoſophorum injuriam, qui, cum omnes recte concludendi diſſerendique vias & aperuerint primi, & munierint ſoli, idque in rebus omnibus explicandis & diligenter egerint, & omnium aetatum ſeculorumque judicio conſecuti ſint, ut ſubtilitatem & modum quendam adhiberent, nunc ſubito de vetere gloriae posſeſſione dejiciuntur? Age vero, repellamus iſtam ab iis, quantum in nobis eſt, injuriam, & in ſuis ipſos ſedibus, juſtis vindiciis, reponamus.

Ignoraverunt ergo veteres philoſophi, atque, ut aliquos nominem, ignoraverunt Plato, Ariſtoteles, & Cicero bonae methodi leges, neque iis in ſcribendo obtemperarunt. Quomodo hoc dicitur? An ſic, ut ne-

neque, quomodo obſcura definienda, ambigua diſtinguenda, genera in formas dividenda: quomodo concludendum denique eſſet, cognitum habuerint: neque, quid priori, quid poſteriori loco dicendum, viderint, ullamve ordinis in diſſerendo, aut notionem tenuerint, aut rationem habuerint? Non opinor, quemquam fore, qui hoc dicere, & tantae ſe impudentiae crimine obſtringere audeat; cum illa quidem ab iis inventa & nobis tradita teneamus, hoc autem, ut a perſpicuis & conceſſis profecta diſputatio ad obſcura & demonſtrationis indiga, perveniret, & ipſi praeceperint, & diligenter ſervarint. Quid ergo eſt, quod in ipſis reprehenditur? Nempe hoc, quod mathematicorum rationem neque intellexerunt, neque in philoſophia adhibuerunt. Quid vero? ſi oſtendero, eos, quae ſit mathematicae rationis vis, longe melius, quam hi noſtri ejus admiratores, intellexiſſe, & ſuo loco uſos eſſe: tamenne pergemus hanc in ipſos culpam conferre?

Atque ut ab illo incipiam: quomodo poteſt hoc ulli in mentem venire, ut dicat, veteres philoſophos mathematicorum in demonſtrando rationem ignoraſſe, quam ab iis & explicatam ſubtiliter & diligenter commendatam ſcimus. Plato quidem cum non ſolum fuerit ſummus ipſe mathematicus, & multa in Geometricis acute excogitarit (*), ſed etiam illam Analyticam methodum invenerit, qua propoſita quaeſtio ad ſua redigitur principia (**), valde uſitata illa optimis mathematicis, ſane mathematicam methodum optime perſpectam habuerit neceſſe eſt. An vero obliti ſunt iſti veterum reprehenſores, a ſe interdum, commendandae mathematicae rationis cauſſa, hoc etiam commemorari, Platonem, titulo in ſcholae foribus poſito, eos aditu prohibuiſſe, qui Geometriae expertes eſſent, quod ea diſcenda praeparandos ad philoſophiam animos putaret. Si ergo nulla alia de cauſſa voluit Geometriam diſci, niſi ut, quemadmodum illi quidem, neſcio an ſatis vere, dictitant, mathematicae ἀποδείξεως ratio cognoſce-

(*) Plutarch. de Genio Socr. p. 579. ed. Wech.
(**) Laërt. III. 24.

noſceretur, & qua via modoque in rebus inveniendis explicandisque progrediendum eſſet, quomodo ipſe eam potuit ignorare? Nam Ariſtoteles, cum is ſit, qui non minus Platone doctus artibus mathematicis fuerit, quique unus omnium acutiſſime diligentiſſimeque de mathematica demonſtratione ſcripſerit, non potuit ſane Geometricae methodi imperitus eſſe. Nam ἀπόδειξις illa ἁπλῶς λεγομένη, de qua duobus Analyticorum poſteriorum libris ſcripſit, non eſt ſane alia, quam quae mathematica dicitur. Quid vero? Ciceronem, qui mathematicae rationis hanc vim eſſe dicit (*), ut non perſuadeat, ſed aſſentiri cogat: qui potuit judicare, quid eſſet mathematicorum ratione concluſum (**), hunc igitur Ciceronem poterimusne ſine injuria mathematicae methodi ignarum dicere? Alios praetereo lubens. Cognitum hoc omnibus & ita vulgatum antiquis temporibus fuit, geometricas demonſtrationes eſſe optimas, ut potentiſſimum demonſtrandi genus γραμμικὴ ἀπόδειξις vocaretur (***), & ejus quoque percipiendae nomine geometriae ſtudium commendaretur. Eſt ergo totum hoc, quod de ignorata veteribus philoſophis mathematica ratione dicitur, confictum & falſum, neque ullo modo in iis haerere poteſt.

Sed erunt, qui hoc magis eos reprehendendos dicant, quod, cum mathematicam rationem perſpectam habuerint, tamen ad ejus normam concluſiones diſputationesque ſuas non direxerint, iisque accidiſſe id, quod multis quoque nunc eveniat, ut, quanquam geometricas demonſtrationes & perceperint, & ipſi poſſint excogitare in rebus mathematicis, idem tamen in philoſophia aut theologia praeſtare nullo modo poſſint. Quo in genere ſolent nonnulli Britannos quosdam geometras ponere. Sane non ſum is, qui negem, aliud eſſe capere demonſtrationum vim, aliud ipſum demonſtrationes facere, &, ſi quis illud poſſit, non eſſe conſequens, ut hoc quoque, quemadmodum, qui calceis habilibus utitur, non propterea ipſe facere poteſt. Ve-

(*) Acad. IV. 36. (**) Fin. V. 4. (***) Quint. I. 20.

Verum idem etiam illud contendo, non invitis, ut opinor, iis, quibus cum diſputo. Si quis ingenium, inprimis dextrum & acutum, demonſtrationibus cognoſcendis judicandisque diligenter ſubegerit, deinde acceſſerit ad hanc exercitationem diuturnus rerum philoſophicarum uſus: non poſſe fieri, quin etiam in hoc genere ἀποδεικτικὸς evadat: ſiquidem genus rerum ipſum ſit hac conditione atque natura, ut illam geometricae demonſtrationis ſubtilitatem capiat. Quid autem dicemus divinis illis, quos diximus, hominibus defuiſſe? Ingenium? quod fuit in iis tantum, ut majus in homine vix animo concipere poſſimus. Demonſtrationum cognoſcendarum, judicandarumque exercitationem? Ea vero paullo ante ipſis idoneis rationibus eſt vindicata. Rerum philoſophicarum uſus? in quibus illi omnem propemodum vitam conſumſerunt. Quid ergo relinquitur? Hoc, opinor, ut aut ipſi quoque, cum res ferret, ἀποδεικτικοὶ fuerint, aut quia res in philoſophia facultatem non ſemper habet, eſſe ubique noluerint.

Jam quoniam, hoc quale ſit, niſi mathematicae rationis vis atque natura explicetur, judicari non poteſt; age, quam breviſſime fieri enucleatiſſimeque poteſt, eam declaremus. Atque in eo ſi horum, a quibus maxime laudatur, ſententiam vellemus auctoritatemque ſequi; auderemus ſane hoc nobis demonſtrandum ſumere, nullum eſſe philoſophiae locum, quem quidem veteres philoſophi attigerint, qui non mathematica ratione ab iis tractatus reperiatur. Nam quantum ego, qui plurimum temporis quondam in horum mathematicorum philoſophorum libris legendis conſumſi, quantum igitur aſſequi potui, mathematicae rationis hanc vim faciunt, ut a bonis definitionibus aliisque enunciatis veris & ſine argumento concedendis profecta oratio per legitimos ſyllogismos, ſi quidem pluribus opus ſit, ſive ex formula poſitos, ſive ad formulam facile redigendos decurrat, donec inſiſtat in eo, quod quaerebatur. Quae ſi eſt mathematica ratio, non ſane diſcrepat ab ea, quam Socrates apud Platonem & Xenophontem (*) commendat,

(*) Mem. Socr. IV. 6. 14.

dat, quaque ipſe cum his duumviris & ceteris, qui quidem in aliquo numero fuerunt, philoſophis uſus eſt. Nam μαιευτικοὶ illi dialogi Socratici apud Platonem & Xenophontem, quomodo hoc poſſent tueri nomen, niſi hac via & ratione progrederentur. Ariſtoteles porro, ſummus bonae methodi auctor, quid aliud, niſi hoc ipſum, ſecutus eſt? Ciceronem vero quomodo poſſumus hujus praecepti immemorem dicere, cujus vel unum de Officiis librum primum ejus rationis illuſtriſſimum exemplar habemus: in quo ille primum officii definitione & diſtributione propoſita, deinde conſtitutis principiis veriſſimis, ex hominis natura hauſtis, ſingula officia ita perſequitur, ut quaecunque tradit, ſi tanquam carne reſecta, velis oſſa aperire, facile ad ſyllogismorum legitimorum formulam revocare poſſis? Quid ergo? omnes iſti philoſophiae locos mathematica ratione tractarunt? Non opinor. Neque ipſi hoc facere voluerunt, neque, ſi in vitam redeuntes interrogarentur, hoc ſe feciſſe dicerent. Nempe non ſufficiunt iſta, ut aliquid mathematica ratione explicatum dici & concluſum poſſit. Demonſtrationes ea ratione efficiuntur, ſi verbum capias paullo latius, ut ſaepe apud veteres factum videmus (*): ſubtiliſſimae illae & potentiſſimae, quae mathematicae dicuntur, non item.

Dicet aliquis: quid? tu aliquid amplius, quam quod ſupra poſitum eſt, in definitione noſtrorum philoſophorum ad mathematicam rationem requiris? Requiro ſane. Quid tandem? Dicam, quam breviſſime potero. In omni concluſione ſatis conſtat tria haec ineſſe: primo, principia; deinde concludendi modum; denique concluſionem ipſam. Jam de principiis, ut alia taceam, de quibus ab Ariſtotele praecipitur, illud in mathematica ratione inprimis ſpectandum eſt, ut ſint abſolute neceſſaria, aeternaeque veritatis. Ejusdem modi concluſio quoque ſit neceſſe eſt. Concludendi denique modus hoc debet habere ipſum. Ex his tribus haec duo inprimis diligenter velim

(*) Vid v. c. Cic. Acad. IV. 8. Sext. Emp. Hyp. Pyrrh. II. 12. & ipſe Ariſtot. v. Menagius ad Laërt. p. 283.

velim teneri, ut principia neceſſaria ſint, & abſolutam neceſſitatem habeat in concludendi ratione conſecutio, ſive concluſionis cum principiis connexio. Nam ſi haec duo ſint, tertium, ut concluſio ſit neceſſaria, ſua ſponte efficitur. Vultis harum rerum auctores? Habeo locupletiſſimos. De principiis audi Ariſtotelem (*): ἐξ ἀληθῶν μὲν γάρ ἐστι καὶ μὴ ἀποδεικνύντα συλλογίσασθαι, ἐξ ἀναγκαίων δ' οὐκ ἔστιν ἀλλ' ἢ ἀποδεικνύντα. h. e. *Nam e veris principiis concludere poteſt etiam qui non demonſtrat, e neceſſariis autem unus ille, qui demonſtrat.* item (**) ἡ ἀποδεικτικὴ ἐπιστήμη ἐξ ἀναγκαίων ἀρχῶν, *ſcientia ea, quae ex demonſtratione oritur, ducitur a principiis neceſſariis.* Atque idem pluribus ille locis docet (***). Jam exemplo rem illuſtremus. *Si dies eſt, lucet: ſed eſt dies: lucet ergo.* Haec concluſio in exemplis demonſtrationis apud Sextum Empiricum (****) profertur. Propoſitio eſt vera non modo, ſed etiam neceſſaria. Aſſumtio porro, quo tempore hoc ſcripſi, erat vera. Ex his denique duobus principiis recte ducta eſt concluſio. Eſt ergo mathematica demonſtratio? Nullo modo. Nam illud alterum, quod ſumitur, etſi verum fuit, tamen non fuit neceſſarium. Itaque etiam concluſio, etſi erat vera & certa, ut de ea dubitare nullo modo poſſem, tamen neceſſaria non erat. Videant ergo quid faciant, qui hodie in numero axiomatum, quae quidem ſunt principia demonſtrandi, non modo vera, ſed etiam abſolute neceſſaria, etiam ea ponunt, quae, quia per ſenſus in animos noſtros illabuntur, & ſine argumento propterea conceduntur, quanquam veritatem, tamen non neceſſariam habent, deinde vero multas ab his ductas concluſiones pro mathematica ratione demonſtratis venditant.

Veniamus ad alterum demonſtrationis attributum, cujus haec vis erat, ut modus concludendi eſſet neceſſarius, & concluſio cum neceſſariis principiis neceſſario quodam vinculo conjuncta. Ejus rei auctorem praeter alios habeo Ciceronem (*****), qui *rationem con-*

(*) Anal. Poſt. I. 6. 3. (**) Anal. Poſt. I. 6. 1. (***) Anal. Poſt. I. 32. 7. (****) l. c. (*****) Fin. V. 4.

concludendi mathematicorum neceſſariam vocat. Jam quoniam concluſionis modus, id quod facile intelligitur, imitatur modum, quo res natura ſua inter ſe conjunctae ſunt; efficitur, ut, quae res non ſunt natura ſua neceſſario vinculo conjunctae, earum etiam altera non poſſit ex altera, ratione neceſſaria colligi. Itaque ſi vel maxime concluſionis modus ſpeciem neceſſitatis habet, tamen neceſſarius non eſt. Atque in eo facillime labi poſſumus. Certum eſt, ut hoc utar, & neceſſarium, ut mens divina omnes mundos poſſibiles cognitos habeat, &, quantum alius alio praeſtet, intelligat. Eſt enim, ut philoſophi loquuntur, de eſſentia dei. Non minus autem proprium eſt eſſentiae divinae, ut ejus voluntas bonum, pro ſua cujusque magnitudine, appetat. Quid ex his philoſophi noſtri colligunt? hoc ſcilicet, ut hic mundus, quia ſit a Deo, optimus ſit: idque non dubitant mathematica ratione concluſum dicere. In quo mihi videntur vehementer errare. Nam ſi vel maxime concedamus, vere hoc concluſum eſſe; tamen neceſſaria ratione concluſum negamus. Quare? Quia cum principiis illis, quantumvis neceſſariis, tamen actio mundum optimum creantis dei non eſt abſoluta neceſſitate conjuncta. Nam ſi hoc eſſet, efficeretur ſane, ut & ipſa actio dei fuiſſet neceſſaria, & mundus hic ipſe abſolute neceſſarius eſſet: quo poſito, omnis in deo libertas, in mundo autem contingentia tolleretur. Quodſi enim abſolute neceſſarium eſt, ut hoc utar, in omni triangulo plus uno recto angulo eſſe non posſe, quia ex eo, quod omnes anguli duorum rectorum ſummam explent, id quod ipſum abſolute necesſarium eſt, neceſſaria conſecutione efficitur; quomodo non abſolute necesſarium fuisſet, ut Deus hunc mundum crearet, & quomodo mundus ipſe adeo non necesſarius esſet, ſi hoc, Deus mundum optimum creavit, necesſaria, h. e. mathematica ratione colligi posſit?

De concluſione, reſtat, ut dicamus. Eam vero abſolute necesſariam esſe, aeternamque veritatem habere oportere in geometricis demonſtrationibus, auctor eſt idem quem ſupra laudavi, Ariſtoteles. Ἡ ἀπόδειξις ἐςὶ τῶν ἀναγκαίων, ὅτι οὐκ ἐνδέχεται ἄλλως ἔχειν, εἰ ἀποδέδεικται ἁπλῶς, de-

demonſtratio cadit in res neceſſarias, quia non poteſt fieri, ut aliter ſe res habeat, ſiquidem ſimpliciter eſt demonſtrata (*). Item alio loco: ἐπεὶ δ' ἀδύνατον ἄλλως ἔχειν, οὗ ἐστιν ἐπιστήμη ἁπλῶς, ἀναγκαῖον ἂν εἴη τὸ ἐπιστητὸν τὸ κατὰ τὴν ἀποδεικτικὴν ἐπιστήμην, i. e. *quia autem repugnat aliter ſe habere, quod ſimpliciter ſcimus, neceſſarium profecto eſt omne id, quod ſcitur ſcientia ea, quae ex demonſtratione orta eſt* (**). Quid ergo ex hoc ſequitur aliud, niſi, ut in rebus iis explicandis, quae ſunt fluxae, habentque mutabilem naturam, quae temporibus, locis, perſonis variari poſſunt, ratio mathematica locum habere nullo modo poſſit.

Ceterum, cum ſatis, pro inſtituto, vis demonſtrationis abſolutae, in qua ſcilicet ratio mathematica ita verſatur, ut ſine ea cogitari & eſſe non poſſit, e veteribus ſcriptoribus declarata videatur; in promtu erit judicare, in quibus diſciplinis ea locum habere poſſit. Ac theologiam quidem eam, quae eſt Chriſtianis propria, (nam de naturali poſtea dicetur) a demonſtratione mathematica valde abhorrere, quis non intelligit? Nam primo, ab interpretatione ducitur, cujus veritas, utut ad ſenſum noſtrum, inprimis divina luce accedente, certiſſima eſſe poſſit, tamen abſolutam neceſſitatem illam, quam in philoſophia dicimus, id quod facile intelligitur, habere non poteſt. Deinde, ſumma ejus capita ipſa, tanquam, homines primos ſua culpa felicitatem ſuam perdidiſſe, ab iisque ad omne genus humanum corruptionem quandam totius naturae fluxiſſe: Deum humanae miſeriae miſertum eſſe: filium ſuum humana carne veſtiiſſe: eum mortuum poſt triduum ad vitam rediiſſe, in coelumque ſublimem abiiſſe: haec, inquam, & reliqua omnia, non ſunt abſolutae & mathematicae illius, de qua loquimur, neceſſitatis, ſed partim culpa liberi hominis acciderunt, partim liberrima dei voluntate ſunt conſtituta. Jam, jus civile, in quo ipſo plurimum interpretatio valet, cum ab arbitrio ſummae poteſtatis profectum ſit, cum in eo multa locis, temporibus certis & perſonis ſint, prout

(*) Metaph. IV. 5. (**) Anal. Poſt. I. 4.

prout viſum, accommodata, rebusque per naturale jus liberis, pro arbitrio, certus modus, forma, locus attributus, atque totum adeo ſit mutabile, varium, in multisque incertum: quomodo poteſt mathematicae rationis neceſſitatem capere? Quanquam quid de his diſciplinis attinet dicere, cum de philoſophia tantum diſputatio ſit inſtituta? Hanc ergo eſſe ejusmodi, ut non ubique mathematicae rationis ſubtilitatem ferat, adeoque non eſſe ſub ejus leges cogendam, recte veteres illi philoſophorum principes viderunt, eoque nomine, quod non de omnibus rebus methodo mathematica ſcripſerunt, non modo non vituperandi ſunt, ſed etiam laudandi. In ea quidem parte, quae eſt περὶ τοῦ ὄντος, quia tota eſt, ut ipſa matheſis, necesſaria, fateor mathematicam demonſtrandi rationem adhiberi posſe, & esſe ab ipſo Ariſtotele uſurpatam, facile, qui metaphyſicos libros legerunt, concedent (*). Esſe etiam quasdam theologiae naturalis, jurisque naturae, fortasſe phyſices quoque, particulas arbitror, in quas cadat iſta ἀπόδειξις; in univerſas diſciplinas nullo modo. Sed audiamus hanc rem egregie demonſtrantem Ariſtotelem (**) in metaphyſicis, ubi de optimo docendi modo agit. οἱ μὲν οὖν, inquit, ἐὰν μὴ μαθηματικῶς λέγῃ τις, οὐκ ἀποδέχονται τῶν λεγόντων, οἱ δὲ &c. Τὴν δ' ἀκριβολογίαν τὴν μαθηματικὴν οὐκ ἐν ἅπασιν ἀπαιτητέον, ἀλλ' ἐν τοῖς μὴ ἔχουσιν ὕλην. i. e. *Alii quidem, niſi quis in dicendo mathematica ratione utatur, non audiunt eos qui dicunt, alii contra &c. Sed ſubtilitatem mathematicam non in omnibus poſtulare debemus, ſed in iis rebus, quae nullam habent materiam.* De philoſophia morum ſimilia tradit. Nam de methodo ejus ſic diſſerit (***): λέγοιτο δ' ἂν ἱκανῶς, εἰ κατὰ τὴν ὑποκειμένην ὕλην διασαφηθείη. Τὸ γὰρ ἀκριβὲς οὐχ ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ἐπιζητητέον — Τὰ δὲ καλὰ καὶ τὰ δίκαια, περὶ ὧν ἡ πολιτικὴ σκοπεῖται, τοσαύτην ἔχει διαφορὰν καὶ πλάνην, ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δὲ μή. Τοιαύτην δέ τινα πλάνην ἔχει καὶ τἀγαθὰ, διὰ τὸ πολλοῖς συμβαίνειν βλαβὰς ἀπ' αὐτῶν, ἤδη γάρ τινες ἀπώλοντο διὰ πλοῦτον, ἕτεροι δὲ δι' ἀνδρείαν, ἀγαπητὸν οὖν περὶ τοιούτων

(*) Cic. Fin. V. 4. (**) II. 3. (***) Ad Nicom. I. 1. cf. c. 7.

τῶν καὶ ἐκ τοιούτων λέγοντας παχυλῶς καὶ τύπῳ τ' ἀληθὲς δείκνυσθαι — τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ ἀποδέχεσθαι χρεὼν ἕκαστον τῶν λεγομένων. πεπαιδευμένου γάρ ἐστιν, ἐπὶ τοσοῦτον τ' ἀκριβὲς ἐπιζητεῖν καθ' ἕκαστον γένος, ἐφ' ὅσον ἡ τοῦ πράγματος φύσις ἐπιδέχεται· παραπλήσιον γὰρ φαίνεται μαθηματικοῦ τε πιθανολογοῦντος ἀποδέχεσθαι, καὶ ῥητορικὸν ἀποδείξεως ἀπαιτεῖν. *Satis autem explicata erit, ſi pro ſubjectae materiae ratione explicabitur. Nam ſubtilitas non in omni genere diſſerendi quaerenda. — — In rebus autem honeſtis & juſtis, de quibus in politicis agitur, tanta eſt diſſenſio & varietas, ut videantur lege, non natura conſtitutae. Hujusmodi obſcuritas & inconſtantia eſt etiam in rebus bonis, quia multis mala ab ipſis eveniunt. Jam enim quidam interiere per divitias, alii per fortitudinem. Satis igitur eſt de his & ex his diſputantem minus ſubtiliter & quaſi pingui Minerva verum oſtendere — — Similiter oportet ſic dicta accipere. Eſt enim hominis recte inſtituti atque intelligentis tantum in quoque genere ſubtilitatis poſtulare, quantum rei natura patitur. Pariter enim abſurdum foret, ſi quis ab oratore demonſtrationem poſtularet, ac ſi perſuaſionem a mathematico.* Plato porro in Timaeo (*) a philoſopho requirit εἰκότας λόγους, non mathematicam ſubtilitatem, quod illi ſint philoſopho proprii, niſi ſi, ut mathematicus, loquatur περὶ τῆς νοητῆς καὶ ἑστώσης οὐσίας. Nam cum in omni oratione cum iis rebus, de quibus explicetur, debeat eſſe cognatio, effici, ut, cum de re ſtabili & immutabili diſputetur, oratio talis ſit, qualis ſit illa, hoc eſt, quae neque redargui neque convinci poſſit; cum autem de ceteris, fluxis & mutabilibus agatur, tantum probabilis oratio requiratur. Itaque etiam Proclus (**) mathematici viri dicit eſſe, videre, ut κατὰ τὴν ὑποκειμένην ὕλην ποιῆται τὰς ἀποδείξεις, *demonſtrationes faciat tales, quales res ſubjecta patiatur*, ſaepeque homines imperitos in eo peccare, οἰομένους ἀποδεικνύναι μαθηματικῶς, οὐ μέντοι καὶ δεικνύντας. Verbi cauſſa, negat eſſe mathematici, demonſtrare, circulum eſſe pulcriorem linea recta: quod ea res mathematicae demonſtrationis ſubtilitatem non capiat: eumque, qui hoc judicare non poſſit, ubi mathematica demonſtratio locum habeat, nec ne, indignum eſſe mathematici nomine putat. Jam eat

(*) c. 13. (**) Ad Euclid. p. 10. ed. Baſil.

eat mihi aliquis, & veteres philoſophos neglectae methodi mathematicae nomine reprehendat, aut eos, qui de jure reſpondent, quod mathematicam in reſpondendo ſubtilitatem non adhibeant, & ſimiliter ceteros, qui aut in rebus incertis, aut ſaltem non abſolute neceſſariis verſantur.

Sed quoniam video, nonnullos ad commendandam mathematicam in philoſophia ſubtilitatem abuti auctoritate veterum philoſophorum, non alienum erit a noſtra diſputatione, hanc quoque temeritatem reprimere. Plato nolebat, ajunt, ἀγεωμέτρητον ad ſcholam ſuam venire. Xenocrates negabat λαβὰς φιλοσοφίας ἔχειν, qui mathematicam non percepiſſet (*). Et hujus generis ſimilia apud veteres reperiuntur. Quae ergo ratio fuit, cur iſta dicerent, & quorſum mathematicas diſciplinas ante philoſophiam diſci voluerunt, ſi ex iis ratio modusque demonſtrandi non eſt petendus. Nam ipſa quidem θεωρήματα, niſi fortaſſe in phyſicis, in philoſophia adhiberi non poſſunt. Eſt vero aliquid praeter haec duo, propter quod geometriam ante philoſophiam diſci voluerunt: idque adeo ex eo poterat intelligi, quod Xenocrates ἀγεωμέτρητον quendam a ſe abigens, hanc rationem adjecit: πόκον γὰρ οὐ κνάπτω, i. e. *lanam non carmino* (**). Jam quomodo ingenium, tanquam lana, carminatur, h. e. purgatur? Nempe, non methodo mathematica diſcenda, auctoribus veteribus philoſophis, inprimis Pythagoraeis & Platonicis, quanquam nec hoc negligendum eſt, ſed animo paullatim a rebus ſenſibilibus avocando, & ad res intelligibiles contemplandas percipiendasque traducendo. Nam cum hoc ſit, ut Cicero vere ait, veritatis cognoſcendae impedimentum vel maximum, quod plerique animum a ſenſibus avocare non poſſunt; exiſtimabant ejus rei facultatem conſecuturos adoleſcentes, ſi animum geometria diſcenda ſubigerent. Nam etſi figurae, in quarum dimenſionibus verſatur, ad ſenſus pertinent: tamen, quae de iis demonſtrantur, & modus, quo quaeque intelliguntur, non ſenſu cognoſcuntur, ſed mente: οὐκ αἰσθητά ἐστι, ἀλλὰ νοητὰ, ait Pro-

(*) Laërt. IV. 10. (**) Laërt. l. c.

Proclus (*). Oculus videt ille quidem trianguli latera & angulos, ſed eos ſummam duorum rectorum explere, & ſubtenſae quadratum in rectangulo reliquorum laterum quadrata aequare, non videt, ſed mens intelligit. Itaque etiam, ut recentiores mathematici Ramum, ſic Plato eos mathematicos, qui, ut faciliorem geometriam diſcentibus redderent, eam inſtituebant ad ſenſus revocare, valde reprehendebat, quod ita maximam ejus vim utilitatemque tollerent (**). Age vero hujus rei auctores & teſtes producamus quosdam. Primum autem habeo & ſummum, Platonem ipſum, qui in ſeptimo de republica libro (***), matheſeos commendationem ingreſſus, primo arithmeticam commendat, ὅτι περὶ τούτων λέγουσιν ἀριθμητικοὶ, ὧν διανοηθῆναι μόνον ἐγχωρεῖ, ἄλλως δ' οὐδαμῶς μεταχειρίζεσθαι δυνατόν· *quia de his diſſerunt arithmetici, quae intelligere tantum licet, aliter autem tractari non poſſunt.* Deinde, quia, hanc ipſam ob cauſſam, ea diſciplina (****) προσαναγκάζει αὐτῇ τῇ νοήσει χρῆσθαι τὴν ψυχὴν ἐπ' αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν, h. e. *cogit mentem uti intelligentia in veritate quaerenda.* Paria de geometria dicit, & de aſtronomia; ſed arithmeticae tamen videtur principatum tribuere, quod purius & ſimplicius objectum habeat. Atque ab hoc fonte id hauſerunt ceteri, qui mathematicas artes commendarunt, Jamblichus (*****), Theon (******), Aſclepius Trallianus (*******), Proclus (********), aliique. Eſt in Plutarchi Sympoſiacis (*********) diſputatiuncula quaedam de eo, cur Plato dixiſſet Deum ἀεὶ γεωμετρεῖν in qua oſtenditur, eo dicto nihil aliud innui, niſi hoc, quod ſaepe laudans geometriam ſcripſiſſet, ea nos a ſenſibus, quibus nimis duceremur natura, abduci, & ad rerum aeternarum, & ſola mente percipiendarum contemplationem converti, in quo ſumma philoſophiae ineſſet: nam illum

(*) l. c. (**) Plutarch. Sympoſ. VIII. 2. (***) p. 439. ed. Baſ. (****) p. 440. (*****) in Nicomach. Geraſ. Arith. p. 2. ed. Tennul. (******) In mathem. Platon. p. 19. (*******) In Nicom. Geraſ. Arith. ap. Bulliald. ad Theon. p. 193. (********) Ad Euclid. p. 5. (*********) VIII. 2.

lum voluptatis dolorisque quaſi clavum, quo corpori eſſet affixus animus, id mali maxime afferre, quod efficiat, ut ea, quae ſenſus pellunt, clariora videantur his, quae ſola mente contuemur. Cum vero in omnibus mathematicae diſciplinae partibus impreſſa ſint veritatis intelligibilis & aeternae veſtigia quaedam & ſimulacra, maxime in geometria, quae ſit, auctore Philone, reliquarum quaſi metropolis; iis intelligendi vim repurgari paullatim & a ſenſibus avocari. Quae cum ita ſint, non eſt ſane exiſtimandum, iſtam mathematicarum diſciplinarum commendationem ad methodum mathematicam potiſſimum pertinuiſſe, eamque aliter, quam hodie vulgo fit, intelligendam eſſe apparet.

Ac ne quis fortaſſe hoc nomine indignetur, cum ἀκριβολογίαν mathematicam non ubique adhibendam eſſe dicimus, quod ita incerta ſit rerum ſcientia, quam certam effici velit: huic quoque ſive errori, ſive dolori occurremus. Sane, ſi quis illud ſubtiliſſimum certi genus, quod geometriae proprium eſt, deſideret; non poteſt id ſine illa, de qua diximus, mathematica ratione exiſtere. Sed, ut taceam, non eſſe quaerendum id ac poſtulandum, quod fieri non poteſt: illud velim mihi dicatur, an inde aliquid incommodi oriatur? Qui certam rerum cognitionem quaerunt, hoc agunt, ut dubitationi praecludant aditum, ut ad illam aſſenſionis firmitatem perveniant, in qua plane poteſt animus acquieſcere. Atqui hoc etiam ſine mathematica demonſtratione adſequi licet. Scilicet, ut mihi quidem videtur, magis hic eſt ille internus animi ſenſus ſpectandus, qui ex aſſenſionis firmitate exoritur, quam illa ſubtiliſſima demonſtrandi lex. Ad meum quidem ſenſum, quo moveor, cum Caeſarem Idibus Martiis in curia Pompeja interfectum eſſe, & innumerabilia alia ejusmodi audio, lego, cogito, non minus illa certa ſunt, quam hoc, quod neceſſaria concluſione efficitur, angulos ad baſin in triangulo aequicruro eſſe aequales. Interpretatio non poteſt mathematice certa eſſe. Quid ergo? non propterea in pleriſque interpretandis eodem modo, ut in demonſtrandis geometriae theorematibus afficimur? Quid de doctrina Chriſtiana dicam? An tu putas, qui pro ea vitam cum

acer-

acerbiſſimis cruciatibus poſuerunt, minus firma ratione ei aſſenſos eſſe, quam mathematici ſuis decretis? qui ejus promiſſis confiſi, mortem cum certa aeternae felicitatis ſpe ſubeunt, aut per omnem vitam res humanas deſpiciunt, eisne aliquid ad certitudinem ſummam deeſſe exiſtimas? Si illum igitur certi ſenſum etiam ſine mathematica demonſtratione conſequi poſſumus; quid eſt, quare diſciplinarum fines confundere, &, quod fieri non poteſt, fruſtra quaerere inſtituamus, ac committamus, ut ἀκριβολογίᾳ illa mathematica perſequenda, ad inſcitam aliquam μικρολογίαν delabamur, quam omnia paullo liberaliora & elegantiora ingenia reſpuant neceſſe eſt? Quare hoc agant potius adoleſcentes, ut veterum philoſophorum prudentiam, elegantiamque in disſerendo imitentur, quam cum recentioribus inanem ſubtilitatis ſpeciem amplectantur.

DE DIFFICULTATIBUS NOVI TESTAMENTI RECTE INTERPRETANDI.

In popularibus Civitatis literariae erroribus hanc etiam ponendam arbitror opinionem, late fuſam illam, inprimisque dominantem, quae librorum ſacrorum, quorum Corpus Novum Teſtamentum vocamus, intelligentiam interpretationemque perfacilem, ſaltem haud paulo faciliorem, quam ceterorum Graecorum ſcriptorum, fingit. Unde enim, niſi ab hujus opinionis temeritate, proficiſci putamus vulgares voces eorum, qui vel ſuam inſcitiam Graecarum literarum ſic defendunt, ut ſatis ſe habere dicant, ſi Novum Teſtamentum ſuum intelligant, vel alienam ſic excuſant: tamen Novum Teſtamentum interpretari poterit!

Ea autem opinio unde nata ſit, facilis eſt conjectura. Satis conſtat, eſſe hoc ubique in inſtitutis ſcholarum, ut pueri Graecae linguae diſcendae initium faciant a libris ſacris. Ea conſuetudo, ab optimo, & ſalutari inprimis ad religionem conſilio majorum profecta, ſine ullo, ad linguae Graecae cognitionem, librorumque ſacrorum intellectum, incommodo, uſurparetur, ſi modo idoneis legibus regeretur, locisque ſe contineret iis, in quibus ſumma doctrinae divinae capita planiſſime traduntur, & in narrationibus facili-

libus, parabolisque. Nunc fere ſic fieri videmus, ut ad omnes libros promiſcue tirones admittantur, neque dilectus locorum, qui debebat, habeatur. Interpretatio autem ipſa fit, verbum de verbo Latine convertendo: unde exiſtit Latinitas, quae ſaepe ipſa non magis, quam verba Graeca, intelligitur. Ea porro nihil difficultatis habet, neque alio indiget ſubſidio quam puerilis Lexici, unde ſingulorum verborum ſignificatus petantur, aut verſionis Latinae, vernaculaeve, ad verbum factae. Huic autem rationi adſueti per multos annos, & quaſi innutriti homines, paullatim incipiunt credere, ſe etiam intelligere, quae tam pueriliter interpretari poſſint: praeſertim, cum intelligant, etiam alios, quos auctores videantur ſequi vel debere, vel poſſe, eodem modo interpretari, talesque interpretationes non modo ferre, ſed etiam pro bonis accipere, ac probare, nihil melius requirentes. Enimvero, qui ita inſtituti, ita docti ſunt, quomodo poſſunt difficilem Novi Teſtamenti interpretationem credere, aut, ad eam multis ſibi opus eſſe literis, ſuſpicari?

Atque ego hunc, cum plurimis aliis erroribus, vel condonandum inſitae ingenii humani imbecillitati, vel contemtu tacito transmittendum putarem, niſi ab eo plurima ad bonas literas, inprimisque ſacras, incommoda redundarent: quod omni modo cavere debent, qui bonarum literarum profeſſionem, & quaſi tutelam, ſuſtinent. Etenim ſatis conſtat, maximam partem eorum, qui animos ad Theologorum diſciplinam adjungant, hac maxime de cauſſa, aut parum aut nihil ſtudii ac temporis tribuere percipiendis Graecis, omninoque humanioribus literis, quod earum ſibi valde exigua ſcientia opus eſſe, cum ad univerſam Theologiam, tum ad libros ſacros intelligendos, credunt; valde in hoc diſcrepantes a Lutheri, divini Viri, judicio, qui, Theologiam veram & ſummam nihil aliud eſſe, quam Grammaticam, hoc eſt, Graecarum Hebraicarumque literarum ſcientiam, putabat, per quam ille maxime puritatem religioni fatebatur ſe reſtituiſſe, adverſariosque fregiſſe, ſummis, poſt eum, Theologis idem ſentientibus, ſuisque diſcipulis identidem, cum Glaſſio, in Philologiae ſacrae laudatiſſimo ope-

re, ingerentibus: quanto eris melior Grammaticus, tanto melior Theologus! Ex eo autem quanta pernicies & calamitas ad rem Chriſtianam venerit dudum, & ventura ſit porro, res & uſus ſatis declarant, & alii, magni homines, dixerunt. Quare animum induximus, hoc tempore demonſtrare, quam difficilis ſit eorum, quos dixi, librorum interpretatio; non quaecunque, aut ſufficiens concionibus ad populum habendis, ſed legitima, & digna eo, qui ſe Theologum ſacrarumque literarum doctorem profiteri velit, ſi forte acuere animos adoleſcentum ad majus literarum earum ſtudium poſſimus, quarum opibus ſuccinctus eſſe debet, qui rite verſari in eo ſtudio cupiat.

Oritur autem difficultas hujus interpretationis partim ab ipſis libris; partim ab interpretibus. Ac prior quidem illa difficultatis cauſſa non tam inſita ſacris libris, aut nata ex ipſis eſt, quam a tempore & extrinſecus acceſſit. Etenim, cum in iis res Chriſti, & Apoſtolorum, omnisque felicitatis aeternae conſequendae ratio generi humano tradenda eſſet, Spiritus divinus ita ſcriptoribus eorum ſuggeſſit omnia, ut etiam a plebejis indoctisque hominibus intelligi poſſent, inprimis, cum hos videret facilius ac promtius accepturos ſalutarem doctrinam, quam nobiles atque eruditos. 1 Cor. 1. Itaque, & in rebus, & in verbis, ſumma, & apta plebi, adhibita eſt perſpicuitas, niſi interdum ingenio ſcribentium concedendum aliquid videretur; unde forte Paullina illa, quae Petrus vocat, δυσνόητα orta ſunt. Atque haec mihi videtur eſſe veriſſima, & una forte cauſſa, quare hoc Hebraeo-Graecum genus dicendi, per omnes aeque libros, uſurpatum videamus. Nam, quod quidam puritatem Graecae linguae in iis ſervatam contendunt, ea profecto eſt, ut Hemſterhuſius, Vir ſummus, qui haud dubie ſcit, quid Graece dictum ſecusve ſit, recte judicat, (ad Lucian. T. I. p. 300.) perquam ridicula ſententia hominum, Graeca vocabula quaedam e Lexicis tenentium, indolis autem Graecae linguae ignariſſimorum.

Scilicet, illis temporibus Judaei, cum primis ii, qui in patria viverent, utebantur vulgo lingua Hebraeo-Syriaca, inque Synagogis legebantur Hebraei Moſis

&

& Prophetarum libri, non interpretatio Graeca, ut quidam hiſtoriae veteris imperiti exiſtimant, dudum caſtigati a Salmaſio in Commentario de Lingua Helleniſtica, & Scaligero, aliquot Animadverſionum Euſebianarum locis: Graecam autem linguam, ut ipſos Graecos, in ſummo odio habebant. Paullum quidem, cum audirent Judaei (Act. XXII. 1. 2.) & Palaeſtini illi, & ceteri e Graecis Aſiae civitatibus (Act. XXI. 27.) Hebraice verba facturum, tranquilliores facti ſunt, quam eſſent ante, cum eum Graece dicturum exiſtimarent. Crimen autem ei vel maxime intendebatur hoc ab illis ipſis, e Graeca Aſia, Judaeis, quod Graecos in templum induxiſſet, (ibid. 28.) natum illud inde, quod eum cum Graecis vidiſſent, putarentque Graecorum ſtudioſum. Joſephus porro, cum ſe Graecarum literarum ſtudio, perceptis Grammaticae praeceptis, dediſſet, eſſetque ingenii ſtudiique magnitudine conſecutus, ut quam proxime, id quod nemo, qui de his rebus judicare poteſt, negabit, ad Atticorum veterum rationem acceſſiſſe videretur: tamen veram & elegantem pronunciandi rationem neglexit, moris Judaici cauſſa: quod minime probarentur Judaeis ii, qui peregrinas literas diſcerent ſtudioſe, & elegantiae dicendi ſtuderent (Ant. Jud. XX. 11.). Itaque, ſi qui Graece diſcerent, neceſſitatis cauſſa diſcebant, quod ſibi inter Graecos vivendum eſſet, & ſine grammaticis praeceptis, ſolo aliquo uſu cum hominibus, & illis ipſis quidem vel plebejis, corrupteque, ut ſolent, loquentibus, vel ſaltem dialecto Macedonica utentibus, quae cum imperio Macedonico omnem Aſiam pervaſerat. Ergo etiam Apoſtoli, qui Graece ſciebant, quod non de omnibus tradit antiquitas, non ad Grammaticorum exquiſitam, multo minus Atticorum elegantem rationem loquebantur. Etenim omnes plebeji indoctique homines erant, praeter unum Paullum, ſed hunc quoque Phariſaeorum, non Graecorum, diſciplinis inſtitutum. Nam, quod ille quaedam e Graecis poëtis habet, id non magis argumento eſt, poëtas illos ab eo lectos fuiſſe, quam Virgilium, Horatiumque legiſſe, atque percepiſſe, dixeris, eos, qui ſciant illa: *labor improbus omnia vincit: Optat ephippia bos*, & ſimiles, pervulgatos inter omnes, verſiculos:

neque impediit, quo minus Chryſoſtomus eum adeo Graece ignoraſſe diceret, (ad Tit. II. homil. 4.) quod tamen arbitror, vel ex ipſis Lucae Actis, refelli. (XXI. 25.) Certe, qui tam eſſet Phariſaicae diſciplinae deditus, omnique modo aemularetur ejus inſtituta, cuperetque conſpicuum facere hoc ſtudium ſuum, eum, non credibile eſt, diſciplinarum & literarum Graecarum ſtudioſum fuiſſe, quas illi, auctore Joſepho, averſarentur. Quae cum ita ſint, non profecto potuerunt divini hi viri, de rebus praeſertim ad religionem Judaicam Chriſtianamque pertinentibus, eleganter & pure ſcribere, cum lingua Graeca utebantur: ſed neceſſario res Hebraicis verbis cogitatas, totidem Graecis, ad verbum, expreſſerunt

Atque etiamſi habuiſſent facultatem, de aliis vitae humanae rebus pure eleganterque ſcribendi, e Graecorum ſcriptorum lectione, & diuturna exercitatione comparatam: tamen non propterea ſtatim de rebus ad religionem Chriſtianam pertinentibus ſimiliter ſcribere potuiſſent. Conſtat enim ſatis inter peritos artis, magni ingenii, plurimae exercitationis, difficilisque laboris eſſe, primum elegantiam orationis inferre alicui diſciplinae & novis rebus.

Nec me animi fallit, Grajorum obſcura reperta
Difficile illuſtrare Latinis verſibus eſſe,
Multa novis verbis praeſertim cum ſit agendum,
Propter egeſtatem linguae, & rerum novitatem &c.

Lucretius ait I. 137. Qui primi de rebus philoſophicis auſi ſunt Latine ſcribere, quam male ſunt a Cicerone accepti? (Acad. I. 2.) Solum Ciceronis ingenium hoc conſecutum eſt, ut Graecorum philoſophiam Latinis literis illuſtraret, eleganterque placita philoſophorum Latina oratione exprimeret. Joſephus quidem, homo alioqui modeſtus, minimeque arrogans, tamen confidenter confirmat (XX. 11.) neminem Judaeorum poſſe ita accurate & eleganter, ut ipſe fecerit, explicare res Judaicas, ex Hebraicis libris hauſtas, Graeca oratione, cujus ipſe ſtudioſiſſimus fuerit. Neque vero obſcurum eſt, quantum ad ſe gloriae crediderint perventurum Lucretius & Virgilius, quod elegan-

tiam Latini carminis, ille ad philoſophiam Epicuri, hic ad res ruſticas primus transtuliſſent, illis ipſis, quibus dixi, de cauſſis.

Avia Pieridum, Lucretii verba ſunt I. 925. *peragro loca, nullius ante*
Trita ſolo: juvat integros accedere fontes,
Atque haurire: juvatque novos decerpere flores,
Inſignemque meo capiti petere inde coronam.

Virgilius autem ſic in ea re gloriatur, Georg. III. 8.

— — — Tentanda via eſt, qua me quoque poſſim
Tollere humo, victorque virum volitare per ora &c.

Nos quoque ſaepiſſime hoc vidimus doctis alioqui hominibus accidere, ut, cum de rebus iis, in quibus oratione Latina, ad normam veterum, exprimendis aliquandiu ſe exercuiſſent, ſatis probabiliter Latine ſcriberent, ad diſciplinae ſuae, veluti, Theologiae, aut Philoſophiae, capita delati, ſtatim ſemibarbari exiſterent; propterea, quod non, qui in uno genere, in quo ſe aliquandiu exercuit, recte ſcribit, idem in aliis efficere poteſt. Quomodo igitur potuiſſet hoc ab Apoſtolis, qui ſe ipſi ἀγραμμάτους, illiteratos, vocant, vel poſtulari, vel exſpectari, ut repente, de rebus novis, lingua ſibi non vernacula, ita ſcriberent, quaſi in media Attica nati fuiſſent, & per omnem aetatem ſe ad hoc exercuiſſent. Atque ejus rei documentum ſatis inſigne in Luca habemus, quem ceteris librorum ſacrorum auctoribus plus Graece didiciſſe, omnes exiſtimant. Etenim primi quatuor Euangelii verſus, quae eſt praefatio libri, de inſtituto ſuo, ita ſcripti ſunt, ut nihil Polybii, aut Diodori, aliusve talis ſcriptoris Graeci, quanquam non optimi, aut Attici, at boni tamen, dictioni cedant. Sed ſectione quinta, ubi primum de re ipſa, quam exponendam ſibi ſumſerat, dicere incipit, ſtatim ita totus Hebraeus eſt, veluti, ex Hebraico libro, de verbo converſa narratio eſſet. Quanquam non negaverim, me proniorem eſſe in hanc ſententiam, ut, a Luca quidem, id non propterea factum putem, quod non poſſet aliter, ſed

quod

quod idoneis de cauſſis aliter nollet: de quibus jam exponendum videtur.

Ex ea, qua dixi, praefatiuncula Lucae, aliisque nonnullis locis, ſatis apparet, in eo fuiſſe facultatem de rebus vitae communis, pure ſaltem, ut ferebant illa tempora, ſcribendi. Nihilominus ille, etiam in talibus ipſis rebus, utitur formulis loquendi, minime Graecis, ſed Hebraicis. Cum aliquem, verbi cauſſa, inducit *loquentem* aliquid, *videntem*, *agentem*, addit fere illa, ἀνοίξας τὸ στόμα, ἄρας τοὺς ὀφθαλμοὺς, ἀναστὰς &c. Hae ſunt antiquiſſimae ſimplicitatis in loquendo redundantiae, quae in Hebraica lingua remanſerunt, quod eloquentiae & literarum ſtudia inter Hebraeos nulla eſſent: Graeci, cum multis aliis ſimilibus veteris ſimplicitatis reliquiis, deterſerunt. Nullo autem modo dubitari poteſt, quin Lucas hic, ad Graecam quidem conſuetudinem terſius ac melius ſcribere potuerit, ſi modo voluiſſet. Unde neceſſario ſequitur, ut de induſtria maluerit Hebraeorum, quam Graecorum rationem ac conſuetudinem, ſequi. Ejus autem rei conſilium oppido ſapiens ac ſalubre, credo, fuiſſe.

Quo tempore Chriſtiana doctrina proferebatur, Judaei per omnem Aſiam, magnamque Europae, qua Romanis parebat, partem, libere ſacra ſua exercebant, permultis etiam Romanae civitatis jure donatis, ut Joſephus A. J. XIV. 10. praeclare docet. Qua in re, fas eſt, admirari ſapientiam & providentiam divinam, quae avaritiam Romanorum tam manifeſte ad commoda religionis Chriſtianae, mox proferendae, perque terrarum orbem divulgandae, convertit. Nam hac re aditus patefactus erat Apoſtolis in omnes urbes illuſtres & locupletiores, quas ſibi Judaei, lucri cupidi, ſedes fortunarum ſuarum delegerant, inque ipſam urbem Romam, in qua, jam Caeſaris Dictatoris tempore, magna multitudo Judaeorum habitabat, trans Tiberim, & in proſeuchis, libere ac nullo impediente, conventus religionis, patrio ritu, ſabbatis exercendae cauſſa agebat. Philo Leg. ad Caj. p. 1014. ad q. l. vid. in ed. Britannica Mangaeus. Acta quidem Paulli ſatis docent, eum in omnibus Graecis urbibus adiiſſe primum Judaeos, in eorumque proſeuchis, per ſabbata, doctrinam Chriſtianam tradere coepiſſe,

in quas Judaei, ſacrorum cauſſa, convenirent. Et ibi quidem vix eſt dubitandum, ex iis, quae ſupra dixi, quin Paullus Hebraice verba fecerit. Sed cum, uti Romae, ita & in aliis urbibus Graecis, multi ſacra Judaica ſequerentur, qui non eſſent gentis Judaicae, multique item ex his doctrinam Chriſtianam eſſent amplexi, Paullus, ceterique Apoſtoli, epiſtolas ſuas Graece ſcripſerunt, ut omnes eas intelligere, ſine interprete, poſſent: eademque haud dubie de cauſſa etiam hiſtoricos libros Graece placuit ſcribi. Sed ut in linguae genere deligendo Graecis inprimis conſulebatur, ita etiam, in ipſo charactere & forma orationis, rationem Judaeorum inprimis haberi conveniebat. Itaque ſi viri divini vel maxime potuiſſent uti oratione ejusmodi, quae Graecorum conſuetudini elegantiaeque plane conſentiret, tamen planiſſimum eſt ex iis, quae antea dixi, eos de induſtria id vitaturos fuiſſe, ne offenderent Judaeos, verbaque impedimento rebus ipſis eſſent: quod nullo modo ſapientis, nedum Apoſtoli erat, committere. Accedit ratio alia major, ex eo, quod, ſi tali ſcribendi genere uſi esſent, quali Thucydides, Plato, Ariſtoteles, intelligi ab iis, ad quos, aut quibus ſcriberent, non potuisſent. Neque id cuiquam debet esſe obſcurum, aut dubium. Nam ſi quis intelligit eos, qui de rebus vulgaribus, & in uſu communis vitae poſitis, populariter loquuntur; non ſtatim idem intelligit, eleganter de diſciplinis literarum diſſerentes. Athenienſis illa anicula, quae Theophraſtum intelligebat de oleribus ſecum loquentem, profecto non cepisſet, in Lyceo, de natura Deorum, aut ſummo bono, ſubtiliter diſputantem: neque plebem Romanam, arbitror, intellexisſe Ciceronis Academica, aut Topica, quia Agrariam & Catilinarias orationes intelligebat. Neque id, putandum eſt, rerum magis, quam verborum causſa, accidere. Quid enim? Nonne videmus, homines, etiam eruditos, ea, quae de arte ac diſciplina, ſibi ſatis cognita, Latinius paullo & elegantius ſcripta ſunt, parum intelligere vulgo, & obſcura putare, cum abſurdos, & barbaros de iisdem rebus, ſcriptores facile adſequantur, ſaltem intelligere ſibi videantur. Eſt enim falſiſſimum, quod quidam exiſtimant, qui res intel-

intelligat, eum verba quoque intelligere: veriſſimumque contra illud Platonis in Gorgia, qui verba teneat, eundem res quoque perceptas habere. Itaque etiam exiſtimo, vulgus Judaicum, quanquam in Graecis urbibus vitam ageret, tamen Philonem & Joſephum, elegantiſſimos ſcriptores, propter illam ipſam orationis elegantiam, nequaquam intellexiſſe: quando ea etiam in Joſepho multis, non indoctis hominibus, veluti Schotano, obfuit.

Quae cum ita ſint, efficitur, ut non modo excuſandi ſint divini viri, minimeque reprehendendi, qui aut non potuerunt elegantiam orationis Graecae adhibere, praeſertim cum non ſuae gloriae cauſſa, aut ſua ſponte, ad ſcribendum acceſſerint, quod qui faciunt, ab iis demum poſtulari poteſt elegantia ſcribendi; aut, cum poſſent fortaſſe, noluerunt: quod mallent rudi oratione, cum perſpicuitate & utilitate legentium, quam eleganti, cum laude ſua, uti. Immo vero ſapientiſſime illi feciſſe judicandi ſunt, ſive iis ſua prudentia, & utilitatis publicae, omni alia potior, cura, ſive, quod propius fidem eſt, altior & coeleſtis vis hoc conſilium ſubjecit. Etenim hac ratione conſecuti ſunt hoc, ut libri ſui ab omnibus, quorum tum maxime cauſſa ſcriberentur, facillime intelligi poſſent, quippe adſuetis Hebraicae rationi de rebus divinis diſſerendi, formulisque loquendi, Hebraicae linguae propriis. Eſt ergo certiſſimum id, quod ab initio poſui, libros ſacros, in ſe, praeterquam in paucis, eſſe maxime perſpicuos, iisque, quibus editi ſunt, temporibus, ab omnibus, etiam plebejis indoctisque, facile ac ſine interpretis alicujus ingenio & doctrina, intelligi potuiſſe. Ex quo fit, ut difficultas interpretandi, de qua dicere inſtituimus, aliunde orta ſit, de quo deinceps erit dicendum.

Hic non diſſimulabo, ſed prae me feram ingenue, ex quo tempore coeperim diſcernere poſſe ſonos verborum a rebus, & ſenſum cogitationemque verbi a ſenſu & cogitatione rei, multo magis autem, ex quo coeperim aliquid in interpretando videre, in dies mihi difficiliorem viſam eſſe legitimam & juſtam interpretationem Novi Teſtamenti, multoque difficiliorem atque impeditiorem, quam Homeri, Thucy-

didis, Polybii, aliorumque Graecorum ſcriptorum. Neque in eo me falli arbitror. Nam niſi ita ſe res haberet, quomodo factum eſſet, ut in nullum Graecum, Latinumve, vel difficillimum, ſcriptorem tam paucos probabiles, tam multos contra, tamque magnos Commentarios haberemus, in quibus, ut de Cornelio a Lapide, Menochio, aliisque, dixit ad Joſephum IV. 6. 2. Bernardus, doctiſſimus Britannus, ingenium & aetas Theologaſtrorum fruſtra conſumitur. Quis eſt ſcriptor, cujus interpretes in tam multis, tam gravibus locis, tam conſtanter ac pertinaciter diſſentiant, ut in horum librorum interpretatione a multis ſeculis factum videmus, etiam ab iis, qui alias in ſumma doctrinae Chriſtianae planiſſime conſentiunt? Id quomodo fieri poſſet, niſi multae magnaeque difficultates in iis rite explicandis objicerentur? Atque in aliis ſcriptoribus ea difficultas exoritur fere, vel ab inopia bonorum librorum, vel ipſorum ſcriptorum vitio, qui cogitata, propter inſcitiam negligentiamve, non ſatis perſpicue expreſſerunt, aut obſcuritate denique rerum ipſarum: quorum nullum eſſe in his divinis libris, & ab aliis ſaepe demonſtratum ſcimus, & a nobis antea ex parte oſtenſum eſt. In his ergo extrinſecus tota, partim a tempore acceſſit, partim, & multo maxime, ab ingenii humani vel ignavia, vel levitate, & perverſitate.

Quicunque libri aut non verſantur in rebus conſtantibus, perpetuis, ac neceſſariis, aut multa habent adſperſa, ex eo genere, quod natura ſua labitur mutaturque cum tempore, in eos omnes hanc vim tempus & vetuſtas habet, ut iis obſcuritatem quandam difficultatemque intelligendi obfundat: iis contra, qui neceſſariam ſtabilemque materiam tractant, eandem ſemper perpetuamque perſpicuitatem obtinentibus. Et ex illo quidem genere ſunt omnes hi, qui agunt de rebus vitae communis & popularibus, quoad certis gentibus propriae ſunt, nullisque, niſi conſuetudinis arbitrariae, legibus continentur, quas ingenii humani inconſtantia perpetuas eſſe non ſinit: hujus generis ſunt ii, qui in rebus intelligibilibus, univerſisque, occupantur, quae ſunt neceſſariae & immutabiles. Itaque Euclidi nihil tot ſecula, neque de-

demere claritatis, neque addere obſcuritatis potuere: oratoribus contra, poëtis, hiſtoricisque, ut quique ſunt antiquiores, ita plus difficultatis in intelligendo ab ipſo tempore acceſſit. Cum ergo libri ſacri, de quibus agimus, ſint e poſteriori hoc genere, quoad aut hiſtorici argumenti ſunt, aut adſperſa habent multa ex illorum, quibus ſcripti ſunt, temporum conditione, moribus, inſtitutisque: non potuerunt non plurimum difficultatis paullatim contrahere. Atque ea eſt in his libris major, quam in aliis multis: propterea, quod, quae talia iis inſunt, e variis generibus mixta ſunt. Ad Demoſthenem v. g. Livium, Tacitum, unius gentis mores & inſtituta noſſe, ſufficit: ad hos intelligendos Hebraici, Graeci, Romani ritus ac moris ſcientia requiritur: unde, manifeſtum eſt, majorem intelligendi difficultatem naſci. Nam ea res facit, ut eorum interpreti idoneo eadem ineſſe debeant, quae Caſaubonus ab eo deſiderabat, qui in Joſepho recte verſari vellet, literarum Hebraicarum, Graecarum, & Latinarum, non mediocris ſcientia. Quae cum omni tempore rariſſime in eodem inventa ſit, non eſt mirum, ſi nec Joſephus idoneum adhuc interpretem nactus eſt, nec libri Novi Teſtamenti multos bonos interpretes habuerunt, multaque omni tempore in eo genere ſcripta ſunt, quae illarum literarum ſatis peritis ridicula viderentur.

Sed longe majorem difficultatem tempus attulit ipſi orationi, qua divini viri ſunt uſi. Nam cum ea tum, cum ipſi viverent, eſſet, uti diximus, maxime perſpicua omnibus, facta eſt ad intelligendum difficilis, primum, paullo poſt, iis, qui Hebraicam linguam, ejusque indolem ignorarent, deinde omnibus, cum Hebraica lingua mortua eſſet, uti loquuntur, hoc eſt, poſtquam in vernaculis eſſe deſiit. Neque ſolum urgetur hac difficultate communiter cum omnibus mortuarum linguarum libris, ſed etiam aliqua praecipua, eaque haud ſcio, an maxima. Nam aliae tales linguae, quae uſu vitae communis frequentari deſierunt, ut Latina & Graeca, tamen habent permagnam in cogitatis exprimendis ſimilitudinem, cum ceteris linguis humaniorum populorum vernaculis: Hebraica autem ab iis, uti a Graeca & Latina, longiſſime diſtat in-

indole atque ingenio ſuo. Quae res magnam difficultatem affert, propterea, quod hoc inſitum prope eſt omnibus, ut alias linguas, ſive legant aliquid, ſive ſcribant, ad ſuam exigant, ex ea metiantur, interpretentur, & non, niſi longo uſu & exercitatione, conſequi poſſint, ut a vernaculo ſermone, dum alium interpretantur, aut uſurpant, animum avocent.

Jam, quam longa & ardua eſt via ea, per quam unam iter ad percipiendum orationis Hebraeo-Graecae ingenium patet? Ac primum, quoad Hebraeorum ſermonem imitatur Novi Teſtamenti oratio, fatentur omnes, qui in his rebus aliquid vident, ad eam intelligendam plurimum proficere, qui Hebraicorum librorum interpretationem Graecam cognoſcat, h. e. qui eam diligenter cum Hebraico exemplari comparet, atque inde eam intelligere primum diſcat, tum demum ex ea colligat, quas notiones verbis quibusque, quam ſententiam formis dicendi, in Novi Teſtamenti libris, ſubjicere debeat. Nam etſi neque ignoro, neque nego, ex ea ſubinde etiam lucem accedere Hebraico, tamen prope plus ex Hebraico, quam Hebraicum ex ipſo lucis capit. Res ſic ſe habet. Interpretes illi quicunque fuerint, dupliciter verſati ſunt in verbis Hebraeis Graece vertendis. Interdum enim, cum poſſent, ut opinor, vim ipſam verborum Graecis verbis idoneis expreſſerunt, accommodate ad Graecae linguae indolem & uſum, qui tum obtinebat: multo autem ſaepius non tam ſententiam declararunt, quam Hebraica verbo tenus expreſſerunt, toto charactere & forma linguae Hebraicae, conſtructionibusque ſervatis, interdum verbis Hebraicis ipſis. Illius generis haec ſunt: יָחִיד eſt *unicus*. Graeca verſio Gen. XXII. 2. interpretatur ἀγαπητὸς, pro μονογενὴς, ut Aquila, Symmachus & Joſephus interpretati ſunt: idque ex ratione Graecae linguae exquiſita: v. Suidas in h. v. & ibi Kuſterus: unde credo explicari poſſe idem verbum ap. Matth. III. 17. Marc. I. 11. &c. הוֹקַע אוֹתָם Num. XXV. 4. quod Chaldaei, aliique Graeci & Latini interpretes de ſuſpenſione explicant, Graeci verterunt παραδειγμάτισον αὐτοὺς, non probante

Ca-

Caſaubono adv. Baron. Exercitat. XVI. n. 76. Enimvero, nihil elegantius iſto verbo puto, quod indicat, Deum voluiſſe, ut in loco conſpicuo, & in omnium conſpectu, poena ad contumeliam inſigni, de more ac ritu populi, afficerentur, qui ſe inquinaſſent infando modo. Nam τὸ παραδειγματίζειν quamcunque conſpicuam contumeliam, qua alicujus turpitudo, exempli cauſſa, manifeſta fit, indicat; unde iterum loca Novi T. lucem capiunt. Contra in eodem loco additur κατέναντι τοῦ ἡλίου, quod eſt, in conſpicuo loco, in omnium conſpectu, per Hebraismum, quod ſupervacuum facit verbum illud παραδειγματίζειν. Joſ. VII. 21. אַדֶּרֶת שִׁנְעָר exquiſite vertitur, &, meo judicio, melius, quam a ceteris interpretibus, ψιλὴ ποικίλη, intellectu veſtis, tapetis, ut in Ἀτταλικαῖς. Nam his verbis ratio & indoles periſtromatis Babylonici exprimitur, quod erat tonſum (ψιλὸν) adeoque molle, tenerum, quales ψιλαὶ Περσικαὶ apud Athenaeum L. V. p. 197. idemque ποίκιλον, variegatum intextis figuris. vid. Iſ. Voſſius ad Catullum p. 197. 1 Samuel. IX. v. 2. Saul dicitur בָּחִיר quod Graeci verterunt εὐμεγέθης, ſolum ſenſum ſecuti, cum בָּחוּר ſit *electus* ad verbum: quamquam etiam de juvenibus dicitur. Haec quidem e priori genere. E poſteriori haec pauca ponemus. Deuter. XXVI. 13. eſt, ἐρεῖς ἔναντι κυρίου τοῦ θεοῦ σοῦ &c. Id nemo intelliget, qui neſciat Hebraica, quae ibi ſunt, quid ſignificent in illa re & contextu, nempe ἄντικρυς τοῦ τεμενίσματος, ut vertit recte Joſephus Ant. IV. 8. 22. Judic. XVI. 19. & aliis locis eſt ταπεινῶσαι de inſitarum virium detractione, quod nemo e Graeco intelliget: ut nec c. XX. ubi de ſtupro per vim illato dicitur. Porro 1 Sam. VIII. 3. Graeci verbum Hebraicum בֶּצַע quod ubi κέρδος, vel πλεονεξίαν ſignificat, interpretantur συντέλειαν, quam ſignificationem verbum illud ipſum quoque habet, ſed non eo in loco. Δικαιοσύνην ſaepe iidem ponunt; ut Gen. XIX. 19. XX. 13. pro *beneficio*, *benignitate*: quod pariter ex Hebraici vocabuli uſu intelligas. Huc pertinent formae dicendi ἐκλέξασθαι ἐν τινὶ, *amare aliquem*, ἀποστέλλειν ἐν χειρὶ

ἀγγέ-

ἀγγέλων, innumeraeque ſimiles. Jam quis non videt, ut illa prioris generis intelligas, linguae Graecae ſcientia opus eſſe, ut haec, Hebraici codicis aſſidua & diligente cum Graecis comparatione. Quae res quanti laboris doctrinaeque ſint, quis non videt?

Sed ab ipſa etiam Graeca lingua, ejusque in libris N. T. interpretandis uſu, nova, nec parva, difficultas naſcitur. Nam, ut non negandum eſt, magna adjumenta ad eos rite interpretandos peti e profanis ſcriptoribus poſſe: ita contra fatendum & illud, magna in ea re cautione, magnoque delectu opus eſſe, quem pauci adhibere, propter difficultatem, potuerunt. Ego quidem mihi videor obſervaſſe, permultos ex iis, qui e Graecis ſcriptoribus conati ſunt illuſtrare libros divinorum hominum, graviter in eo peccaſſe, plusque impedimenti, quam adjumenti ad interpretationem attuliſſe; ut mihi prope difficilius videatur, linguae Graecae ſcientia non abuti, quam recte, & loco, uti. De abuſu gloſſariorum veterum in ea re alibi dixi, quamque difficile ſit, in eorum uſu modum & rationem ſervare. Quam multi poëtis, quam multi philoſophis abuſi ſunt? Graece doctiſſimos ſaepe viros in hoc genere lapſos reperimus. Quid futurum putemus iis, qui leviter tantum hoc genere literarum imbuti, tamen volunt libris ſacris lucem inde accendere, ubi forte aliquod Schediasma Academicum, dicis cauſſa, conſcribendum eſt. Nam ut quisque in aliquo genere ſcriptorum legendo verſatus eſt, ita voluit ad illuſtrandum N. T. conferre, nihil penſi habens, an e ſimili genere ſint, quos illuſtrare, & unde velit. Tempus me deficeret, ſi, quae hic in promtu ſunt, commemorare vellem.

Omnino, ſi quis velit Graecis ſcriptoribus, in illuſtranda N. T. oratione, uti, quoad ea ſimilis eſt communi Graecorum ſermoni, debebit ille, meo judicio, diligenter hoc ſervare, primo, ut in ſingulis verbis diligenter videat, ne e Graecis interpretari & illuſtrare inſtituat, in quibus Hebraicam potius conſuetudinem conſulere debebat; in quo incredibile dictu eſt, quam ſit omni tempore peccatum: unde oriuntur a-

lieniſſimae a mente Spiritus S. interpretationes. Deinde tenendum erit, ut utatur tantum ſcriptoribus; qui ſint ex genere populari, & quidem eodem, e quo ſunt libri ipſi N. T. Aetates porro ſcriptorum erunt conſiderandae; quae in Graecis non minus diverſas formas & characteres ſtili, quam in Latinis, habent: neque alius aetatis ſcriptores erunt facile adhibendi, quam a qua oratio divinorum ſcriptorum potuit duci. Dudum eſt, cum docti quidam Viri obſervarunt, Polybium inprimis multa habere, cum oratione ſacrorum ſcriptorum conſentientia. Ejus rei quae cauſſa ſit, mea ſententia, breviter aperiam. Nam illud quidem, ſupra quam dici poteſt, ineptum eſt, quod aliquis dixit, Spiritum Sanctum admirabiliter delectatum fuiſſe dictione Polybiana.

Cum Macedones Graeciam ſuae ditionis feciſſent, coepit paullatim defloreſcere illud exquiſitum & elegantiſſimum Atticorum dicendi genus, quod in Thucydide, Platone, Xenophonte, Demoſthene, aliisque ejus generis, atque aetatis reperitur, invaluitque ea, quam vulgo dialectum communem vocant, poſſis Macedonicam fortaſſe non male appellare. Neque enim dubitandum, quin Atticae elegantiae offecerit, & hoc dicendi genus invexerit Macedonica dominatio: cum & Romae illa perfecta dicendi forma cum libertate exſpiraverit. Eſt profecto illud ipſum, quo Philippum Regem in Epiſtolis, apud Demoſthenem, uti videmus. Hinc ergo novi verborum ſignificatus nati, novae dicendi formulae; ut facile obſervant, qui, Polybium, aliosque ejus generis ſcriptores, attente legunt, quae non reperiuntur in Atticis illis antiquis: donec elegantioris guſtus homines, diſcrimine animadverſo, inſtituerunt veteres illos Atticos in ſcribendo imitari: quos poſſis cum praeclaris illis viris comparare, qui, poſt renatas, ante aliquot ſecula, literas, ad Ciceronis, & aequalium illi ſcriptorum, imitationem ſe contulerunt. Illud autem, de quo ante dixi, dicendi genus, una cum imperio Macedonico, tranſiit mare, omnemque Aſiam & Aegyptum obtinuit. Ergo non eſt mirandum, ſi & Hebraici Codicis interpretes, & Novi Teſtamenti ſcriptores, qui in iis terris viverent, neque ſe ad imitationem Atticorum

de-

dediſſent, hujus potiſſimum generis ſcriptoribus ſimiles ſunt, & multa cum iis habent communia. Atque haec quidem de difficultate interpretandi N. T. quoad e ſcribendi genere oritur, dicta ſunto.

Reſtant aliae difficultates, multae, & magnae, quibuscum hodie pugnandum eſt interpreti illorum librorum, natae a perverſitate ingenii humani, peccatisque Interpretum ipſorum. Atque hic non dicam de praejudicatis & falſis quibusdam opinionibus, quae a multis invectae ſunt, in ipſo modo ac genere interpretandi, cum univerſum Codicem ſacrum, tum N. T. libros; a quibus haud facile eſt, ſibi cavere. Satis habebo, de uno genere dixiſſe, quod e verborum ipſorum inſcitia, ab antiquiſſimis inde temporibus, ortum eſt. Nam cum religio Chriſtiana ad Graecos eſſet propagata, Doctores Eccleſiae, qui in explicandis divinis verſabantur, plerique, id quod ſatis conſtat, ignorabant linguam Hebraicam, ſolaque Graeca in interpretando utebantur. Unde fieri non potuit, quin verba, & formulas dicendi multas, quarum explicatio ex Hebraica lingua petenda erat, e Graeca interpretarentur, atque ſic a vero ſenſu diſcederent. Hinc ortae ſunt multae interpretationes librorum ſacrorum, & invectae in Eccleſiam, pro verisque probatae, etſi non pugnantes cum ſumma doctrinae Chriſtianae, quamquam tales quoque, at falſae, minimeque accuratae. Sed id malum vehementer auctum eſt a Latinis, in quibus permulti fuere, qui ne Graeca quidem intelligerent, ſed e verſionibus, quae tum erant, ad verbum Latine factis, penderent. Quod ſi qui Graeca quoque conſulebant, tamen, quia non habebant juſtam Graecae linguae ſcientiam, praeſertim ejus, qua divini viri uſi ſunt, plerumque nihil niſi Gloſſaria Graeco-Latina conſulebant, ut hodie a pleriſque fieri videmus, inde primam quamque vocem Latinam arripiebant, & ex hujus vi ea, quae ſibi nota eſſet, etymologia adeo, ſcriptores divinos interpretabantur, deque rebus Theologicis diſputabant & philoſophabantur, parum penſi habentes, linguas ſibi non ita reſpondere, ut verba, quae ſibi, ex indicio gloſſariorum, reſponderent, eandem ſtatim ſignificationem ubique haberent. Qui autem Graeca ne con-

ſulere quidem poterant, hi verba interpretationis Latinae tenebant: haec ex ſuae aetatis, philoſophiae etiam, uſu interpretabantur, ſuper iis, ex eorumque adeo etymologiis, philoſophabantur, praeclareque ſe functos boni interpretis officio exiſtimabant. Hinc non modo falſae interpretationes ortae, ſed etiam controverſiae graves, quibus ſuperſederi potuiſſet, ſi a Graecis potius & Hebraicis, quam Latinis verbis interpretationem librorum divinorum petiiſſent. Et harum tamen interpretationum multae receptae ſunt & probatae, adeoque inoleverunt, etiam ad noſtram aetatem, ut perdifficile ſit, ab iis ſibi cavere, multique hodie, etiam docti Graece, eas teneant atque defendant. Quod ſit nulla alia de cauſſa, quam quod omnium eorum, quae a pueritia didicimus, pro veris & rectis agnovimus, diuque tenuimus, haud facile animadvertitur vitium. Hoc genus, ut mihi videtur, latiſſime patet, cum hoc maxime luctandum idoneo librorum ſacrorum interpreti: haud facili profecto victoria. Ejus adeo pauca, ſed perſpicua exempla, hoc loco, ponam, plura allaturus alio tempore, ſi Deo videbitur, in Diſputatione, quam opponemus conſuetudini eorum interpretum, qui philoſophantur potius, quam interpretantur, & e natura rerum malunt, quam e verbis, e Dialecticis, quam Grammaticis praeceptis interpretari: qua ratione nihil magis lubricum & fallax eſſe, nihil magis in planis & facillimis locis tenebras offundere interpretantibus, demonſtrabo.

Ipſum quidem tempus admonet, ut a verbo παρακλήτου exemplum petam: quo nomine Servator coeleſtis Spiritum Sanctum appellat Joh. XIV. 16. 26. XV. 26. XVI. 7. In hoc verbum cum incidiſſent Graeci, quidam ei fecerunt idem, quod themati παρακαλεῖν. Id quia interdum conſolandi ſenſu occurrit, apud Graecos Veteris Teſt. interpretes, atque N. T. ſcriptores, ex uſu fortaſſe illorum temporum vulgari, nonnullis locis ei hanc ſignificationem obtruſerunt, ubi contextus non patitur. Interpretati igitur ſunt *conſolatorem*, quod etiam Latinorum plerique fecere: quod id optime convenit Spiritui Sancto, qui, ſane eſt, ut Pater, θεὸς πάσης παρακλήσεως, 2 Cor. I. 4. Alii,

qui

qui de *advocatis* in foro dici hoc verbum inprimis, ſciebant, hanc potius interpretationem amplexi ſunt, ut Spiritus S. eſſet deprecator noſter, & defenſor apud Deum: praeſertim, cum etiam Chriſtus haud dubie hoc ſenſu παράκλητος noſter a Johanne vocetur, ipſeque dicat, ſe ἄλλον παράκλητον ſuis daturum. Ea interpretatio tanto magis probata eſt a multis, probaturque etiam hodie ab iis, qui plus aliis videre volunt, quod eo magis conſuetudini purioris Graecae linguae conſentanea eſt. vid. Gatakerus in Adverſariis Poſtumis c. 35. Suicerus in Theſauro Eccleſ. & alii. Enimvero, ſi ex his duabus interpretationibus altera diligenda neceſſario ſit, malim certe illam, quam hanc ſequi, & probare cum Gottfr. Oleario τῷ μακαρίτῃ in Diſſ. de Adoratione Chriſti per Patrem p. 56. Lutheri judicium, qui & ipſe illam priorem ſecutus eſt: praeſertim cum ea melius conveniat orationi, qua Chriſtus diſcipulos, triſtes e denunciatione diſceſſus ſui & futurae abſentiae viſibilis, conſolari inſtituit. Quicquid ſit, hae interpretationes ita obtinent, ut non facile reperias, quin alterutrum tenendum putet. Enimvero, non dubito, quin, ſi aut olim non attuliſſent has verbi notiones ad id interpretandum, ſed ejus notionem e linguae Hebraicae, quae Chriſti temporibus fuit, uſu, & contextu verborum Chriſti, eruendam putasſent, aut non hodie, occupatis alterutra opinione, inde a pueritia, animis, ad ea loca cognoſcenda venirent homines docti, diverſam ab utraque ſignificationem reperirent. Ego quidem certiſſimum eſſe arbitror, παράκλητον, ubi de Spiritu S. dicatur, nihil aliud ſignificare, quam *doctorem*, *magiſtrum*, *divinaeque veritatis ad Apoſtolos interpretem.* Non dubito, quin Chriſtus ipſe hoc ipſo verbo, forma Hebraica, uſus ſit, idque inde in Graecum tranſtulerit Johannes, qui id ex ipſius ore audierat. Etenim ſatis conſtat, hoc verbum vulgari Hebraeorum, illis temporibus, uſu, cum multis aliis Graecis, frequentatum eſſe, ut dicerent פְּרַקְלִיט vel פְּרַקְלִיטָא. Neque id verbum novum aut obſcurum viſum diſcipulis ſit neceſſe eſt, cum nihil de eo interrogarint Chriſtum, ut in aliis feciſſe tum videmus. Reſpondet autem illa vox Hebraicae

cae מְלִיץ, in cujus interpretatione ea uſi ſunt Chaldaei Job. XVI. 20. XXXIII. 23. מְלִיץ porro Graecis V. T. interpretibus eſt ἑρμηνευτὴς, *interpres, alienae orationis, ſententiae*, Gen. XLII. 23 πρεσβευτὴς, *legatus, orator* voluntatis alicujus perferendae, benivolentiaeque declarandae &c. 2 Chron. XXXII. 31. quamquam nec ignoro, etiam pro deprecatore & advoçato dici. Sed tamen maxime illud verbum ad facultatem dicendi ac docendi refertur, eaque eſt primaria ſignificatio, unde & abſtractum, ut Dialectici loquuntur, מְלִיצָה, de perſpicua oratione, & ipſa eloquentia, dicitur, ut abſtractum illius Graeco-Hebraici. Quocunque autem loco a Joanne ponitur, adduntur eae verbi interpretationes, ea attributa παρακλήτου & actiones, ut appareat, totum ad docendi rationem referri. Nam aliis locis, interpretationis cauſſa, additur πνεῦμα τῆς ἀληθείας, *ſpiritus veraciſſimus*, ſeu *veritatis omnis auctor, & promus, ipſiſſima veritas*, omnium maxime idoneus doctor, cui uni credere & fas ſit, & ſine omni periculo liceat: aliis autem omnibus nihil aliud ei tribuitur, niſi partes optimi doctoris, nulla ſolatii, aut deprecationis, aut defenſionis mentione facta: ut mirum eſſet, quomodo iſtae interpretationes increbreſcere, & firmiter permanere potuerint, niſi cauſſa ejus rei ex ante dictis pateret: praeſertim, cum, etiam antiquiſſimus & doctiſſimus facile Eccleſiae Latinae doctor ſic interpretatus ſit Tertullianus, de Velandis Virginibus c. I. *Quae eſt ergo Paracleti adminiſtratio, niſi haec, quod diſciplina dirigitur, quod ſcripturae revelantur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur &c.* Atque ego non ignoro, Tertullianum aliis locis interpretari *advocatum*: verum, ut opinor, ibi advocati genus illud intelligit, *quod conſilia dat, monet, ſuggerit*, ut ille apud Ciceronem Verr. I. 44. *qui ſcribit, qui monet, qui proximus eſt*, quales ſunt omnes Ciceroniani advocati, item illi Terentiani, non cauſſae actores, defenſores, aut deprecatores; niſi forte inconſtantia alicubi lapſus eſt, ut aliis quoque priſcae Eccleſiae doctoribus, nominatim Auguſtino, in hoc ipſo verbo, accidit. Satis de hoc, ad alterum exemplum veniamus

In

In verbis Graecis Hebraico ſenſu uſurpatis, eſt inprimis verbum ἐκλέξαϑαι, & ἐκλογή. Id cum Latini Interpretes e puerili Vocabulario vertiſſent *eligere*, *electio:* Theologi Latinae Eccleſiae, Auguſtino ſignifero, Viro diſerto & ingenioſo, ſed Hebraeae Graecaeque linguae imperitiſſimo, etſi utriusque ſtudium ſerio commendet S. literarum Interpretibus, de Doctr. Chriſt. L. II. §. 11. ſeqq. coeperunt e Latinae linguae conſuetudine intelligere, & deinde, ſuper illa electione Latina philoſophari mirifice, diſputare acriter, controverſias denique, cum magna eccleſiae pernicie, agitare, quae ne hanc quidem ad diem potuerunt componi. Ego mihi planiſſime habeo perſuaſum, illas, de electione & praedeſtinatione, controverſias in Eccleſia Graeca nunquam extituras, nec opus in Theologiae elementis futurum fuiſſe peculiari Capite, de Electione & Praedeſtinatione, ſed ſimpliciter credituros fuiſſe omnes, quod noſtra Eccleſia tenet ac defendit, quippe & rationi, & ſummae religionis Chriſtianae, conſentiens, ut, quos Deus praeviderit ab aeterno, manſuros in fide ad finem usque vitae, eosdem ille decreverit jam tum, felicitate, aeterna donare, hoc, inquam, ſimpliciter, arbitror, credituros omnes fuiſſe, ſi ab illa, ſuper Latino *electionis* verbo, philoſophia abſtinuiſſent Latini Theologi, intellexiſſentque, in Hebraeo-Graeco ſermone ἐκλέξαϑαι, quod fere reſpondet Hebraeo בָּחַר, dici etiam pro *amare*, *probare*, ut Latinorum *diligere*, & ἐκλεκτὸς de *caris*, *probatis*, etiam ſine electione, ut Latinorum *eximius*, *egregius*, *dilectus*, nulla electionis notione adjuncta. Atque ego non is ſum, qui negem, hoc verbum etiam in libris ſacris occurrere de electione proprie dicta: ſed, illud me demonſtrare poſſe, ſcio, in iis locis, e quibus Schola Theologorum ſua de praedeſtinatione placita arceſſit, ſive extorquet potius, per legitimae interpretationis praecepta, locum non habere. Alia hujus generis exempla afferri poſſent, ſed modus eſt adhibendus. Atque vel ex his, quanta inde difficultas exoriatur hodie interpretandorum librorum ſacrorum, intelligi poteſt.

Reſtat genus unum difficultatis, de quo dicere in animo habebam, quod ineſt in uſu obſervationum & praeceptorum Grammaticorum. Etenim, ut in omni arte praecepta facilius diſcuntur, quam ad uſum transferuntur: ſic in interpretando quoque non adeo quidem difficile eſt, in univerſum, quid ſequi debeas, videre, ceterum, cum ad rem veneris, ſuo quodque praeceptum loco in promtu habere, ad idque dicta exigere, & interpretationem dirigere, id vero, ſi non ingenii, at diligentiae & exercitationis eſt permagnae ac diuturnae: in quo illud, didici uſu plurimo, & obſervatione, inprimis impedimento eſſe, quod homines, inprimis adoleſcentes, natura valde proclives ſunt in eam partem, ut malint e rebus, utcunque cognitis, quam e verbis, de ſenſu dictorum judicare, & ad analogiam potius diſciplinae (quamquam id non negligendum) dicta exigere, quam ad praecepta grammaticae artis referre. Sed video, me jam modum hujus ſcriptionis exceſſiſſe, & ei rei, ut antea indicavi, alia diſputatio a nobis deſtinata eſt.

PRO

PRO GRAMMATICA INTERPRETATIONE LIBRORUM INPRIMIS SACRORUM

In difficultatibus Novi Teſtamenti, quod vocamus, recte interpretandi, de quibus ſuperiori anno expoſui, ultimo loco attigi potius, quam explicavi eam, quae in ſcientia & uſu grammaticorum praeceptorum objicitur, maximam illam haud dubie, & ceteras prope omnes complexam. De ea igitur ſeparatim dicere, & una oppugnare, pollicitus ſum, rationem interpretandi eam, quae philoſophatur potius, quam interpretatur, & dogmatica mavult eſſe, quam grammatica, ſive, ut ipſa barbare loquitur, realis, quam verbalis, efferens adeo ſe hoc nomine, & grammaticam illam, quae verbis adhaeret, & ex his potius res intelligere, quam verba ex rebus jubet, pro jejuna, minuta, & ad intelligendum parum idonea, repudians. Quo promiſſo ut me quam primum exſolverem, eximeremque animis ſtudioſorum, ſi poſſem, opinionis illius errorem, etiam hoc impulit, quod nulla, ut opinor, alia res magis avertit homines a ſtudio linguarum, a quo, etiam inſito ignaviae amore, & rerum difficilium fuga, nimis retardantur. Erit autem nobis diſputatio haec ſic deſcripta, ut unam legitimam interpretandi rationem eſſe demonſtremus eam, quae tota a grammaticis prae-

praeceptis repetatur: alteram illam, philoſophicam, ſive dogmaticam, noxiam ſaepe, periculoſam, fallacem, ac vanam eſſe, vincamus, denique grammaticae illius, & in cognoſcendo, & in uſurpando, difficultatem exponamus.

Ac ne quis forte intelligentior miretur, quid ſit, quare hanc diſputationem inſtituam: magnus ſemper numerus fuit, atque eſt cum maxime, eorum, qui ita animum induxerunt ſuum, ut rerum magis, quam verborum, ſcientia crederent interpretationem contineri librorum, qui in diſciplinis majoribus tradendis verſarentur, aut quandam cum iis conjunctionem haberent. Ciceronem, ſcio fuiſſe, qui negarent, intelligi poſſe a Grammaticis & Criticis, propterea, quod e jure Romano non pauca eſſent in ejus libris, Juriſque Conſultis, hoc nomine, ſolis ejus intelligendi facultatem vindicarent. Scholae clarae magiſtrum quendam memini me audire, cum narraret, ſe aliquando in coetu aulicorum mactatum eſſe elegantia cujusdam, qui diceret, nullum Scholae magiſtrum, omninoque neminem eorum, qui humaniorum literarum doctores ſe profiterentur, eſſe, qui Ciceronem intelligere poſſet, propter ea, quae e jure civili adſperſa reperirentur. Cui cum reſpondiſſet, eam rationem ſibi non videri idoneam, propter quam ita judicaret, rogaſſetque, ut ſibi unum & item alterum talem locum proponeret, tentaretque facultatem in eo genere ſuam, allata eſſe primum illa, e primo de Officiis libro: uſus fundi biennium eſto, cum hoſte aeterna auctoritas; deinde alterum, itemque tertium ejus generis. His omnibus promte explicatis, eo redactum eſſe illum, ut diceret: At tu ſolus tamen es ex iſtis, qui intelligis. O! ſi ille contra auſus eſſet quaerere, quid jus auctoritatis, applicationis, apud eundem Ciceronem eſſet, quid partitio: credo ei eventurum fuiſſe, quod mihi non ſemel, ut illum Juriſconſultum magis mutum, quam piſcem, redderet. Multa hujusmodi & ex aliis cognovi, & ipſe audivi, quae commemorare non eſt neceſſe. Atque etiam videmus, pleroſque ad ſacrarum literarum, & librorum Juris Civilis interpretationem ita accedere, ut ſatis ſe inſtructos putent, ſi e compendiis vulgaribus perceperint ſum-

ſummam quandam doctrinae, vel ſacrae, vel civilis, taleſque adeo prope ſolos idoneos interpretes, & doctos, a multis haberi. Hanc opinionem longiſſime aberrare & a ſapientiſſimorum omnis aetatis hominum judicio uſuque, & ab ipſa re & veritate, planiſſimum faciemus.

Etenim ſemper hoc ſapientes viri judicarunt, cum omnem intelligentiam, tum inprimis rerum ac diſciplinarum ſcientiam, per intellectum verborum venire, non horum, a diſciplinis ac rebus. Socrates quidem, hoc initium ſibi fuiſſe, dicit, apud Xenophontem in Apol. Socr. ſtudii, in ſapientia comparanda poſiti, ἐξ ὅτου ξυνιέναι τὰ λεγόμενα ἤρξατο, ex quo coeperit intelligere poſſe, quae dicerentur: cui noſtri plane conſentiunt philoſophi, qui rationem in homine, ſine verbis, eorumque intelligentia, negant conſtare poſſe. Apud Platonem, in Gorgia, diſerte idem Socrates pronuntiat, ὅστις ἂν εἰδῇ τὰ ῥήματα, εἴσεται καὶ τὰ πράγματα, rem norit, qui verba norit: eamque ſententiam omnes a Socrate profecti philoſophi, hoc eſt, praeſtantiſſimi omnis aevi, tenuerunt. Atque etiam Plutarchus, eos, qui verba non didicerint intelligere, res ipſas recte tractare poſſe, negat: τοὺς μὴ μανθάνοντας ὀρθῶς ἀκούειν ὀνομάτων, κακῶς χρῆσθαι καὶ τοῖς πράγμασι. Quod ſi hoc univerſe verum eſt, quanto magis in interpretatione librorum erit exiſtimandum, omnia verborum intelligentia conſtare. Etenim quid agit interpretatio, niſi ut ſenſum verborum declaret? Senſus porro verborum qua alia re continetur, quam notionibus, quae verbo cuique ſunt ſubjectae? Illa autem notionum cum verbis conjunctio, ſuapte natura arbitraria ac libera, uſu & conſuetudine eſt devincta. Quae eſt autem diſciplina, quae in conſuetudine loquendi, mortuarum inprimis linguarum, & reperienda, & tradenda, verſetur, niſi Grammatica? cui hoc proprium munus ab omnibus omnis aetatis hominibus eſt attributum atque conceſſum. Etenim conſuetudinis illius cognitio tota nititur obſervatione, non rerum natura, per concluſiones cujuſcunque diſciplinae cognita. Unde vere Theologi ſenſum eum, quem literalem vocant, unumque verum eſſe recte praecipiunt: nam myſticus ille, quem parum accurate ſenſum appellant,

rerum

rerum totus eſt, non verborum: illum igitur unum verum ſenſum etiam grammaticum vocant, nonnulli etiam, ut Sixtus Senenſis, quia ab obſervatione facti ducitur, hiſtoricum.

Atque etiam illud addendum eſt, ſolam grammaticam interpretationem evidentem ſatis ac certam eſſe, multo certe magis, quam quae a dogmaticis rationibus ducatur. Eſt hoc confitendum omnibus, qui ſe nolint admodum plumbeos in Dialecticis confiteri, quicquid, in quocunque ſcientiae genere, certum ſit, & a dubitatione liberum, id hanc vim habere ab aliqua neceſſitate rerum ipſarum, non illa ejusdem, in omnibus, generis, ſed tali, qualem cujusque rei natura capiat. Ex quo efficitur, ut etiam interpretationis ἀσφάλεια ab aliqua ſignificationis neceſſitate ducatur. Eſſe autem talem in verbis ſignificandi neceſſitatem, facile poteſt intelligi. Nam illa notionum cum verbis conjunctio, de qua ſupra diximus, etſi inſtitutione arbitraria fuit ac libera, tamen, cum uſu & conſuetudine ſemel adſtricta fuiſſet, neceſſaria eſt facta, eamque neceſſitatem obtinuit tam diu, quam uſus ille manſit. Non enim ea ſola neceſſitas eſt, quae a cauſſis neceſſariis venit: ſed intelligi poteſt etiam quaedam a rebus libere ſumtis ac conſtitutis. Duo parallelogramma, ut hoc utar, liberum eſt, utrum eadem baſi & altitudine velis deſcribere, an diverſa. Sed ubi ſemel eandem in utroque feceris, ſtatim conſequitur aequalitatis neceſſitas: quae tollitur, priori illa ſublata. Neque vero crebrae illae uſus loquendi commutationes, quae in omnibus linguis, quoad vivunt, a variis inducuntur cauſſis, illam neceſſitatem diſſolvunt. Nam ut, cum uſum loquendi appellamus, eum ſic volumus intelligi, ut, quo ſenſu quodque verbum, quoque tempore, a quocunque hominum genere, in certo quodam veluti contextu aliorum verborum, dictum ſit, quaeramus: ſic neceſſitatem ſignificandi in verbis adſtringi intelligimus iisdem temporum ac locorum cauſſis: quibus mutatis, nova inducitur neceſſitas. Quare, cum uſum loquendi ſola Grammatica & reperiat, & tradat, conſequens eſt, ut ab ea ſcientia ſola certa interpretandi ratio debeat peti, cum in libris humanis, tum in divinis, quoad humana ope intelliguntur. Atque

id

id ſummi quique Theologi, & ſacrorum librorum interpretes, dudum judicarunt, quorum utique judicio ſtandum erat, cum a tam claris ac neceſſariis rationibus ductum eſſet. Melanchthonis hoc dictum eſt: ſcripturam non poſſe intelligi theologice, niſi antea intellecta ſit grammatice: in eamque ſententiam pluribus ille locis diſputat: itemque Camerarius, vir magnus inprimis, hanc ſententiam perſequitur non uno in loco. Sed, ut omnes alios mittam, nemo gravius aut crebrius ſtudium linguarum, quod totum eſt grammaticum, praedicat, eoque omnem ſacrorum librorum veram interpretationem contineri docet, magno Luthero, inprimis in aureola epiſtola, de ſcholis per Germaniae civitates conſtituendis, ſcripta: in qua inter alia contra Valdenſes, linguarum ſcientiam in rebus divinis contemnentes, & πνεύματι tribuentes omnia, ſic ſcribit: Geiſt hin / Geiſt her. Ich bin auch im Geiſt geweſen / und habe auch Geiſt geſehen / (wenns je gelten ſoll von eigenem Fleiſch rühmen) vielleicht mehr / denn eben dieſelbigen noch im Jahr ſehen werden / wie faſt ſie auch ſich rühmen. Auch hat mein Geiſt ſich etwas beweiſet = = = Das weiß ich aber wohl / wie faſt der Geiſt auch alles alleine thut / wäre ich doch allen Püſchen zu ferne geweſt / wo mir nicht die Sprachen geholffen / und mich der Schrift ſicher und gewiß gemacht hätten. Ich hätte auch wohl kunt fromm ſein / und in der Stille fein predigen / aber den Bapſt und die Sophiſten mit dem gantzen Endechriſtiſchen Regiment / würde ich wol haben laßen ſein / was ſie ſind. Der Teuffel achtet meinen Geiſt nicht ſo faſt / als meine Sprache und Feder in der Schrift. Denn mein Geiſt nimt ihm nichts / denn mich allein / aber die heil. Schrift und Sprachen machen ihm die Welt zu enge / und thun ihm Schaden in ſeinem Reich. Hujus ergo viri, uſu edocti, auctoritatem amplectantur, qui inſtitutorum ejus aemuli eſſe haberique volunt, neque credant potius novitiis inſcitiae patronis, qui aliam ad interpretandi facultatem inire viam jubent, quae per cognitionem rerum ad ſenſum dictorum perducat. Nam in hac ratione interpretandi neque neceſſitas illa eſſe poteſt, quam diximus, neque adeo ἀσφάλεια, quae in interpretando maxime debet ſpectari. Cujus rei in promtu eſt ratio. Nam primum quis hoc non videt, aliquid poſſe eſſe per ſe verum, quod

quod tamen non inſit in verbis. In interpretando porro proprie non quaeritur, quid verum ſit: aliunde id conſtat, aliunde venire intelligentia veritatis debet: alioqui etiam Porphyrii & Celſi, aliique alieni a Chriſtiana religione homines, lectis & intellectis libris divinis, veritatem Chriſtianam percepiſſent. In interpretatione nihil aliud quaeritur, quam quid dictum ſit, non quale ſit, aut quam vere dictum. In libris humanis multa dicta eſſe, quae falſa ſint, quis neſcit? & tamen etiam falſa illa recte interpretari poſſumus. In libris autem divinis, cum perſuaſum ſit nobis, veriſſima esſe omnia, quae tradantur, reliquum jam eſt ſolum hoc, ut, quid dictum ſit, videamus. Chriſtum, ut hoc utar, eſſe victimam pro peccatis noſtris, veriſſimum eſt: ſed non propterea in iſto Paulli, ὃν προέθετο ἱλαστήριον, victima Chriſtus dicitur. Niſi rationibus grammaticis id vincas, hoc eſt, niſi doceas, non modo ἱλαστήριον conſuetudinem loquendi, non quamcunque, ſed Hebraizantium, de victima expiatoria dixiſſe, ſed etiam verbum προτίθεσθαι dici de victimis, nihil illud, quamvis verum, effecerit. Quorum illud cum nullo modo fieri poſſit, demonſtratumque ſit a doctiſſimis viris, nominatim venerando Deilingio in Obſervationum libris, ſolum כפורת ſic ab iſtis appellatum, hoc autem, permagnae inſcitiae in Graecis ſit, exiſtimare, cum nemo quisquam aliter unquam dixerit illud verbum, quam de re vel ad ſpectandum, vel ad adeundum, vel denique ad expetendum fugiendumve expoſita, ut alias rationes taceam, merito pro falſa, & vix tironi condonanda repudiatur. Ex quibus efficitur, ut veritas ſenſus nullo modo intelligatur neceſſario, ac definiatur, veritate rei: praeſertim cum rerum veritati conſentanearum infinitus ſit numerus, & ſi a veritate rei concludere liceret ad veritatem ſenſus, quaevis verba quemvis ſenſum habere poſſent: quod eſſet plus quam ſcepticum.

Neque vero iſta cum dico, in eo repugno Theologorum praecepto, quod omnem interpretationem doctrinae Chriſtianae ſummae, quam vulgo analogiam fidei vocant, conſentaneam eſſe vult. Etenim illud praeceptum prope totum comparatum eſt, non ad veri ſenſus inventionem, ſed ad falſi repudiationem: neque

neque quoniam, quae interpretatio ſummae Chriſtianae doctrinae repugnat, falſa eſt, propterea ſtatim, quae conſentit, vera. Plures enim eſſe tales posſunt: quae, ex omnibus talibus, grammaticis rationibus maxime conſentit, ea ex omnibus eſt aut veriſſima, aut vero ſimillima. Quare videant hi, qui, in ſenſu ſacrorum librorum inveniendo, iſti analogiae confidere nimis coguntur ab inſcitia linguarum, ne ſaepe proferant ea, quae ſint alieniſſima a verbis atque a mente divinorum ſcriptorum, quod omni tempore frequentiſſime factum eſſe, atque etiamnum fieri, & vident, & dolent peritiores. Atque etiam illa ipſa analogia doctrinae, ſi accurate velimus judicare, tota eſt grammatica. Eſt enim proprie nihil aliud, quam comparatio ſenſus ejus, qui in locis difficilioribus reperitur, non cum decretis doctorum, quae in compendiis diſciplinae traduntur; foret enim multiplex analogia, cum diverſae ſint ſectae, quae una tamen eſſe debet: ſed cum perſpicuis locis, quorum interpretatio & ipſa grammatica eſt. Atque tali comparatione in omni genere ſcriptorum, in hiſtoricis, poëtis, utuntur Grammatici, qui nullas neque hiſtoriae, neque poëſeos, analogias loquuntur.

Sed quoniam video eos, quorum ratio a noſtra discrepat, hoc inprimis moveri, & in defendenda ſua opinione abuti, quod diverſitate rerum putant interpretandi rationem variari; neque inducere animum poſſe, ut credant, Grammaticum libros omnis generis, etiam de rebus ſacris, juridicis, medicis, philoſophicis, interpretari poſſe, hujus dubitationis levitas demonſtranda videtur. Primum igitur falſum eſt, modum interpretandi a rebus ita adfici, ut, in alia re, alia interpretandi ratio eſſe debeat. Etenim, cum in omni, de quacunque re, oratione, nullus alius, niſi grammaticus, ſenſus ſit, ut antea dictum eſt, conſequens eſt, ut nec alia interpretatio eſſe poſſit, niſi grammatica: propterea, quod natura ſenſus neceſſario definit naturam & genus interpretationis; neque ullo modo plura interpretandi genera eſſe, quam ſenſus, poſſunt. Quod ſi rerum diverſitas diverſam deſideraret interpretationem, neceſſarium foret, ut tot eſſent interpretationum genera, quot rerum, id

quod video nonnullis placere, nominatim Val. Guil. Forſtero in libro de Interpretatione Juris, (Tom. II. Thes. Otton. p. 954.) qui tot modos interpretandi facit, quot ſunt diſciplinarum, hiſtoricam, phyſicam, arithmeticam, geometricam, medicam &c. quo nihil dici ſtultius poteſt. Ante quosdam annos, cum a Geſnero, Viro celeberrimo, facta eſſet ſpes edendi Plinii, hiſtoriae naturalis ſcriptoris, memini me interfuiſſe ſermoni doctiſſimorum medicorum, qui dicerent, optare ſe, ut medicus potius ad edendum Plinium adjungeret animum, propterea, quod nemo, niſi qui medicus eſſet, par huic negotio videretur. Ibi ego, cum percunctando cognoviſſem, cauſſam ejus opinionis eſſe hanc, quod multa ad medicam rem pertinentia in illo opere reperirentur, cauſſam Geſneri ſic agere coepi, ut dicerem, primum, me mirari, quid eſſet, quare medicus tantum idoneus interpres videretur ejus libri, cujus auctor ipſe medicus non fuiſſet: quod ſi ille Plinius, etſi medicinam non profeſſus, tamen potuisſet medicos Graecos intelligere, atque ex iis tot ac tantas res in ſuum opus congerere, ſi porro Celſus, quem & ipſum conſtaret medicum non fuiſſe, e medicis Graecis potuiſſet totam medicinam ita perſpicue eleganterque explicare, ut nemo eum medicorum aequare potuerit: quid eſſe, quare non, qui medicinam non profiteretur, hos intelligere & interpretari posſe putaretur: me vero exiſtimare, quod medici quererentur, nondum ſatis luculentam Celſi editionem extare, ejus cauſſam hanc eſſe, quod nondum aliquis grammaticae profeſſionis ſe ad illam curam contuliſſet: ſi hoc eſſet conſequens, ut, quia multae res medicae in Plinii libris traderentur, propterea medici tantum eorum idonei interpretes eſſent; eodem jure aſtronomos & geographos, venatores, paſtores, vinitores, ſtatuarios, pictores, metalli foſſores, & quos non, ſibi jus & facultatem recte interpretandi edendique Plinii vindicaturos, quando tot ejus operis libri de rebus iis exponerent, in quibus tractandis horum hominum vel diſciplina, vel ars, vel artificium verſaretur. Quibus dictis, cum mediocris riſus ceterorum eſſet conſecutus, viſi ſunt illi cedere oratio-

tioni meae. Nempe una eademque ratio interpretandi communis eſt omnibus libris, in quocunque argumento occupatis, & eadem Grammatica omnium communis interpres debet haberi. Epictetus quidem (c. LXXIII.) eum, qui obſcura Chryſippi philoſophi ſcripta interpretari poſſit, nihil niſi Grammaticum eſſe putat, & inter ipſum aliosque Grammaticos nihil intercedere diſcriminis, niſi quod pro Homero Chryſippum interpretetur.

Neque vero, hoc cum dico, unum eundemque Grammaticum, contendo, facultatem interpretandi omne genus librorum tenere. Scaligero fortaſſe hoc, Salmaſio, Caſaubono, Grotio, paucisque ſimilibus ingeniis contigerit, ſi tamen contigit, qui, incredibili vi quadam ingenii, & infinita lectionis copia, conſecuti erant, ut nullius eos aut aetatis, aut diſciplinae, aut hominis loquendi conſuetudo lateret: omnes, aut multos id efficere poſſe, nullo modo poteſt credi. Ut non omnes, qui ſe Theologos aut JCtos, aut Medicos profitentur, in omnibus diſciplinae ſuae partibus excellenter ſunt verſati, ſed in alia quisque habitat, aliam leviter tetigit, itemque in alia alius: ſic nec omnis, aut fortaſſe nullus Grammaticus omnem omnium linguarum veterum conſuetudinem loquendi, quae ſingulis aetatibus, in ſingulis doctrinae partibus, in omnibus ſectis, ac prope dicam in ſingulis hominibus fuit, poteſt aut ingenio complecti, aut adſiduitate ſtudii adſequi: ceterum quicunque aliquam partem alicujus linguae recte tenet, omninoque ejus indagandae facultatem idoneam exercitatione diuturna ſibi comparavit, is Grammaticus eſt, dignus Interpretis nomine: is, ſi volet ſtudium ſuum ad aliam quamcunque partem transferre, facile eam quoque adſequetur.

Dicet aliquis fortaſſe, ſi ſola grammatica interpretatio vera eſt & legitima, quid fiet Melanchthoni, cujus tu ſupra dictum commemoraſti, quo grammaticae librorum divinorum interpretationi ſubjicit Theologicam? quid tot aliis doctiſſimis Theologis, qui Theologorum eſſe dicunt, eos libros interpretari? quid JCtis, quid Philoſophis, quos librorum de Jure Civili & de Philoſophia interpretes habemus? Faci-

lis eſt reſponſio. Scilicet Theologus, qui quidem perfectus ſit, velut perſonas ſuſtinet duas; alteram communem cum Grammaticis: alteram ſuam & propriam. Communis perſonae munus eſt, primo, integritatem verborum a corruptelis librariorum, haereticorum, Criticorum vindicare, eaque de cauſſa in promtu habere idoneam & materiae criticae e libris ſcriptis editisque copiam, & judicandi de varietate lectionis facultatem: deinde vim verborum ex uſu loquendi Hebraeorum atque Graecorum declarare. Alterius autem perſonae erit, e verbis recte intellectis ducere definitiones rerum ac diſtributiones, capita fidei atque officii; quid ex quoque conſequatur docere: haec ita digerere atque diſponere, ut corpus doctrinae efficiatur: haec tradere, atque defendere, vel diſſerendo, vel concionando, omninoque ad ſalutem hominum convertere. Prioris illius perſonae munere cum fungetur, grammatice interpretabitur, cum poſterioris, theologice: illa grammatica interpretatio erit, haec theologica: utraque ſi ſit in eodem, ut fuit olim in Origene, in Hieronymo, ab inſtauratis per Lutherum ſacris, in haud paullo pluribus, quam antiqua aetate; efficietur perfectus atque abſolutus Theologus. Atque ſimilis eſt Jure Conſultorum Philoſophorumque ratio. Sed quis non facile intelligit, hanc poſteriorem rationem parum proprie interpretationem vocari, ſaltem aliam longe eſſe, quam intelligimus, cum de interpretatione librorum loquimur, eosque, qui poſteriorem hanc teneant atque exerceant, priori illa, difficiliori, quemadmodum alio loco demonſtrabitur, neglecta, compendiorum potius theologicorum, & Catechismorum, quam ſacrarum literarum interpretes ac doctores eſſe. Ceterum quod interpretationis nomen etiam poſteriori rationi tribuitur, id natum eſt ab ambiguitate verbi Latini, quod non modo de eo dictum eſt olim, qui verborum ſenſum explanaret, ſed qui quamcunque rem aliis quocunque modo traderet.

Quid ergo? an nullum omnino adjumentum interpreti adjungitur a ſcientia rerum ipſarum? Immo vero eſt, in quo ad res confugiendum ſit etiam Grammatico, ut veram verborum vim adſequatur. Id quale

le ſit, breviter dicendum videtur, ut uſus rerum qui ſit pateat, isque juſtis finibus circumſcribatur. Atque illud quidem ſupra ex ipſa interpretationis notione ac vi demonſtravimus, ſi proprie loqui ac ſubtiliter rem exigere velimus, omnem interpretationem legitimam duci ab uſus loquendi obſervatione & ſcientia tali, qualis eſt a nobis definita. Jam verbo cuique, in quaque conjunctione, formae item loquendi, quem ſenſum tribuerit cujusque temporis conſuetudo, id, quoniam eſt ex eo genere rerum, quod in facto ponitur, intelligi ſatis, niſi teſtimoniis idoneis, non poteſt. Eorum teſtimoniorum quae genera ſint, quomodo indagentur, ponderentur ac judicentur, uſurpentur denique, quoniam in eo eſt ſumma rei, docetur a nobis diligenter, cum artis interpretandi praecepta tradimus: hic demonſtrari non eſt neceſſe. Sed interdum accidit, ut idonea teſtimonia aut omnino non extent, aut nondum reperta ſint atque parata. Atque etiam ſcriptores interdum aliquid in loquendo vel neceſſitate quadam coacti, vel alia qua de cauſſa, novarunt. Rerum porro ipſarum ea interdum eſt natura, ut nullis verbis ſatis exprimi poſſint: denique nonnulla verba a poſitu afficiuntur ambiguitate aliqua. Quarum rerum haec vis eſt, ut uſus loquendi aut reperiri omnino nequeat, aut non ſufficiat ſententiae verborum reperiendae. In hac igitur neceſſitate cum conſtituti ſumus, confugiendum eſt ad artes quasdam uſus loquendi quaſi vicarias, per quas ad ſenſum verum pervenire liceat, ſed eas ipſas quoque Grammaticis dudum in omni genere ſcriptorum uſurpatas. Atque haec neceſſitas nusquam, ut opinor, frequentius exſtitit, quam in interpretatione librorum ſacrorum: unde haud parva ſaepe difficultas naſcitur. Nam libri illi, non modo Hebraici, ſed etiam Graeci, ſunt prope ſoli ſui generis, vel linguae forma, vel charactere orationis. Etſi enim idem character eſt Alexandrinae Codicis Hebraei verſionis, qui Novi Teſtamenti, eaque adeo plurimum valet ad uſum loquendi ſcriptorum N. T. percipiendum, ſi quidem rite cum Hebraico textu, ut alio loco diximus, comparetur, itemque cum Symmachi reliquiis, cum Joſepho etiam & Philone: tamen multa aliter uſurpata, multa

novata ſunt, propter rerum novitatem atque ſublimitatem, humanae intelligentiae vim ſuperantem. Unde neceſſe eſt fieri, ut aut deſint teſtimonia, quibus uſus loquendi cognoſcatur, aut uſus loquendi cognitus ne ſufficiat quidem ad ſenſum verborum aſſequendum. Sed in artibus uſus loquendi vicariis etiam ponenda eſt ſcientia rerum, de quibus agitur: ſed ita, ut cum magna moderatione prudentiaque uſurpetur: quae ſi abſit, graves noxae conſequuntur: de quibus in altera parte diſputationis propoſitae exponetur. Nam primum magna cautio eſt, ut maxime adhibeatur in rebus vitae communis, planeque cognitis, neve in rebus divinis, ſupra intelligentiam humanam poſitis, e natura rerum, nobis utcunque cognita, interpretationem repetamus contra proprietatem verborum, in quo facillimus eſt lapſus, teſte experientia, in tanta ingenii humani proclivitate atque libidine rerum divinarum ad ſcientiae ſuae modulum exigendarum. Deinde videndum eſt, ne eo perfugio utamur, ubi neceſſe non ſit: propterea quod haec ratio non tantam, neque ad perſuadendum, neque ad redarguendum, vim ac neceſſitatem habet, quantam legitima illa grammatica, praeſertim in rebus diſſenſu aliorum agitatis: minimeque probandum eſt, imbecilliorem rationem adhiberi, ubi firmior ſuppetat: in quo ſaepe peccatum eſſe omni tempore, multis exemplis doceri poteſt. Qui vel leviter controverſias cognoverunt, quae ab omni aevo inter Theologos recte atque integre ſentientes, & haereticos, ſunt agitatae, ſciant neceſſe eſt, primum, quantus abuſus hujus rationis extiterit in graviſſimis rebus, deinde, quam parum ea, etiam loco uſurpata, apud adverſarios profecerit. Itaque recte hoc & ſapienter in praeceptis interpretandorum librorum divinorum Theologi noſtri ponunt inprimis, ut uſum loquendi (proprietatem verborum appellant vulgo) ſtudioſe indagemus, conſtanterque teneamus, neque ab eo, niſi ſumma rerum neceſſitate flagitante, diſcedamus.

Ceterum, quod a rebus interdum petenda eſt intelligentia verborum, non propterea Grammaticis facultas etiam talia interpretandi debet negari. Nam ſi ſunt ex eo genere, quod eſt obvium ſenſibus, aut

po-

poſitum in intelligentia communi, non profecto ſoli ignorabunt, quod tenent omnes. Sin ex interiori aliqua diſciplina petendae res erunt, quid impediet, quo minus & ipſi inde ſumant? Nam ſi ex ipſis fontibus res erunt petendae, quod eſt optimum, tanto poterunt melius, quanto magis linguarum intelligendarum ſunt ſtudioſi: ſin etiam e Commentariis & libris doctorum, non illi non intelligent, quos etiam tirones cujuscunque diſciplinae intelligere creduntur. Sed eſt hic, ut video, magnus & prope ridiculus error multorum, inprimis eorum, qui ſe philoſophos dicunt, quod eum, qui non interpretes, quamvis barbaros & indoctos, compendiorum in quaque doctrinae parte audiverit, & magnam vitae partem in compendiorum anguſtiis, vel docendo, vel legendo, contriverit, eum nec peritum eſſe diſciplinae ſuae, nec videre, in rebus ad eam pertinentibus, quicquam poſſe putant. Atque neſcio, an in Grammaticos transferri poſſit, quod de oratore dixit, apud Ciceronem, M. Antonius, diſputans adverſus Craſſum, qui ſine magna juris civilis ſcientia oratorem forenſem eſſe poſſe negabat, eum, etiamſi expers ſit juris civilis, tamen, ſi petat, quibus indigeat in cauſſa aliqua, a JCtis, accepta ab iis melius, quam ipſi posſint, dicturum. Gesnerus quidem is, cujus ſupra mentio injecta eſt, cum ſe ad difficillimum Hippocratis libellum interpretandum contuliſſet, conſecutus eſt, ut primus veram rationem Hippocratis interpretandi ingreſſus judicaretur (*). Quod ille conſecutus eſt haud dubie propterea, quod ad illius libelli interpretationem, cum magna copia literarum Graecarum, & poſt multorum annorum in interpretando uſum & exercitationem, acceſſerat.

Sit itaque hoc perſuaſum omnibus, qui in interpretandis cum aliis, tum divinis libris aliquid velint efficere, unam veram, compendiariam, & certam viam ad interpretandi facultatem eſſe eam, quam Grammatici demonſtraverint, atque munierint, neque de

(*) Vid. Gunzii V.C. praefat. ad Hippocrat. de humoribus purgandis.

de his ita eſſe exiſtimandum, ut, quia in verbis occupentur, propterea rerum ſcientia carere, aut libros eos, in quibus diſciplinae tradantur, interpretari non poſſe credantur.

Sequebatur deinceps, ut diſputationem alteram, quam propoſuimus, ingrederemur, oſtenderemusque, ii, qui in interpretando Dialecticos potius, Philoſophos, & dogmaticos, quam Grammaticos ſe velint probare, quam periculoſa & lubrica, quam vana atque fallaci ratione utantur. Sed quia prior illa diſputatio longius nos provexit, quam putaramus, in aliud tempus, cum tertia illa, differendam videmus.

DE VANITATE PHILOSOPHANTIUM IN INTERPRETATIONE LIBRORUM S.

Cum inſtitutum nobis eſſet demonſtrare, contra, quam ferret opinio, ſive eorum, qui de ſtudiis literarum ac dignitatibus eruditorum, judicandi poteſtatem haberent, ſive eorum, qui literas ipſi tractarent, quot quantisque cum difficultatibus conflictarentur ii, qui in interpretandis Graecis Novi Teſtamenti libris recte vellent verſari; delata huc eſt diſputatio, ut oſtendendum eſſet, quanta ejus difficultatis pars a grammaticorum praeceptorum obſervationumque ſcientia juſta & uſu legitimo proficiſceretur, neque modo communis reliquorum librorum veterum interpretationi, ſed etiam huic generi propriae. Quo loco cum veniret nobis in mentem, quam multi eſſent, qui de grammatica interpretatione exiliter ſentirent, propterea, quod verbis, ſyllabis, ac ſingulis paene literis, minutis praeceptis & obſervatiunculis, conſtaret, exiſtimarentque, rerum potius ſcientia in interpretatione eſſe utendum: coepimus vereri, ne ea opinio, late ſparſa illa & diſſeminata, averteret ab hac diſputatione legentium animos, efficeretque, ſi nihil aliud, at hoc, ut, ſi difficilis eſſet gramma-

tica interpretandi ratio, hoc magis eam relinquendam homines ac negligendam putarent. Itaque nobis hoc faciendum exiſtimavimus, ut praemunitione aliqua uteremur, oſtenderemusque, ſolam grammaticam rationem dignam eſſe interpretationis nomine, ſolam legitimam, evidentem, ac certam, & neque veras interpretationes ſatis ab adverſariis defendi, neque falſas, praeſertim ſi per ſe non repugnarent ei, quae dicitur ἀναλογία doctrinae Chriſtianae, ἀναντιῤῥήτως refelli, niſi grammaticis rationibus adhibendis, poſſe. Quam demonſtrationem probatam fuiſſe doctis & intelligentibus, aut ſaltem nondum imbutis falſa opinione hominibus, aut alia qua cauſſa impeditis, & ſcimus, & ſperamus. Reſtat igitur, ut, quemadmodum propoſuimus ſuperiori proluſione, primum interpretationis illius vanitas demonſtretur, quae a rebus potius quam a verbis ducitur, quae philoſophica & dogmatica eſſe mavult, quam grammatica: deinde grammaticae, & in cognoſcendo, & in uſurpando, difficultas explicetur. Ac poſterior quidem diſputatio Academicae exercitationi deſtinata eſt, praeſertim cum latius pateat, quam ut proluſionis hujusmodi terminis capi poſſe videatur; prior autem hoc tempore expedietur.

Neque vero ignoro, quam difficile ſit, illam opinionem & conſuetudinem, cui opponitur haec diſputatio, eripere hominibus. Etenim cum alias illecebras habet, veluti ipſius nominis, tum blandas quasdam potentesque conciliatriculas, ſive potius lenas, duas, ſuperbiam & ignaviam. Nam, qui ita ſe compararunt, ut in ſumma literarum ignorantia, aut vix mediocri ſcientia, ſolis quibusdam compendiis doctrinae cujusque deguſtatis, tamen interpretes vel divinorum vel humanorum librorum eſſe haberique velint, nullo modo concedere noſtrae rationi poterunt; qua probata, nullo ipſi numero interpretum ſint neceſſe eſt. Eſt porro neque ingenii magni, neque laboris, aut gravis, aut diuturni, elementa ac tirocinia alicujus diſciplinae in compendii anguſtias coacta atque concluſa, & intelligentia conſequi, & memoria complecti, &; quibus velis, docendo reddere. Quis enim neſcit, quam multi hoc, quam paucis annis, & quidem inter

ter luſus prope quotidianos, ac fere aliud agendo, conſequantur? Qui autem e fontibus vel ipſi velint haurire, vel aliis eos aperire, per linguarum & grammaticae diſciplinae ſcientiam, iis res & obſervationes prope infinitae percipiendae ſunt ac tenendae, inque his permultae tenues ac minutae, eaque de cauſſa ad retinendum fugaciores: libri plurimi aſſidue verſandi, atque excutiendi: diligentia denique & adverſio animi ſingularis, ad minutiſſima quaeque demittenda. Quae ſunt omnia inimiciſſima ignaviae voluptatique, ad cujus amorem ſtudiumque tantopere hujus aetatis mores inclinaverunt.

Eſt profecto nihil propemodum facilius interpretationis genere eo, quod, neglectis Grammaticorum ſubſidiis, e rebus ſenſum quaerit, in rebus potius, quam verbis, explanandis laborat, & notiones verborum potius e philoſophia, quam ex obſervationibus Grammaticorum repetit. Nam non modo mediocri ſcientia indiget, verum etiam adjuvatur ingenio, etſi non magno, aut ſubacto, neque ἀκρίβειαν, aut diligentiam magnam, contentionemque ingenii, deſiderat. Vitringa, Interpres excellens in paucis, (praef. ad Comment. in Eſa. p. 6.) ita judicat, in ſenſu grammatico eruendo, ob rei difficultatem, & interpretum diſſenſiones, maximam proponi moleſtiam: eo vero reperto, omnibus, etiam imperitis linguarum, copiam & facultatem dari, libere & ſtrenue de ſingulis ceteris quaeſtionibus judicandi & disputandi. Quod, dictum de uno Eſaiae libro, patet latius, atque etiam in ceteros libros ſacros convenit. Itaque non eſt mirandum, ſi plerique id genus tam cupide amplectuntur. Ego quidem, multorum annorum uſu & obſervatione, multis variisque ingeniis tractandis, didici, valde ad hoc genus proclives eſſe adoleſcentulos, praeſertim eos, qui vividioris eſſent impatientiorisque ingenii, aut nondum ſatis adſueti quaerendo, ſecundum grammaticas rationes, ſenſui. Etenim, ſaepiſſime, difficultate aliqua, vel a verbis ipſis, vel a poſitu verborum, objecta, cum juſſiſſem intendere animos ad quaerendum, ſententiamque dicere, aut judicii rationem reddere, vidi, deſtitutos a ſcientia obſervationum grammaticarum, con-

fu-

fugere ad rem, utcunque e contextu, aut aliunde, cognitam, atque hinc praeſidia vel reperiendae, vel confirmandae interpretationis, petere, blandiente etiam ingenii quadam ſpecie & opinione, cujus omnes ſumus, ea praeſertim aetate, appetentiores, quam diligentiae laudis. Omnino, ſi quis percurrat ſuperiorum ſeculorum memoriam, inde ab origine doctrinae Chriſtianae repetens, reperiat profecto, conſuetudinem philoſophandi in interpretatione natam eſſe ab inſcitia linguarum, quarum diſcendarum nulla facultas dabatur, aut, cum copia eſſet, moleſtiae, quae in his rite percipiendis ſumenda eſt, fuga, & nunquam, has qui tenerent, illa ratione uti voluiſſe. Eadem igitur cauſſa eſt hujus rationis, quae allegoricae. *Allegorice*, inquit Hieronymus in praefatione Commentarii in Abdiam, *olim interpretatus ſum Abdiam prophetam, cujus hiſtoriam neſciebam.* Atque ita literarum Hebraicarum & Graecarum inſcitia plerisque etiam aliis Allegoriarum, omnibus philoſophandi magiſtra extitit. Quae ſunt omnia ejusmodi, ut facile appareat, iſtam rationem probari nullo modo poſſe. Sed ſunt alia graviora. De quibus antequam exponamus, accuratius nobis de toto genere hoc exponendum videtur.

Eſt autem nobis jam non ſuſcepta diſputatio contra omnes eos, qui rerum ſcientia ea, quae philoſophiae nomen habet, in interpretandis libris ſacris abutuntur. Itaque circumſcripti & ſublati ſint ex hac diſputatione, qui vel loca ea, in quibus de ſanctiſſimis religionis Chriſtianae myſteriis perſpicue & claris verbis exponitur, tamdiu torquent, donec ſapientiae humanae captui accommodata videantur, nihilque μυστηριῶδες relinquatur; aut miracula ad naturales cauſſas, naturaliumque eventorum modum, revocant contortis interpretamentis ſuis: aut alia aliqua ejusmodi ratione ſacras literas pervertunt: vinculis fortaſſe & carcere potius coërcendi, quam ſubtiliter refellendi, praeſertim cum ſaepe jam a doctiſſimis Theologis ſint repulſi atque abjecti. Non cum furore impiorum contendere animus eſt, ſed errorem imperitorum refellere: quippe odio illi digni ſunt, hi miſericordia. *Primum* igitur *genus* ſit eorum, qui philoſophiae

phiae ſubtilitate, ſed ſine impietate, in interpretando abutuntur: *alterum* eorum, qui ipſa Theologiae veritate, ſed fere ſine noxa.

Illi ergo proprie ſunt, quos philoſophari in interpretando diximus. Peccant autem multipliciter. *Primum* quidem, & maxime, *in poteſtate ſingulorum verborum definienda;* in quo tamen prope caput eſt interpretationis. Etenim quoniam adſueti ſunt notionibus ejus philoſophandi generis, in quo maxime triti ſunt, eaeque ſtatim ipſis occurrunt, ubi aut ipſum archetypum, aut verſiones, aut vocabularia conſulta, verbum habent, cujus definitionem aliquam a magiſtro ſuo didicerunt: inde fit, ut illam ipſam notionem iſti verbo ſubjiciant: quae ſaepe a mente ſcriptoris ſacri eſt alieniſſima. Hoc vitium latiſſime patet, & omni tempore plurimum obfuit interpretantibus libros ſacros. Satis conſtat, inter Graecos fuiſſe permultos, qui notiones modo Platonicas, modo Ariſtotelicas, modo Stoicas ſubjicerent verbis Euangeliſtarum & Apoſtolorum, eaque ratione ſenſus alieniſſimos viris divinis adfingerent, ſaepe etiam contrarios ipſi veritati coeleſti. De quo genere cum multa multis dicta ſint, non attinet hic diſſerere pluribus. Enimvero, etiam alii, non profecti a ſcholis philoſophorum, tamen interdum ſimilitudine verborum conturbati, philoſophicas notiones accommodaverunt alienis locis. Ex quo genere eſt Scholion Oecumenii ad Ebr. XI. 1. ubi fidem ὑπόστασιν ἐλπιζομένων Paullus vocat. Ὑπόστασιν, quia οὐσίαν etiam vocabant antiqui Philoſophi, etiam ipſe Paullus ſic dixerat c. I. Hanc auctor ille notionem huic loco adhibet, & ſuper ea re lepide philoſophatur, probante tamen, quod mireris, Beza. Sed multo magis hoc malum auctum eſt per Latinos, qui etiam Graeca ignorabant: inprimis aetate eorum, quos Scholaſticos vocamus, qui omnia notionibus philoſophiae ſuae referſerunt. Poſteaquam, reſtitutis antiquarum linguarum ſtudiis, pulſa eſt barbaries, & caligo, in qua ſuperiora ſecula jacuerant, diſcuſſa, huic malo medela eſt allata inprimis. Sed cum ardor ille diſcendarum linguarum ab ignavia hominum refrixiſſet, qui nunc prope extinctus eſt omnino, quod majus ac melius eſſe perſuadebatur imperitis, res diſcere,

re, quam verba, cum tamen & hic plerumque non niſi verba darentur: rediit malum illud, & late dimanavit. Itaque ſaepe ſcriptores divinos ita ſenſiſſe audimus & legimus, tanquam e media Wolfiana aut alia qua tali ſchola extitiſſent: quippe etiam exortis, qui libellis integris & diatribis e philoſophorum ſuorum dictatis verba Apoſtolorum obſcurare, illuſtrare volebam dicere, conarentur.

Atque in Graecis quidem hoc vitium peperit maxime ignoratio linguae Hebraicae, & artificii notionum, per comparationem Alexandrinae verſionis cum textu Hebraico, reperiendarum, quem locum alio tempore tetigi. Quanquam mihi vere videtur judicare is, quem ſupra laudavi, Vitringa (praef. ad Comm. in Eſa. p. 5.) potuiſſe eos, etſi Hebraica ignorarent, idem tamen aſſequi comparatione ejusdem verſionis cum ceteris verſionibus Graecis, Aquilae, Symmachi inprimis, quorum alter Hebraicum textum ad verbum expreſſerat, unde etiam a nonnullis veterum Hebraicae veritatis nomine laudatur, alter puritatem Graecismi conſervare ſtuduerat, ut e reliquiis utriusque, auro carioribus, intelligitur, de quo toto genere comparationis alio loco praecipietur accuratius. Veluti, ut in exemplo antea propoſito maneam, ſi Scholiaſtes ille, conſulta Alexandrina verſione, animadvertiſſet, ὑπόστασιν dici, ubi in Hebraico eſſent verba תוחלת & quae aliis locis per ὑπομονὴν, ἀπεκδοχὴν, & ſimilia exprimerentur, quae patientem & conſtantem expectationem rerum ſperatarum indicarent, item, Hexaplis inſpectis, Pſalm. XXXIX. 7. ubi Alexandrini verbum תוחלת per ὑπόστασιν interpretentur, eſſe, apud Aquilam, καραδοκίαν, Symmachum autem, ἀναμονήν: facile ſibi ab iſtis argutiis caviſſet: praeſertim ſi cogitaſſet, τὸ ὑφίστασθαι, unde ὑπόστασις ducitur, etiam Graecis dici pro *perſuaſum ſibi habere*, quo ſenſu, nondum notato in Lexicis, ſaepe eſt apud Diodorum Siculum, velut I. 6. 11. 12. &c. Atque ſimiliter ab talibus ſibi cavere Latini potuiſſent, noſtrique homines poſſent, quanquam illi antiqui melius, qui Hexapla integra habebant.

Omnino erat his omnibus cogitandum, primo, linguas

guas ſibi non ita reſpondere, ut omnia verba, velut Graeca, haberent ſibi reſpondentia in lingua Latina, quae plane idem ſignificarent, de quo late egit Clericus in Arte Critica, caute tamen legendus: deinde, magnum diſcrimen eſſe inter notiones philoſophorum ſubtiles, & aliorum ſcriptorum populares, nequaquam ad ſubtilitatem philoſophorum exigendas. Illud quoque tenendum erat inprimis, ſcriptores divinos nonnulla verba uſurpaſſe ſumta e vulgari conſuetudine loquendi, ſed alia & propria quadam ſignificatione, e comparatione variorum locorum, exemplis etiam rerum, diligenter comparatis, reperienda: ex quo genere eſt verbum πίστως: in quo etiam ipſi Judaei Graeci lapſi ſunt, cum e conſuetudine ejus verbi uſurpandi inter Graecos ejus vim aeſtimarent; efficerentque ex illa πίστει, per quam ſalus datur, virtutem lege Moſis praeceptam, quam etiam ratio humana aſſequitur. Cujus rei exemplum habemus Philonem, fidem ſummis laudibus efferentem, ſupraque omnes virtutes ponentem, ſed ea, qua dixi, notione. v. Libr. *quis heres rerum div. T. I. p.* 485. 486. *ed. Londin. nuperae*, & *de Abrahamo T. II. p.* 39. Quare omnibus, qui in interpretandis libris divinis rite velint verſari, diligenter cavendum erit ab iſta fraude, neque in notionibus verborum definiendis conſulendi philoſophi, ſed linguarum & ſcriptoris cujusque uſus, quem ut cognoſcant, & reperire via & ratione legitima ac certa diſcant, Grammatici erunt audiendi.

Alterum genus philoſophandi in interpretatione, ſed ſuperiori illi finitimum, eſt, *cum verborum ſenſus exigitur ad ſubtilitatem dialecticam & metaphyſicam*: quo nihil ineptius dici fingique poteſt. Et in ceteris ſcriptoribus quidem Graecis Latinisque dudum ita repudiata eſt haec ratio, ut, ſi quis hodie vellet Oratoris alicujus, aut Poëtae, aut Hiſtorici Graeci Latinive verba ad iſtam ſubtilitatem exigere & interpretari, vel etiam, ut interdum factum ſcimus, emendare, riſum deberet omnibus intelligentibus. Omnia haec genera ſcriptorum, & quicunque non philoſophis, ſed omnibus ſcribunt, quo loco ſunt vel maxime ii, qui genus humanum, atque etiam infimam plebem, erudire

vo-

volunt rerum divinarum ſcientia, non modo non curant & ſequuntur in dicendo philoſophorum ſubtilitatem, ſed etiam fugiunt ſententiis & verbis: quod niſi faciant, ſed vel oſtentatione doctrinae, vel inſcitia dicendi, ſententias & formulas loquendi e ſcholis philoſophorum uſurpent, graviſſime peccant imprudentia & inſcitia artis dicendi, meritoque ridentur: quod non videntur intelligere, qui hodie in concionibus, ad populum de rebus divinis habendis uſurpant verba nova, & formulas a philoſophis, heri aut nudius tertius, non dicam quam bene, excogitatas, & in ſcholis fortaſſe ferendas, quas non poſſunt intelligere, qui non eundem philoſophum vel audierunt, vel legendo cognoverunt. Quod ſi eſt, nonne rem ineptiſſimam faciunt, & a conſilio divinorum ſcriptorum, atque utilitate hominum alieniſſimam, qui in verbis illorum interpretandis, dialecticam & metaphyſicam ſubtilitatem ſequuntur? Neque enim aut ipſi e philoſophorum ſcholis prodierant, conſueverantque verbis, formulis, & ſententiis uti, ad iſtorum ſubtilitatem exactis, neque philoſophos, ſed imperitiſſimam, nulloque modo iſtius ἀκριβείας capacem plebem, erudiebant. Atque id tamen fecerunt ab omni tempore, & faciunt nunc cum maxime ii, qui ſibi perſuaderi ſtulte paſſi ſunt, ſine magna ſcientia linguarum, & exercitatione interpretandi per grammaticas artes aſſidua, rerum a philoſophis petendarum ſcientia, viam ad interpretis, omninoque Theologi boni laudem muniri poſſe, cum res & uſus doceat, eam, niſi prior illa ſcientia & exercitatio acceſſerit, nunquam profuiſſe, plerumque magno impedimento fuiſſe. Neque id caveri vitium ullo modo poteſt, niſi ab iis, qui plurimum temporis ac ſtudii linguarum indoli, lectionique fontium tribuunt: praeſertim, cum decipiat dulcedine quadam, a ſpecie acuminis & ſubtilitatis, ſoliditatem vocant quovis ligno ſolidiores homines, injecta vanis ingeniis. Nam opprimit interdum etiam eos, qui non ſunt iſto errore infecti, nonnunquam vel emphaſium reperiendarum cupidine, quibus fingendis permulti putant aliquid dignitatis addi ſcriptoribus divinis: in quo genere omnes ſe praebent ridiculos ii, qui non tam e bene cognita conſuetudine lo-

loquendi, quam e rebus interpretantur. Sed pauca exempla, e veteribus maxime, ponamus, quos impune erit notare: quamquam multo plura & ineptiora a recentioribus dicta & ſcripta cognovimus. Paulli dictum eſt 1 Cor. VII. 31. τὸ γὰρ σχῆμα τοῦ κόσμου παράγει. In promtu erat σχῆμα τοῦ κόσμου accipere per periphraſin τοῦ κόσμου, (quod genus periphraſeos frequens eſt apud Graecos, ſed ſaepe fucum fecit interpretibus) collato praeſertim loco Johannis: ὁ κόσμος παράγεται. Ecce aliquid exquiſitius & ſubtilius reperit Theophylactus, σχῆμα τοῦ κόσμου dici, quia mundus hic nihil habeat ſolidi, ſed ſpeciem modo inanem bonorum & malorum, quod fluant omnia & labantur &c. Quaeſitum eſt, quomodo posſint verba Michae, de Bethlemitico oppido, cum verbis Graecis, apud Matthaeum, componi: quippe ille minimum, hic haud minimum dicit, e verſionibus ſaltem. Non vacat referre omnes opiniones. Dannhauerus autem, Theologus doctus, ſed metaphyſicis innutritus, ut facile intelliget, qui ſcripta ejus legat, in Idea Boni Int. & Malit. Calumniatoris, pleno alioqui bonis obſervationibus ac praeceptis, p. 93. expeditiſſimum cenſet hoc, ut a Propheta minima urbs dicta ſit, ratione exiſtentiae, idque patere ex addito להיות, *ad exiſtendum*, q. d. ratione exiſtentiae: a ſcribis autem maxima, ratione dignitatis, quod patria Meſſiae futura eſſet. Quae ſunt merae, eaeque inanes, argutiae metaphyſicae, id quod recte de hac interpretatione judicavit Theod. Hackſpanus, verae interpretandi rationis inprimis callens quondam Theologus, in Miſcell. Sacr. p. 36. addens prudenter: *Operam perdit, quin imo in periculum incurrit, multa aut falſa, aut ridicula, aut certe aliena comminiſcendi, quisquis metaphyſicam ſubtilitatem a Grammaticis repoſcit, quorum fidei nunquam concredita fuit.* cf. p. 13. In ſimiles ineptias incidere Graeci Theologi in interpretando ἄρτῳ ἐπιουσίῳ, quod dictum putabant, quia ad οὐσίαν, eſſentiam, vel ſubſtantiam animi, aut corporis, accederet, aut eam fulciret: cum, in vulgari quidem & populari loquendi ratione οὐσία ſic dicta non ſit: nec id docuerit cl. Tupius in Epiſt. Crit. p. 140. Vid. loca Patrum ap. Caſaubonum adv. Baron. Exerc. XVI. 39. Lepida etiam eſt, ut multae aliae, Auguſtini diſtinctio inter verba συναγωγῇ & ἐκκλησία.

Quaerit enim, quare Apoſtoli de Chriſtianorum conventibus nunquam dixerint *Synagogam*, ſed ſemper *Eccleſiam?* quod tamen eſſe falſum reperiſſet facile, ſi Graecum textum legiſſet unquam. Reſpondet, coetum Judaeorum dici *Synagogam, id eſt, congregationem, quod congregari & pecora ſoleant, atque ipſa proprie, quorum & greges proprie dicamus:* Chriſtianorum vero coetum dici *Eccleſiam, id eſt, convocationem, quia convocari magis ſit utentium ratione.* vid. v. c. Comment. in Pſalm. LXXXI. T. VIII. Opp. p. 906. ed. Frob. nam & alibi habet: adeo placuit. Hic riſuros arbitror nonnullos, qui, fortaſſe e verbis verſionis Lutheri, ut Auguſtinus e Latina, aut non conſulto, aut non intellecto archetypo, ſimiles ineptias ſaepe protulerint.

Tertium genus eſt philoſophandi, cum *in interpretando utuntur jejuna ἀναλύσει dialectica notionum & enunciationum:* quam etiam, ad verum ſenſum certa quadam ratione reperiendum, neceſſariam eſſe dictitant, ejusque rei ſe magiſtros jactitant: cum primum raro ſit neceſſaria, deinde, ubi deſtituta eſt linguarum idonea ſcientia, etiam vana & ridicula. Non dicam de Commentariis ſuperiorum ſeculorum, in quibus frequentes ſunt tales operoſae ἀναλύσεις, hac ipſa de cauſſa dudum excuſſis e manibus doctorum: noſtra aetate exorti ſunt philoſophi, qui eadem ratione uti nos juberent. *Multum intereſt*, inquit aliquis Philoſophus, *de rebus ſacris ex genuinis notionibus ratiocinari. Voco autem genuinas notiones, quae ipſi textui Scripturae S. inſitae ſunt, non autem quae extrinſecus inferuntur: id quod vulgo ab interpretibus fieri ſolet. Inde nimirum eſt, ut vagas verbis Scripturae S. tribuant notiones, nec determinatas, atque unusquisque autoribus ſacris tribuat, quod ipſi videtur &c.* Sententias loquitur. *Damus igitur ſubinde Scripturae S. interpretandae ſpecimina, ut appareat, quantum ſibi noceant, qui, cum in eadem interpretanda utilem operam collocare velint, ſubſidia tamen, quae a philoſophia — — — expectare poterant, proterve contemnunt &c.* Quid feret hic tanto dignum promiſſor hiatu? Inſtituit ſcilicet quaerere, quae notio ſubjecta ſit verbis Paulli, cum in principio Epiſtolae ad Romanos ſe *ſervum Chriſti* appellet.

pellet. Audite quaeſo omnes, qui vultis diſcere, quomodo notiones verborum in ſacris libris reperiantur. Nihil acutius vidi. *Non addit, quonam in ſenſu vocem ſervi accipiat, cum nullam reperias ibidem ſervi definitionem.* Videant ergo, quid faciant, qui Paullum dicunt Tarſi Philoſophos audiſſe. *Quamobrem, ſi Romani ſcribentem intelligere debebant, eam notionem ſervi, non aliam praeſupponere poterat, quam quae ipſis erat. Erat autem ipſis ea ſervi notio, quae in Inſtitutionibus Juſtiniani occurrit: quoniam jus Romanum loquitur de ſervis, quibus utebantur Romani.* Vae ergo tibi, Paulle, ſi aliter verbum cepiſti. *Ergo illa ſervi notio ad Paullum applicanda, quae in Jure Romano occurrit*: quod deinde late ille exſequitur. Non hae merae nugae ſunt? Videtur bonus vir ſolius hujus epiſtolae initium inſpexiſſe, non etiam ceterarum. Porro ignorabat, Romanos illos, maxima parte, e Judaeis & proſelytis Judaeorum fuiſſe; ad quos ſcribens, verbis Graecis Hebraicam ſignificationem ſubjicere poterat, ut per totam epiſtolam fecit. Neſciebat deinde, conſuetudinem loquendi ferre, ut, in epiſtolarum, praeſertim Apoſtolicarum, inſcriptionibus, dignitatis potius mentio fiat, quam modeſtiae documenta edantur, ut auctoritas ſcribenti concilietur: id quod clare patet ex initio epiſtolae ad Galatas. Quanto igitur melius & brevius Grammaticus dicet, Hebraicam conſuetudinem *ſervos* vocare Regum, quos nos hodie etiam honeſtiſſime *miniſtros* vocemus, ſaepe eſſe nomen dignitatis, eoque modo etiam Moſen ſervum Dei vocari in V. T. ut notatum Maſio, primario interpreti, ad Joſ. I. 1. itaque Paullum hic *ſervum* Dei dici propter auguſtum Apoſtolatus munus. Plura ejusmodi ſpecimina ex eodem auctore proferre poſſem. Et tamen ille aliquo loco, defunctus aliqua tali analyſi, gloriatur, primo, *eum qui principiis philoſophiae in Scriptura S. interpretanda dextre* (nempe ut in exemplo propoſito) *uti noverit, ſenſum genuinum a ſe repertum eſſe, demonſtrare poſſe*: exemplum vero demonſtrationis vidimus: *deinde interpretationem, eo more inſtitutam, intimius in viſcera rei penetrare* (imo ſaevit in viſcera verbi divini) *quam vulgo fieri ſoleat &c.* Neque vero haec vanitas uni generi philoſophorum eſt propria, ſed,

 ut

ut quique ſubtiliſſimi vel ſunt, vel videri cupiunt, ita maxime ei ſunt dediti. Itaque ſaepiſſime, ut eſt in Latinorum proverbio, *fluctus in ſimpulo movent*, hoc eſt, quae breviter, aperte, ac planiſſime, expediri per grammaticas rationes poterant, quo modo infiniti Graecorum & Latinorum ſcriptorum loci explanati ſunt, ita involvunt tenebris ſubtilitatis dialecticae, ut difficilius ſit interpretem, quam id ipſum, quod interpretatur, intelligere: cujus generis duo inſignia ſpecimina reperi in Adolphi Fr. Hofmanni Dialectica p. 1146. ſqq. quae cum legerem, coactus ſum exclamare: δότε μοι λεκάνην!

Non arbitror neceſſe eſſe, ut notem etiam eos, *qui omnia ſuae ſectae placita in ſacris libris reperiunt.* Etenim id ſponte conſequitur ex eo, quod verbis ſacrorum librorum, ex indicio aut verſionis vernaculae, aut triobolaris alicujus Vocabularii, ſubjiciunt notiones, quas dictata magiſtri ſuggerunt. Neque longa oratione opus eſt adverſus eos, qui *opiniones incertas quas* ὑποθέσεις *vocant, ad indagandum ſenſum verborum adhibent*, quod permulti fecere, v. g. in explicandis verbis Ebr. XI. 11. de Sara: δύναμιν ἔλαβεν εἰς καταβολὴν σπέρματος· cum dicerent καταβολὴν σπ. capiendam eſſe de ſemine muliebri, cujus commiſtione cum ſemine maſculino proles gignatur, auctoribus philoſophis. Etenim id totum incertum, ſive potius falſum eſt. Neque credibile eſt, Paullum formulas loquendi his ſententiis accommodaſſe, ſi vel maxime verae eſſent; ut Grotius, Calovius, aliique recte monuere. Immo vero καταβολὴ σπ. dicitur, ut καταβολὴ κόσμου, *initium mundi* vel *creatio*: ut Joſephus B. I. II. 17. 2. καταβολὴ πολέμου dixit, Clemens in Ep. ad Corinth. extr. καταβολὴν στάσεως, & medici Graeci καταβολὴν πυρετοῦ dicunt, quam Latini *acceſſionem*, & *initium febris* & παροξυσμοῦ. Ita καταβάλλειν σπέρμα erit, quod Latini dicunt *fundare domum* vel *familiam*, ut multis exemplis oſtendit Drakenborchius ad Silium II. 65. quod fit prole ſuſcepta, inprimis maſcula & prima, unde ſpes poſterorum: & καταβολὴ σπ. adeo erit vel *procreatio ſobolis*, vel *fundatio familiae ac domus*, e qua Meſſias naſceretur. Dicam igitur tantum de eo genere, quod interpretationis vel praecipuam hanc partem facit, *ut ratiunculas e philoſophia conquirat, quibus dictis Chriſti & Apoſtolorum lucem*, ſcilicet, *affundat*,

ſive,

ſive, ut illi ajunt, nexum praedicati cum ſubjecto declaret, per analyſin propoſitionis in principia vel rationis ſolius, vel rationis & revelationis. Venerunt in manus meas caſu aliquo dictata Rectoris cujusdam in Schola non ignobili, in quibus hoc artificio inter alia caput quintum Matthaei inquinaverat. Nam ab initio ſtatim, declarato felicitatis nomine e compendii philoſophici lacunis, quomodo ea notio determinaretur per notiones ſubjectorum, demonſtrationibus acutioribus, quam ſunt ipſi ariſtarum aculei, & inde a principio rationis ſufficientis repetitis, declaraverat: veluti alias non poſſent credi, quae ſapientiſſimus Servator dixit, aut non omni demonſtratione major & potentior eſſet divina auctoritas. Atque etiam in publicum a nonnullis editae ſunt tales argutationes: quibus magis impeditur intelligentia ſacrorum librorum, quam adjuvatur: praeſertim ſi non nitantur legitima interpretatione verborum, quod plerumque deeſt hujusmodi demonſtrationibus. Unde ſaepiſſime evenit his demonſtratoribus, quod illis, apud Plutarchum, Philoſophaſtris, qui, cum in convivium illatae eſſent fici, in quibus flocci lanarum animadverterentur, inſtituerunt ſubtiliter diſputare, & exquirere modum cauſſasque, quibus naſci in ficis tales flocci poſſent, cum interea, longe provecta jam diſputatione, ſervus ingreſſus doceret, unde, & quo caſu lana ficis adhaeſiſſet, & ita totam diſputationem, cum magna ſtultorum indignatione, ad nihilum redigeret. Hi ſunt iſti σεσοφισμένοι μῦθοι, ratiunculae acute excogitatae, quibus negat Petrus ſe uſum eſſe in demonſtranda Chriſtianis majeſtate ac divinitate Chriſti, a quibus adeo bono & prudenti interpreti abſtinendum, cum ſatis habere debeat, ſi ſimpliciter intelligat mentem divinorum ſcriptorum, ut illi quondam intelligebant, ad quos ſcripſerunt: ού τεχνολογεῖν δεῖ, inquit Gregorius Nazianzenus, ut opinor, ſed θεολογεῖν: neque, per ratiunculas ingenio humano excogitatas, ſed per verborum ſuorum ſenſum, vim ſuam exſerit Spiritus Sanctus in animis hominum & ad fidem adducendis, & ad ſanctitatem conformandis. Satis dictum de genere interpretandi eo, quod philoſophica ſubtilitate abutitur. Pauca addamus de altero, tolerabiliori illo quidem,

 quia

quia nihil admodum nocet, ſed tamen non omnino probando, quod ipſa Theologiae veritate abutitur, atque adeo & ipſum quodammodo philoſophatur potius ſuper verbis divinorum librorum, quam interpretationis munere rite fungitur.

Nempe perpauci ſunt, ſemperque fuerunt, qui dictionem Novi Teſtamenti ita cognovere, ut in Disputatione, de difficultatibus interpretandi N. T. diximus, fieri debere, ſi quis idoneam ejus interpretandi facultatem appetat. Quotus quisque enim eſt, qui verſionem Alexandrinam diligenter excuſſerit, & hinc cum Hebraico textu, hinc cum reliquiis Aquilae, Symmachi & Theodotionis comparaverit, adjuncta etiam Philonis & Joſephi lectione, quam plurimum, uſu didici, in hoc negotio prodeſſe; ut alia taceam, quae ad recte cognoſcendam N. T. dictionem neceſſaria ſunt. Plerique aut non habent eas copias, ut apparatum illum librorum ſibi comparare poſſint, aut non hanc facultatem literarum Graecarum, ut iis uti, & iſta contentione recte defungi queant, aut denique ne otium quidem a neceſſariis negotiis, quod ei labori ſufficiat. Itaque non eſt mirum, ſi oppido pauci ab omni tempore fuerunt, qui ſatis inſtructi his ſubſidiis ad interpretandum eſſent. Ceterum, cum tamen munus interpretandi ſuſtinerent, adſumſerunt ejus ſcientiae & facultatis quaſi vicariam ſcientiam rerum ſacrarum, e perſpicuis locis, & commentariis Theologorum, interdum etiam philoſophorum hauſtam, & verbis utcunque e Lexicis vulgaribus, verſionibusque vernaculis, inprimisque Latina, cognitis, etiam difficiliora loca interpretari inſtituerunt; felici interdum eventu, ſaepe contra. Itaque tanta copia extat interpretationum falſarum, ſive potius non accuratarum, ut, ſi quis ad Sixtini Amamae exemplum, velit Antibarbarum biblicum ſcribere, in quo talia peccata in N. T. interpretatione admiſſa, quemadmodum ille in magna parte V. T. fecit, colligere & caſtigare velit, ei materia magni voluminis deeſſe non poſſit. Age vero exempla nonnulla adponemus, & quidem ex una Epiſtola ad Romanos, ex quibus appareat, ſi docti viri *ἀκριβέστεροι* in grammaticis artificiis cognoſcendis uſurpandisque fuiſſent,

ſent, facilius eos ſe ex difficultatibus expedituros fuiſſe, nonnullas controverſias omnino futuras non fuiſſe. Uſu enim didici, interdum parvulas obſervatiunculas grammaticas plurimum prodeſſe, hisque non promte & in tempore occurrentibus, magnas difficultates objici, ejusque rei multa exempla notata habeo, quae alio loco proferentur commodius.

In C. VII. v. 14. ὁ νόμος πνευματικός, ἐγὼ δὲ σαρκικός. valde philoſophari ſolent in explicando attributo legis, cum diſputant ſic dici, quia ſit a Deo, qui eſt Spiritus, quia ſpirituale obſequium deſideret, non tantum externum, quia nos ſpirituales efficere debeat &c. Haec omnia ducta ſunt e Latinae verſionis vocabulo, metaphyſice tractato; neque iſtis, ad quos ſcripſit Paullus, in mentem venire ullo modo potuerunt. Tenendum autem erat, Hebraeos verbo רוח adjungere ſolitos ſignificationem perfectionis, excellentiae, roboris atque virium, verbo בשר autem, imperfectionis infirmitatisque, aptiſſimo & eleganti tropo. Eſ. LXI. 3. *Aegyptii homines, non Deus, equi eorum caro, & non ſpiritus:* ut alia loca mittam. Hinc cum Graece loquentes Judaei רוח interpretarentur per πνεῦμα, eadem notio huic verbo adhaeſit. Nam & Euangelium dicitur πνεῦμα, ob vim ſalutem hominibus conferendi, Lex σάρξ, quia ſalutem dare, ſanctos reddere homines, non poteſt. Tirones 1 Cor. III. 1. σαρκικοὶ, provectiores πνευματικοὶ dicuntur. Ergo νόμος h. l. πνευματικὸς dicitur, propter perfectionem ſuam in praecipiendo, nullo alio reſpectu, ut contextus facile docet: Paullus contra ſe σαρκικὸν vocat propter imbecillitatem in ſervanda lege, quia corruptione naturali laborat, quae facit, ut nunquam tantum virium conſequatur, ut ſatisfacere legis perfectioni perfecta ſanctitate poſſit. Nonne haec faciliora & clariora iſtis, quae ante diximus, & ceteris, quae de Paullo, ex parte carnali, a nonnullis diſputantur?

C. VIII. ἐν ᾧ κράζομεν Ἀββᾶ, ὁ πατήρ. Quaeſitum eſt, quare Syriacum & Graecum verbum junctum eſſet? Poterat grammatice facile res expediri, dicendo, ὁ πατὴρ eſſe interpretationem alterius, omiſſis verbis ὅ ἐστι, quae alias addi ſolent, ſed tamen & alibi omittuntur, ut Act. XIII. 8. ubi vid. Druſ. & Grot. Sed argutius ali-

aliquid inventum eſt, idque ridiculum: dictum ſic, ut appareat, Judaeis & Graecis licere Deum Patrem vocare, quod habet Auguſtinus ad Pſ. LXXVIII. T. VIII. Opp. p. 878. aut, quod blandientium ſit, repetere nomina, ut Grotio placuit: quae nihil eſſe, facile patet. Nihil jam dicemus de verbis κλητὸς, κλῆσις, πρόθεσις, πρόγνωσις, aliisque in hoc capite, in quibus explicandis plerumque plus audiuntur verſiones, quam Hebraica conſuetudo uſurpandorum verborum, e quibus illa expreſſa ſunt, unde difficultates & controverſiae ortae ſunt, quibus etiam nunc Theologi jactantur.

C. IX. Torquent ſe interpretes in verbis ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις μένῃ. Etenim, cum in Vocabulariis ἐκλογὴ *electio*, πρόθεσις *propoſitum* vertatur, *propoſitum* autem *juxta electionem* intelligi, & componi cum formula doctrinae non poſſit, ad hypallagen confugiunt: tanquam dictum ſit, pro ἡ κατὰ πρόθεσιν ἐκλογή. Non multo mollius Grotius: *libertas in rebus, quae ad praelationem pertinent*: quod Graeca conſtructio non patitur. Relictis omnibus, vis verborum melius indaganda erat. Nempe, primum πρόθεσις idem eſt, quod θέλημα, ut 2. Macc. III. 8. & quidem θέλημα benignum, beneficum, verbo, beneficium, ſeu benignitas, quo ſenſu etiam θέλημα ſaepe dicitur; quippe Hebraicis verbis רצון & חפץ reſpondet, ut Rom. I. 10. Πρόθεσις Dei quidem clare de benignitate dicitur 2 Tim. I. 10. opponitur enim ibi ἔργοις hominum, quae non tollunt propoſitum, ſed liberalitatem, & integritatem beneficii divini. Porro ἐκλογὴ eſt fundamentum libertatis, eaque ubi eſt, ibi libertas eſt: unde pro ipſa libertate ponitur more Hebraeorum, qui libertatem in agendo, praeſertim in benefaciendo, exprimere, quantum ſcio, non poſſunt, aut ſolent, niſi per verbum בחר. Eſt igitur ἐκλογὴ *libertas*. Porro, κατ' ἐκλογὴν, interjectum inter articulum & ſubſtantivum, locum adjectivi obtinet, more Graeco. Apud Polybium οἱ κατ' ἐκλογὴν ἄνδρες ſunt *delecti viri*: mox in hac Epiſtola c. X. ζῆλος κατ' ἐπίγνωσιν, *zelus ſapiens & prudens*. c. XI. οἱ κατὰ φύσιν κλάδοι, *rami naturales* &c. Inde fit interpretatio haec: *ſed ut beneficium Dei liberum eſſe non dubitaretur, ſ. libera Dei benignitas ſalva & indubia maneret*: qui ſenſus planiſſime conſentit cum ſerie orationis Paullinae.

Unum

Unum exemplum ex ejuſdem capitis vſ. 18. addam: ὃν ἐλεεῖ, ὃν θέλει, ὃν δὲ θέλει, σκληρύνει. Non repetam, quae de hoc loco dicta ſunt a noſtris aliisque Theologis, contorta fere illa. Etenim σκληρύνειν vertebant *indurare*: cujus verbi certa definitio erat in compendio conſtituta: unde diſputatum, quomodo Deus dici poſſit, ſalva bonitate & juſtitia, indurare homines. Sed hic de ea induratione, quam in diſciplina ſua Theologi vocant, non eſt ſermo. Id ſic patet. Primum ἐλεεῖν eſſe ex Hebraismo, *amare*, *benefacere*, clarum eſt ex v. 25. ubi habemus ἠγαπημένην, cum verbum Hebraicum apud Hoſeam proprie ſit ἠλεημένην, eſtque e tota oratione Hoſeae clarum, ſermonem eſſe de cura Dei univerſa erga Iſraëlitas. Hoc conſtituto, vel ex lege disjunctionis conſequitur, ut σκληρύνειν ſit, *non amare*, *non curare*, *non benefacere*: quod ante dixerat μισεῖν, minus bene facere: atque adeo durius habere, inopia, ſervitute, aliisque incommodis immittendis. Sed hoc clarum eſt etiam, ſi verbum σκληρύνειν cum Hebraico verbo הקשיח comparamus, cui reſpondet. Kimchium legi, neſcio ubi, tradere, id dici etiam de Deo, cum homines ſua conſilia celet, quae aperit iis, quos amat. Sed clare patet e Job. XXXIX. 16. id dici pro *duriter tractare*, *non curare*. Nam ibi dicitur de ciconia, quae non fovet curatque pullos, ut aliae aves faciunt; quod Alexandrini vertcrunt, ἀπεσκλήρυνε τὰ τέκνα αὐτῆς. Ita facilia & plana ſunt omnia. Deus libere tribuit beneficia: tribuit, cui vult, & non tribuit, cui non vult.

His exemplis arbitror planum eſſe, id quod innumerabilibus aliis demonſtrari poteſt, expeditiorem & planiorem eſſe viam ad ſenſum verum librorum ſacrorum reperiendum, & veritatem ab adverſariis defendendam, quae per linguam recte intellectam, quam per rationes dogmaticas ducat.

Jam etiamſi, quae de toto hoc genere philoſophandi in interpretatione, deſtituto idonea facultate praeſidiorum grammaticorum, diſputavimus, ſunt ejusmodi, ut ſua ſponte vanitas ejus appareat: tamen lubet, quaedam univerſe de ea dicere, ſi forte hoc magis ab ea ratione avertere juventutem ſacrarum literarum ſtudiis deſtinatam, & ſtudio linguarum incendere poſſimus.

Ac primum, magnum praejudicium contra illam rationem facit hoc, quod hiſtoria omnis aevi docet, cum iſta ratione barbariem & ſacrorum corruptionem & natam & ſublatam, ab illa noſtra autem, h. e. a grammatica, puritatem religionis & reſtitutam & conſervatam eſſe. Itaque illis temporibus, quibus ſacra per Lutherum inſtaurata ſunt, nihil frequentius linguis vel celebratum laudibus, vel cultum ſtudiis fuit: unde viri paſſim extiterunt, quibus poſtea, cum ſtudia illa refrixiſſent, nihil ſimile aut ſecundum provenit. Hinc crebrae, inprimis apud Lutherum, reprehenſiones philoſophiae, ſive potius philoſophantium in ſacris, & libros divinos ſtulta ſapientia ſua, & obtuſa ſubtilitate, vel obſcurantium, vel pervertentium. Quale autem hoc eſt, quod Viri magni, & philoſophiae, doctrinaeque ceterae theologicae ſcientia inſtructi, etiamſi ipſi carebant ſcientia linguarum, tamen in praeceptis interpretandi edendis, linguas & grammaticam diſciplinam commendarunt, non illas diſciplinas, quas ipſi tenebant. Ex quo genere Auguſtinus eſt commemorandus, qui, cum ignoraret, id quod ſatis conſtat, Graecam & Hebraicam linguam, in ceteris diſciplinis omnibus valde verſatus, tamen in L. II. de doctrina Chriſtiana, iſtis linguis, & comparationi juſtae verſionum, ad intelligendas ſacras literas omnia tribuit: philoſophiam autem ad tractanda, ad modum formulamque diſciplinae revocanda, diſputanda, & defendenda ea, quae, intellectis ſacris literis, non aliunde, cognita ſint, requirit. Bene dictum eſt a magiſtris interpretandi, efferendum eſſe ſenſum e ſacris libris, non aliunde inferendum. Enimvero, nonne hoc faciunt ii, qui e philoſophia petitas notiones & ſententias adhibent in interpretatione? non illud contra, qui Grammaticorum more requirunt, quae conſuetudo loquendi cujusque linguae, aetatis, ſcriptorisque fuerit, & hinc ſenſum declarare ſtudent? Tu bene argutaris, verborum ſubtiles definitiones, a magiſtro hauſtas, proponis, hinc demonſtrationum, ſi credere fas eſt, ſeries longas ducis. Quid? ſi quis exoriatur, qui dicat, verba iſta aliud ſignificare? Non tota illa ſubtilis demonſtratio ad nihilum redacta cadet? Tum haec planiſſima via

ad

ad Pyrrhoniſmum eſt in religione. Nam tu bene habes commemorare e compendio doctrinae rationes, propter quas verba ſic capienda putes: exiſtet alius ex alia ſecta, qui, e ſuo compendio omnia alia dicat, & ſimiliter contrarium demonſtret. Quid tu contra dices? non neceſſe erit, ad uſum linguae confugere, ſi quid certi efficere velis, cui cedere ille adverſarius cogatur?

Quare, cum nobis hoc divino beneficio contigerit, ut, inde a repurgatis ſacris, tot praeclari viri elaborarint, ut omnia ſubſidia linguarum copioſe ſuppeterent, quibus recte uſurpandis, poſſimus verum librorum ſacrorum ſenſum plana, perſpicua, facili ac certa ratione indagare ac reperire, grate utamur opportunitate iſta, & beneficio, neque rem recidere ad priſtinam barbariem ſinamus: quod, ſi illa ratio obtineat, neceſſe eſt fieri, ut recte judicat Perizonius in Or. de uſu Graecae & Latinae linguae p. 33. *ſi ſtudium hoc ſcripturae ſacrae penitus intelligendae deficiat, (deficiet autem neceſſario, ſimulac nativus ſermo inſcitiae tenebris jacebit ſepultus) tum vero, quid reſtabit aliud, niſi ut ingenium humanum, quod prorſus otio torpeſcere nequit, ſeſe dedat denuo ſubtilitatibus metaphyſicis, & in rebus nihili, maximo tamen conatu ad inſaniam usque diſputandis ſeſe oſtentet, quae ſuperioribus ſeculis graviſſima fuit fundi theologici calamitas?* Atque hoc tanto magis eſt faciendum, cum hinc etiam alia commoda, expetenda ſane, oſtendantur. Laborant interdum homines, cum aliquid eſt ſcribendum, cum ſpecimen ingenii & doctrinae eſt edendum, protruduntque foetus monſtroſos & ridiculos, nullius certe utilitatis. Non erunt in anguſtiis, atque in hac inopia, ſi viam hanc inſtiterint. Etenim fertilis iſte ager eſt, nec deeſſe illum colentibus materia ſcribendi poteſt, quae legantur a doctis, omnis adeo ſectae hominibus, & probentur, ſintque utilia ad veritatem religionis Chriſtianae retinendam & confirmandam.

D E

DE

DIFFICULTATE
INTERPRETATIONIS GRAMMATICAE NOVI TESTAMENTI.

§. I.

E disputatione, quae nobis ante aliquot annos erat inſtituta *de difficultatibus Novi Teſtamenti recte interpretandi*, ſupereſt pars ea, in qua exponendum eſt de genere difficultatis, quod in Grammaticorum praeceptorum ſcientia juſta & idoneo uſu cernitur. Ea cum deſtinata eſſet Academicae Exercitationi, deſtituta eſt aliquoties ab adverſa fortuna eorum, qui ea in conventu ſtudioſorum diſceptanda experiri ingenium linguamque cuperent. In quo adeo nihil damni paſſa eſt, ut etiam lucri fecerit plurimum. Nacta enim eſt diſceptatorem ac defenſorem juvenem ingenii praeſtantis & ſtudii rectiſſimi, qui per avi clariſſimi, *Gotfridi Olearii*, veſtigia ad Theologi vere eruditi laudem magno gradu contendit. Ceterum, quando tantum intervalli factum eſt, poſtquam priores partes a nobis ſunt explicatae, ſumma eorum, quae ante dicta ſunt, in principio hujus Commentarioli proponenda videtur.

§. II.

Interpretatio Novi Teſtamenti accurata & homine erudito digna, quae non ſit contenta verbum de verbo

bo Latine, aut Germanice, e Lexicis vulgaribus reddere, quod genus ne in humanis quidem, Graecis Latiniſque libris probatur, nec compendiis doctrinae Chriſtianae, quae lumen & auctoritatem ab legitima & accurata interpretatione librorum divinorum accipiunt, non illi addunt, ſed quae idoneis literarum praeſidiis adjuta, ſenſum verum verborum per uſus loquendi veſtigia indaget, repertum accommodate ad cujusque linguae indolem exprimat, rationibus certis e Grammaticorum diſciplinis confirmet, & ἀνανιτῤῥήτως defendat: ea igitur interpretandi Novi Teſtamenti ratio, pluribus, quam in ullo alio Graeco libro, difficultatibus laborat. Earum *primum genus* non inſitum libris ipſis, aut ex indole eorum neceſſario natum eſt, ſed extrinſecus eis a temporum mutatione acceſſit. Nam *primum*, quoad aut hiſtorici argumenti ſunt, aut adſperſa habent quaedam ex eorum, quibus ſcripti ſunt, temporum conditione, opinionibus, moribus, diſciplinis, inſtitutisque, non potuerunt non paullatim, rebus his omnibus commutatis penitus, difficultatis aliquid in intelligendo contrahere: quae eſt in iis major, quam in ceteris libris, quod in his unius fere gentis, velut Romanae, indolem noſſe ſufficit, in illis, quia ſcripti ſunt Chriſtianis, maximam partem Exjudaeis, inter Graecos, ſub Latinorum imperio, viventibus, omnium earum gentium mores, inſtituta publica, & privata, ſacra & profana, opiniones, magiſtratus, diſciplinas ſapientiae noſſe, h. e. Hebraicarum, Graecarum & Latinarum literarum ſcientiam non vulgarem habere neceſſe eſt. Oratio *deinde* ipſa, qua viri divini uſi ſunt, non eſt pure Graeca, id quod nemo, ſatis Graece doctus, dubitare poteſt, ſed plurimum e lingua Hebraica, vel qualis in libris Veteris Teſtamenti eſt, vel qualem tum uſurpabant, traxit, partim formis loquendi ex Hebraicis ad verbum factis, vel ſignificatione verborum ſingulorum non ex uſu bene Graece loquentium, ſed e verbis ducta, quae iis in lingua Hebraica utcunque reſpondere viderentur. Quo genere dicendi viri divini utebantur neceſſariis & idoneis de cauſſis. Nam & ipſi Graecas literas aut non didicerant, praeceptis Grammaticorum Graecorum cognoſcendis, & bonis ſcripto-

toribus Graecis legendis, & exercitatione apud idoneos magiſtros uſurpanda, quae eſt una ratio facultatis recte ac bene loquendi comparandae, propterea, quod in ea vita ac ſorte, qua olim uſi fuerant, ejus rei opportunitatem nullam habuerant, per mores autem Judaicae gentis, ſi vel maxime habuiſſent, ea ne uti quidem auſi fuiſſent: aut, ſi didicerant, quod de uno fortaſſe Luca credere ſinat antiquitas, tamen ab genere orationis bene Graecae abſtinere, & eo potius uti debebant, quod Hebraicam linguam maxime referret, cui etiam ex uſu verſionis Alexandrinae Judaei eſſent adſueti, ne aut offenderent Judaeorum animos, literis Graecis & bene Graece loquendi ſtudio, ut rei profanae & impiae infeſtos (Joſeph. Ant. XX. 11.) quibus etiam pollui res ſacras crederent, aut in obſcuritatem inciderent inutilem, plebejis & indoctis hominibus nullo modo intellecturis, quae bene Graece ſcripta eſſent, praeſertim de religione, & rebus novis. Sed illa ipſa oratio ad Hebraicam ſimilitudinem conformata, quae tum perſpicuitati ſerviebat mirifice, Chriſtianis ei rationi adſuetis, & facile, Graeca Hebraicis comparando, ſenſum eorum adſequentibus, poſtea quam doctrina Chriſtiana propagata eſt ad gentes Hebraicarum literarum plane expertes, magnam difficultatem creavit interpretibus. In illis ipſis *porro*, quae ſatis pure dicuntur, cujus generis ſunt ſane non nimis pauca, difficultas oboritur non levis ex eo, quod plerisque, leviter modo tinctis literarum Graecarum ſcientia, non eſt in promtu, in comparatione eorum cum ſcriptorum Graecorum conſuetudine recte intelligenterque verſari, ut eorum propemodum omnium exempla declarant, qui in hoc genere comparationis, & hinc φράσεως Novi Teſtamenti illuſtrandae verſari voluerunt. Et hae quidem primi generis difficultates a nobis ſunt commemoratae & diſputatae.

§. III.

Alterum genus difficultatis numeravimus, quod ab Interpretum imperitia interpretandi atque inſcitia linguarum ortum eſt. Nam ad interpretandum accedere omni tempore auſi ſunt, atque etiamnum audent, homines plerumque non modo Hebraicarum literarum aut plane rudes, aut non ultra vulgaria Lexica docti, ſed

ſed etiam Graecarum ne mediocri quidem ſcientia inſtructi: quorum illi Graeca ſaepe male e conſuetudine Graecorum pure loquentium acceperunt, hi e verſionibus pendere coacti ſunt, quarum verba dum v. c. e Latinae linguae ratione, aut etiam, quod frequentius eſt, vernaculae ſuae uſu intelligunt, innumerabiles in interpretando diſſenſiones, nunquam illae componendae, errores, atque etiam ineptiae natae ſunt, quales cum in ſcriptoribus profanis non ferantur, in libris divinis, omnium religioſiſſime ac diligentiſſime tractandis, non modo ferri, ſed etiam acriter defendi, profecto vehementer dolendum eſt. Ea difficultas veri in interpretando videndi tanto eſt major, quod verſionibus vernaculis & interpretationibus parum accuratis plerique a pueris, audiendo, legendo, aliisque rurſus tradendo, adſueti ita ſecuri erroris facti ſunt, ut iis nunquam in mentem veniat de earum veritate dubitare, nec quamvis praeclaro ingenio praediti, niſi forte ab admonitu alterius, vitia earum animadvertant.

§. IV.

Tertium genus poſuimus in praeceptionum & obſervationum Grammaticarum juſta ſcientia & multo magis recto uſu. In quo veluti proluſionis loco, multis & idoneis, ut opinamur, rationibus, etiam auctoritatibus magnorum interpretum commemorandis, oſtendimus, eam ſolam veram & certam eſſe interpretationem, ſolam proprie interpretationem dici haberique debere, atque omni tempore a peritis exiſtimatam eſſe, quae grammatica ſit, quae verba ex obſervationibus grammaticorum & praeceptis explicet, & his intellectis rerum ſcientiam conſequatur: qui autem, verborum ſcientia praetermiſſa, & uſu loquendi, qui in verbis dominatur, neglecto aut ignorato, e rebus velint interpretari verba, eos fortaſſe ſine noxa ad ſummam doctrinae Chriſtianae peccare; ceterum peccare tamen ſaepe, interdum turpiter, & cum irriſione intelligentium, philoſophantes ſuper rebus, quarum nihil ſit in verbis: qua ratione nihil poſſit eſſe vanius. Quae etiam exemplis perſpicuis a nobis ſunt illuſtrata. Ceterum, grammaticae interpretationis neceſſitate & quaſi dignitate conſtituta, eorum

rum autem vanitate, qui philoſophantur potius in libris divinis, quam interpretantur, convicta, de difficultate ipſa, reſtat, ut nunc dicamus, non modo univerſa illa, & communi libris omnibus, qui quidem ſcripti ſint lingua ex uſu vitae communis ſublata, praeſertim antiquioribus, quam antea jam attigimus, ſed ea inprimis, quae eſt propria grammaticae N. T. interpretationi.

§. V.

In quo veremur interdum, ne ſint, qui parum prudenter a nobis fieri dicant, cum aperire difficultates hujus rationis inſtituamus, atque augere, quas minuere verbis, & occultare quovis modo debeamus, ut juvenum

aetas improvida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptaque non capiatur.

Atque nos non ſumus ii, qui ignoremus, permultos hoc diſciplinarum doctores profiteri ſolere, facilem ſe ac brevem viam reperiſſe, qua poſſent, qui ſe duces ſequerentur, ad ſapientiam adducere, ejusque profeſſionis veluti eſca allicere ad ſcopulum piſces. Sed nobis ſemper ita perſuaſum fuit, ut iſtos promiſſores, profeſſores volebamus dicere, ſimillimos putaremus iis, qui ſe auri faciendi artem aliis tradituros pollicerentur, cum ipſi nullius rei magis, quam auri inopia laborarent. Nos quidem ſemper putavimus eſſe dignum humanioris diſciplinae liberalitate, ita animum inducere, ut difficultatibus doctrinae commemorandis acueremus atque incitaremus potius bona ingenia, quam tacendis negandisque retineremus tarda atque ignava, quibus tamen ipſis interdum difficultatis cogitatio ſomnum excutit, mallemusque ſimiles eſſe Xenophontiae Virtuti, quae viam eam, cujus ingrediendae auctor eſſet Herculi, denunciabat eſſe longam, aſperamque, quam Vitio, quod Herculem tentabat ἐξαπατᾷν προοιμίοις ἡδονῆς, praefatione ſuavi decipere.

§. VI.

§. VI.

Sed ut ratio totius hujus diſputationis in promtu ſit, age, in principio ſummam ejus proponamus, commemorandis muneribus hujus, de qua nobis ſermo eſt, interpretationis, in quibus magnas difficultates objici docebimus. Sunt igitur partes hujus interpretandi generis hae: de lectione accurata & modeſta κρίσις: intelligendi ſubtilitas, qua poſſis, quid intelligas nec ne, videre, & intelligendi difficultates animadvertere: bene Graecorum & Hebraicorum diſtinctio: utrorumque ſenſus per uſum loquendi & ἀναλογίαν linguarum ſolers indagatio: praeceptionum & obſervationum Grammaticarum accurata ſcientia, & ad eas diligens omnium exactio: tropicorum verborum a propriis cauta diſcretio: emphaſium curioſa inveſtigatio & verarum a fictis diſtinctio: ἐναντιοφανῶν apta & non contorta compoſitio.

§. VII.

Primum ergo locum tenet *accurata & modeſta de lectione loci cujusque κρίσις*. Nam, ut bene *Quintilianus* praecipit (I. 4. *init.*) *enarrationem*, h. e. interpretationem, *praecedat emendata lectio.* Ea autem hodie prope magis neceſſaria eſt, quam ſuperioribus temporibus fuit, poſteaquam tot tamque magna variarum lectionum volumina prodierunt, tot locorum lectiones in dubitationem adductae, tot denique conjecturae de lectione vera prolatae ſunt. Sed haec κρίσις ducitur a Critica, quae, ut in omni alia ſcientia, ita in Grammatica principatum obtinet, unde γραμματικὴ ἀκριβεστέρα veteribus dicta, ſed eadem eſt ceteris muneris Grammatici partibus longe difficilior, quia non modo illarum omnium accuratam ſcientiam uſumque, quarum quippe veluti fundamentis nititur, ſed etiam multas magnasque ingenii animique virtutes deſiderat, ſine quibus ἀκρισία potius, quam κριτικὴ & ſit & habeatur. Enimvero cum unaquaeque ars duabus rebus conſtet, praeceptis & uſu, haud facile dixerim, utra pars in hac Critica arte, inprimis quoad Novi Teſtamenti libris accommodatur, difficilior ſit atque impeditior. Ut primum de praeceptis dicam, quae vel de unaquaque parte apparatus Critici, h. e. libris Graecis,

iisque vel per librarios ſcriptis, vel per typographorum formulas editis, verſionibus antiquis, SS. Patrum vel Commentariis vel teſtimoniis, eorumque omnium auctoritate, judicant, vel lectionis in ſingulis locis deligendae judicium dirigunt: quantae in ea parte difficultates propoſitae ſint, nemo poteſt ignorare, qui aut non admodum eſt eorum ignarus, quae de ea ad hoc tempus eruditiſſimi viri literis prodiderunt, aut ipſe aliquando rei periculum cum cura fecit. Quamquam res ipſa ſatis declarat, majores hic eſſe, quam in ullo humano libro difficultates. Nam quo major eſt librorum ſcriptorum, editorumque, verſionum, Commentariorum antiquorum, ceterorumque teſtimoniorum multitudo & varietas, hoc difficilius eſt ſatisfacere in Canonibus de varietate lectionis, quae ex iſtis fontibus ducitur, ſcribendis, non modo imperitis, quibuscum magna & moleſta hic eſt concertatio, ſed etiam peritis, intelligentibus, & aequis judicibus. De lectione autem deligenda praecipere multo impeditius eſt. Quod fit, cum aliis communibus de cauſſis, tum propter naturam rerum, & dictionis ab auctoribus divinis uſurpatae. Eſt hoc a nobis alio loco demonſtratum, (praef. *Suetonii* p. 13.) judicium lectionis deligendae magis anceps eſſe in ſcriptoribus, quamquam bonis, at non usque quaque tenacibus accurate loquendi legis, quam in antiquiſſimis Graecis & Latinis, quorum aetate nihil dum uſus mutaverat in exquiſita illa loquendi ratione, eamque rem facere, ut ſaepiſſime non liceat cum fiducia in illo judicio verſari. Enimvero, quantopere oratio N. T. recedat a perfectis illis Graecae orationis exemplis, *Platone*, *Xenophonte*, *Demoſthene*, ſimilibusque, & *Origenes*, *Chryſoſtomus*, *Hieronymus*, ut recentiores mittam, dixerunt, & ipſi vident, quicunque bene Graece intelligunt. Itaque nonnulli Canones Critici, quibus in libris humanis antiquioribus & melioribus utimur, converſi adeo ſunt in his ſacris: veluti is, quem certiſſimum putant, cujusque auctoritate in ceteris libris Graecis & Latinis permultae lectiones locum ſuum obtinent, ut e duabus lectionibus ea, quae rectior & exquiſitior ſit, praeferatur ei, quae magis vulgaris, &, aeſtimatione Grammatica, deterior ſit: id quod olim

cum

cum aliis *Origenes* vidit, quos magno numero commemorat *Wetſtenius* Can. VII. & *Eraſmus* ad 1 Cor. XV. 51. probante *Joh. Gerhardo* Loc. Theol. de reſurr. mort. §. 117. poſt hos nuper *Pfaffius* & *Bengelius* VV. CC.

§. VIII.

Quae cum ita ſint, non eſt mirandum, ſi nondum aliquid in hoc genere praeceptorum Criticorum, de Variis Lectionibus univerſis, & earum delectu, proditum habemus, in quo non multa deſideret, qui ſit uſu rei Criticae tritus. Non dicam de *Maſtrichtianis* Canonibus, quibus vulgo acquieſcunt, cum ne numerari quidem debeant: adeo falſi ſunt, & vagi, & perturbate poſiti, qui ad apparatum Criticum pertinent, qui autem ad delectum ſpectant, inutiles. Magna cum diligentia atque etiam verecundia in hoc genere praeceptorum verſatus eſt *Bengelius*, ὁ μακαρίτης, inprimis diligenter uſum Codicum MSS. Patrum, & Verſionum Canonibus conatus definire: ſed in delectu lectionum lapſus eſt vir eximius, primum Codicis Alexandrini reverentia, in quo ille non videbat eſſe Graecum contextum ad verſionem Latinam innumeris locis refictum, deinde negligentia rerum & verborum, ſolis ſtare jubens iis, quos de libris eorumque auctoritate ſcripſerat, Canonibus: cum lectionis antiquitas ſine bonitate, quae ſenſu & Grammaticis praeceptis aeſtimatur, valere non poſſit, aut debeat. Quid dicam de *Wetſtenio*? qui cum regnare in hoc genere voluerit, tamen nullo modo ſatisfacere poteſt, non dicam imperitis, & huic Criticae rationi propter inſcitiam prorſus inimicis, ſed intelligentibus. Nam ut mittam, eſſe pauciores, & non ſatis diſcrete poſitos: quam vagi & parum definiti, atque hanc ipſam ob cauſſam inutiles ſunt hi (n. 17. 18.) *Lectio quae vetuſtior eſſe probatur, ceteris paribus, praeferenda eſt: Lectio plurium Codicum, ceteris paribus, praeferenda.* Etenim illud *ceteris paribus* obſcuram rem & incertam reddit, efficitque, ut nihil aliud dixerit, niſi hoc: *Lectio vetuſtior & plurium Codicum interdum praeferenda eſt, interdum negligenda.* Quo quid poteſt eſſe futilius? Quid? quam audax ille & temerarius eſt? (n. 19.) *Nihil prohibet, lectionem, a typis edita & vulgo recepta*

diverſam, in textum recipere, non tantum ubi idoneis argumentis aſſeri poteſt, verum etiam ubi adhuc dubitatur, utra utri ſit praeferenda. Quis enim non videt, quanta poteſtas detur hac lege cujusvis vel libidini vel inſcitiae in contextum vulgatum, quae nec in humanis libris ullo modo conceditur.

§. I X.

Omnium, quos quidem cognoverimus, optime in hac ratione univerſa verſatus eſt *C. M. Pfaffius*, illuſtris doctrinae Theologus (*de Var. Lect. N. T.*) Nam & utrumque genus praecipiendi diſtinxit, & praecepta lectionis deligendae ſcripſit bona ſane & utilia. Sed tamen, ſi quis ad uſum ea conferre conetur, qui in hoc judicandi genere aliquid facultatis & ἀγχινοίας exercitatione conſecutus ſit, interdum ſentiat ſe deſtitui. Quod fit hac de cauſſa, quod ea praecepta interdum non ſatis ſunt definita: quae tamen res una maxime praecepta omnium rerum ad uſum apta reddit. Neque enim ſine exceptione verum eſt, quod primus ſtatim Canon ſancit, *ut lectio vetuſtiorum Codicum aut plurium praeferatur lectioni recentiorum aut pauciorum.* Nam recentiores Codices interdum e melioribus exemplis ducti ſunt, quam vetuſtiores, praeſertim in his, de quibus nobis ſermo eſt, libris, quorum vetuſtiſſimus quisque Codex fere eſt ad verſionem Latinam refictus: & in omni genere librorum ſaepe unius Codicis lectio praefertur recte lectioni ceterorum librorum omnium, ut ſciunt, quicunque aliquem uſum rei Criticae habent, & vel in uno vetere ſcriptore cujusque lectionis fontes indagarunt. Neque ſatis circumſcripte praecipiuntur iſta (n. 3. 5. 6.) *allegationes Patrum, textus Hebraicus V. T. verſio Septuagintaviralis ſaepius oſtendunt genuinam lectionem:* e quibus certe nemo aliquo in loco audeat cum fiducia decernere. Neque enim characterem veritatis exhibent certum, cujus velut anſa deprehendi loco quoque poſſit, ſed meram aliquam generalem, ut hoc verbo utar, poſſibilitatem verae lectionis per eas vias reperiundae declarant, quae in nulla re ad agendum, ad judicandum ac decernendum, ſufficit. Quod ſi *C. B. Michaëlis*, Theologus primarius, univerſam rem ſuſcipere & explicare voluiſſet, eſſet fortaſſe, ut haberemus, quod parum

a

a perfectione abeſſet. Nam in libello, quem *de Variis Lectionibus N. T.* ante hos ſeptem annos edidit, de variarum lectionum fontibus, & ſingulis lectionibus per ſe judicandis & aeſtimandis, ita diligenter rem egit, praeſertim in parte ea, quae eſt de Codicibus e Latina verſione interpolatis, itemque de lectionibus Verſionum, cum omnium, tum maxime Orientalium, ut omnes ſuperiores longe ſuperaverit. Enimvero cum partem hujus criticae praeceptionis alteram, difficilioremque, quae eſt de comparatione generum lectionis omnium, deque delectu & judicio in ſingulis locis, qua adjuti poſſemus de veritate lectionis judicare, & refellere male judicantes, eam igitur partem cum non attigerit, ne hoc quidem quamvis praeclaro libello res eſt confecta.

§. X.

Quod ſi haec quoque pars ita diligenter & definite ſcriptis legibus conſtitueretur, ut nihil deſiderare idonei judices poſſent: tamen multae & magnae difficultates relinquerentur in ipſo praeceptorum uſu, qui ſemper longe difficilior eſt praeceptis ipſis. Nam haec praecepta tamen verſantur in re conjecturali, neque eam neceſſitatem habent, ut non interdum ab iis diſceſſio facienda ſit. Atque etiam in hoc judicio, ut in ceteris ſcriptoribus antiquis, ſic in his divinis, deſideratur naturalis quaedam ἀγχίνοια, eaque hominis probi & veritatem amantis, lectione & uſu multo adjuta, quam prope plus valere putem canonum ſubtilitate. Ea autem quam raro contingat hominibus, quam a paucis, ſi contigerit, eo quo diximus modo, alatur & acuatur, quis ignorat? Quid? quam ſaepe turbas facit & moleſtus eſt ſuſceptae cujusdam falſae opinionis amor, quam dum dimittere nolunt homines, vel in rebus manifeſtis aut coecutiunt, aut argutantur, omni modo ad eam accommodare omnia tentantes, ut in *Wetſtenio* nuper, multisque aliis ſaepe vidi. Diffident etiam plerique hominum ab ſemet ipſi, in ſingulis locis repudiantes, quod praeceptis univerſis probarant, aut univerſe rejicientes, quod in multis locis ipſi ſequuntur. Quibus rebus omnibus, aliisque pluribus, quae commemorare ſuperſedemus, efficitur id, quod volebamus, ut in nullo alio libro aeque diffi-

difficilis ſit de lectione accurata *κρίσις*, quam in his ſacris.

§. XI.

Alterum boni interpretis munus, quod praecedat interpretationem ipſam, facimus *intelligendi* quandam *ſubtilitatem*, cujus haec vis ſit, ne decipiatur in eo, ut ſe intelligere putet, quae non intelligat, ſed ubique plane videat, an ſatis intelligat verba divinorum auctorum. Ea ducitur partim ab εὐφυΐα & ingenii dexteritate: nam ut quisque eſt natura ſtupidior, ita facilius ſibi videtur intelligere, quae non intelligit: partim ab diligentia & conſuetudine diſcernendi ſonos verborum ab eorum poteſtate, quae non & ipſa aliis verbis, inprimis aeque obſcuris, aeſtimetur, ſed conſcientia idearum animo obverſantium. Haec ſubtilitas intelligendi univerſa quomodo comparetur, & quibus exercitationibus teneatur & acuatur, in Dialecticis praecipimus, in libris autem legendis, qui lingua non vernacula, praeſertim antiqua & ex uſu vitae ſublata, ſcripti ſint, quomodo ab ea parte fraudem cavere, & certo ſcire poſſimus, an intelligamus nec ne, quamquam etiam praeceptis, tamen maxime uſu aſſiduo & exemplis docemus, quae eſt via planiſſima atque certiſſima. Nunc autem praecepta non ſcribimus. Sed haec intelligentia perdifficilis eſt in comparando, vel propter exercitationis difficultatem, quae objicitur ex inſito ingenii humani vitio, omnia ad ſenſum revocandi, & naturali tarditate, in animo ab ſenſibus, hic quidem, aurium avocando, & ipſis exemplis rerum animo contuendis. Itaque ſubinde etiam doctisſimis accidit, quod *Caſaubono*, ut alias dixi: qui ſe querebatur ſaepe deceptum eſſe in hoc genere, cum ea, quae facillima intellectu eſſe putarat, & a ſe plane intellecta, non intellecta animadverterit tum, cum planis & perſpicuis verbis eorum ſententiam aliis explicare tentaret. Hoc ſi accidit doctisſimis & in eo genere exercitatiſſimis, quid eventurum putamus vix mediocriter doctis, & parum ad hanc ſubtilitatem exercitatis, quales ſunt plerique, qui hoc librorum ſacrorum interpretandorum negotium attingunt? praeſertim cum alia & propria cauſſa accedat ex eo, quod facilius nobis hic perſuademus, a nobis intelligi, quae non

non intelligimus, propter familiaritatem, quam aures cum ſonis verborum a pueritia contraxere. Atque etiam vehementer luminibus officit Graeca Latine ad verbum vertendi conſuetudo, contra conſuetudinem bene, h. e. perſpicue, Latine loquendi, quae in verſionibus Latinis Graecorum ſcriptorum tolerata olim, cum nondum longe progreſſi eſſent plerique Graecarum literarum ſcientia, hodie prorſus repudiata, (quis enim ferat βίην Ἡρακλείην, μέτρα θαλάσσης, χλωρὸν ἀδάμαντα, verti *vim Herculanam*, *menſuras maris*, *viridem adamanta*, quae olim in verſionibus erant, & innumera his ſimilia) adhuc non dicam toleratur, ſed prope conſecrata putatur in libris ſacris. Unde fit, ut difficillimum ſit, ſibi ab iſtis fraudibus cavere. Millies amplius hoc expertus ſum in juvenibus boni ingenii, nec rudibus literarum, cum locum aliquem Graecum interpretati eſſent, verbum de verbo vertendo ex auctoritate Lexici, & aut bene Latine dicere juſſisſem, quae intelligere ſe putarent, (neque enim certius ſignum eſt non intellectorum verborum, quam, ſi quis non poteſt alia lingua, quam calleat, bene exprimere, v. c. Graeca non bene Latine (*), aut alia interrogandi veluti tormenta ingeniis eorum admoviſſem, quam tarde homines in talibus redigerentur eo, ut ſe non intelligere ſentirent & faterentur, quod ſe intellexiſſe crediderant. Quorundam etiam locorum interpretationes, etſi non alienae a ſumma doctrinae Chriſtianae, falſae tamen & parum accuratae, ita vulgatae ſunt, ut hominibus vulgo non veniat in mentem dubitare, quin planiſſime intelligant: in quibus ſane difficile eſt, animadvertere inſcitiam ſenſus veri, cum perfacile foret, ſi facile eſſet animum a conſuetudine diuturna liberare.

§. XII.

Sequitur *bene Graecorum ab iis diſcernendorum facultas, quae conſuetudinem Hebraicam imitantur, vel in ſingulorum verborum ſignificatione, vel in conjunctis & univerſa orationis forma.* Nam genus orationis in libris N. T.

(*) Bene Caſtellio ad 1. Petr. IV. 6 *hunc locum non intelligo, ideoque ad verbum tranſtuli.*

N. T. eſſe e pure Graecis, & Hebraicam maxime conſuetudinem referentibus verbis formulisque dicendi mixtum, id quidem adeo evidens eſt iis, qui ſatis Graece ſciunt, ut plane miſericordia digni ſint, qui omnia bene Graeca eſſe contendant. Ejus autem muneris neceſſitas major eſt, quam vulgo videtur. Nam, ut non dicam, criſin eam, de qua ante dixi, ſine hac criſi ſaepenumero recte procedere non poſſe (*): interpretationes exoriuntur ſaepe mirabiles, contortae, atque etiam noxiae, ut praeclare vidit *Werenfelſius*, Theologus Baſileenſis nuper, elegantiſſime doctus, (Opp. Theol. p. 358.) ſi, quae ex Hebraica conſuetudine dicta ſunt, e Graeca intelliguntur. Alio loco reprehendimus eum, qui δοῦλον Ἰησοῦ Χριστοῦ ex Inſtitutionibus Juſtiniani interpretatus erat, cum miniſtrum Chriſti, legatum, ex Hebraiſmo ſignificet, per quem duces belli & imperatores, conſiliarii principum ac regum, eorum δοῦλοι vocantur, itemque eos, in Anti-Muratorio, qui φόβον Graeco ſenſu acceperant, ubi ex Hebraeorum more de reverentia & modeſtia dictus erat. Verba ἀδελφῆς γυναικὸς in prima ad Corinthios epiſtola IX. 5. ſi e linguae Hebraicae conſuetudine de uxore Chriſtiana intellecta, & ſic in verſione Latina expreſſa fuisſent, quantum mali vitatum fuiſſet! Sed cum Graeci e ſua loquendi conſuetudine acciperent (*Clemens Alex.* Strom. III. p. 448.) pariterque Latini, exortae ſunt & invaluere συνείσακτοι, fruſtra ſe opponentibus probis, velut auctore libri de *ſingularitate Clericorum*, qui inter *Cypriani* libros editur, quae *fratrum ſororumque* nomine ad libidines ſuas tegendas abuterentur, quod malum etiam Conciliorum decretis corroboratum, ſero de-

(*) *C. M. Pfaffius* V. Cel. de Var. Lect. N. T. p. 196. illuſtraturus Canonem, *Lectio, quam contextus requirit, eſt approbanda*, affert exemplum e Matth. V. 47. Ἐὰν ἀσπάσησθε τοὺς ἀδελφοὺς ὑμῶν μόνον: ubi libri quidam exhibent φίλους. Ipſe judicat ἀδελφοὺς praeferendum: bene: ſed propterea, quia jam v. 46. de amicorum amore dictum: quamobrem φίλοι hic locum habere nequeant, cum dicendum eſſet, φίλοι redolere gloſſam hominis, qui verbum Hebraica ſignificatione poſitum interpretari vellet.

demum oppreſſum eſt: de quo late egere *Dodwellus* Diſſ. Cyprianic. III. & *Muratorius* peculiari Diſp. in Anecd. Graecis: qui p. 230. recte conjicit, id malum e prava Paullini loci interpretatione natum eſſe. Et eorum generum ſunt multa, quae hic commemorare non ſinit inſtitutum noſtrum, quod difficultatem rei, non neceſſitatem explicare jubet. Itaque admonuiſſe hoc loco ſuffecerit

§. XIII.

Sed hoc judicium perdifficile eſt duabus maxime de cauſsis: quarum altera eſt, quod perpauci eam Graecae linguae facultatem habent, ut, quid pure Graecum ſit, judicare poſſint. Neque enim eſt ejusmodi, ut comparari poſſit brevi illa & plerumque parum accurata inſtitutione in ſcholis iis, unde ad majorum diſciplinarum ſtudia veniunt adoleſcentes; in qua tamen plerique acquieſcunt. Familiaritas quaedam cum Graecis ſcriptoribus contrahatur neceſſe eſt, eaque interior, quae ad linguae ejus indolem, & quoad ſingula veluti membra, & quoad ſtructuram copulationemque membrorum, penitus ſpectandam cognoſcendamque aditum faciat. Ea vero quam poſt longum demum tempus atque uſum detur, ſciunt omnes, qui eam contraxere. Quod ſi quis vel maxime tantum ſcientiae conſecutus ſit, tamen multum difficultatis relinquitur ex alia cauſſa. Hebraice Graeceque doctiſſimi fuere in vetere Eccleſia, id quod omnes ſciunt, *Origenes* & *Hieronymus*. Et tamen uterque in hoc genere ſaepe parum acute vidit, quod intelligitur e Commentariis utriusque & Scholiis veteribus in N. T. quae maximam partem ex Origenianis σημειώσεσι, quae nihil erant, niſi Scholia brevia ad ſenſum literalem explicandum pertinentia, fluxerunt, itemque e *Chryſoſtomi* commentariis, ex eodem haud dubie fonte natis: in quibus multa e Graeca conſuetudine explicantur, quae ab Hebraica repetenda erant. Quam multi poſt renatas literas, & editos Graecos N. T. libros, in hoc laborarunt, ut, quae ex Hebraica lingua ducta eſſent in verbis formisque loquendi, libris & commentariis prodita explicarent: in quo etiam interdum exceſſiſſe modum putantur *Druſius*, *Grotius*, *Gatakerus*, *Vorſtius*, & alii, ab Hebrai-

braica conſuetudine repetendis, quae bene Graeca eſſent, idoneisque auctoribus uſurpata. Et tamen doctiſſimis viris viſa res eſt nondum exhauſta, (v. *Werenfelſius* l. c.) multaque profecto ſuperſunt, quae e Graeca ratione accipiuntur, cum ex Hebraica debeant. Ille ipſe *Caſtellio*, Hebraice, Graece, Latineque doctiſſimus, qui N. T. libris pura Latinitate exprimendis tantum ſibi quondam invidiae contraxit, exiſtimaturque etiamnum interdum exceſſiſſe modum in puritatis conſervatione, tamen non uno loco Graecam verborum poteſtatem pro Hebraica nobis expreſſit, ubi nec novitas rei, Graecis incognitae, nec characteris conſervatio, aut argumenti ipſius ratio poſtulabat, ut in verbis κόσμου, εἰρήνης, φόβου, σαρκὸς, πνεύματος, ἐκλογῆς, & aliis pluribus. Quod & ipſi & aliis nulla alia, ut opinor, de cauſſa accidit, quam propter aſſuetudinem diuturnam e veteris Latinae interpretationis, librorumque a veteribus pariter ac recentioribus Theologis ſcriptorum lectione. *Tanta vis eſt conſuetudinis*, inquit *Auguſtinus* de verbis & locutionibus ſacrarum literarum ignotis praecipiens (de Doctr. Chriſt. II. 14.) *ut qui in Scripturis Sanctis* (de Latina interpretatione loquitur) *quodammodo nutriti educatique ſint, magis alias locutiones mirentur, easque minus Latinas putent, quam illas, quas in ſcripturis didicerunt, neque in Latinae linguae auctoribus reperiuntur.* Eadem ergo conſuetudo facit, ut in verbis permultis Hebraismum non facile, niſi valde attendamus, in eoque multum nos exercuerimus, advertamus, nec perſpicue cogitemus, aut ſaltem Latine exprimamus, quod menti divinorum ſcriptorum primorumque lectorum obverſabatur in iſtis verbis, ſed quod Graecis, Hebraismi expertibus. Unde ſaepe oritur aut obſcuritas, aut ambiguitas inutilis, ut bene vidit idem ille *Auguſtinus* in praeſtantiſſimo de Doctrina Chriſtiana libello II. 13. 14. bono interpreti maxime cavenda.

§. XIV.

Hanc difficultatem excipit alia, eaque maxima, quae occurrit in eo, ſi utriusque generis, & pure Graeci & ſemihebraici *vim veram & poteſtatem* interpres *indagare per uſum loquendi*, ἀναλογίαν *linguarum, aut alia Grammaticorum artificia*, inſtituat: quae ratio cum tota referatur

ad

ad uſum loquendi, qui obſervationibus prope innumerabilibus continetur, vel ſic intelligitur, quanta hic difficultas omnibus veterum librorum interpretibus proponatur. Sed nobis jam de N. T. interpretatione diſputatio eſt. Non eſt neceſſe, multa dicere de pure Graecis, quorum intelligentia non nimis difficilis eſt ei, qui ejus linguae ſcientiam idoneam attulerit. Atque etiam non admodum multa ſunt in hoc genere, quae non ſtudio & diligentia Interpretum & Philologorum explicata & illuſtrata ſint; ſi quis modo judicium adhibere poſſit, & bona a malis aut inutilibus diſcernere. Etenim non eſt negandum, inter eos, qui libros N. T. e libris Graecorum illuſtrare conati ſint, eſſe perpaucos bonos, & cum *Raphelii* diligentia & judicio comparandos, in quo tamen ipſo multa non probem, plerisque hanc partem aggreſſis, qui aut non ſatis docti eſſent, aut quid utile ad intelligendum, quid inutile, quid conveniret verbis ſacrorum ſcriptorum, quid abhorreret, non ſatis eleganter judicare poſſent, ſed quicquid qualemcunque cum aliquo verbo aut genere dicendi conjunctionem haberet, in Commentarios referentibus: unde mihi ſaepe accidit, ut totis voluminibus, etiam Elsnerianis illis, perlectis, oppido paucas obſervationes me reperiſſe intelligerem, quae vere ad intelligendum prodeſſent, cum cetera in Lexicon potius conjici, quam pro interpretationibus, aut obſervatis ad intelligendum interpretandumque utilibus poni debuerant. Haec ipſa cum ſcriberem, aliqua de cauſſa conſulenti *Wetſtenii* Var. Lect. in primae Petri epiſtolae III. 21. incidit in oculos nota ad praecedentis commatis verba: εἰς ἣν (κιβωτὸν) ὀλίγαι ψυχαὶ διεσώθησαν. Ecce Philologus longam ſatis notam addidit ad illa verba illuſtranda, in qua poſuit plurima loca talia, in quibus forma haec occurrit, διασώζεσθαι εἰς τόπον τινά· quae omnia ſunt aliena & inepta. Nam in iis hanc vim habet, *e periculo ſervatum in locum aliquem pervenire*, cum Petrina verba ſignificent, *in qua arca perpauci homines ſervati ſunt.* Et ejus generis prope innumerabilia in iſto opere, aliisque ſimilibus notavi. Igitur in hac quidem parte prope major difficultas futuro interpreti exoritur a male ſedulis ſcriptoribus, quam a verbis ſacrorum libro-

brorum ipſis. Et quoniam in hac parte etiam Gloſſariorum veterum quidam uſus eſſe putatur: inde quoque difficultas quaedam naſcitur, quod eorum uſus, ut in omnium veterum librorum, ſic in N. T. interpretatione, multas & magnas cautiones habet: de quibus quoniam ſatis dictum eſt in Diatribe noſtra de Gloſſariorum Graecorum in interpretatione etiam N. T. legitimo uſu, eadem hic diſſerere nihil attinet. Sed majores tamen & plures ſunt in indagando ſenſu eorum, quae non pure Graeca ſunt, quorum vis & ſignificatio ex Hebraicis fere literis peti debet.

§. XV.

Etenim ſenſus ita indagandi primaria & latiſſime patens ratio eſt ea, quae *verſionis V. T. Graecae*, quam Alexandrinam appellamus, *comparatione* utitur. Nam ea fere docet, quibus verbis Graecis exprimi conſueverint Judaicae nationis ac religionis homines vocabula & loquendi genera Hebraica, quae quidem in Hebraico ſacrorum librorum Codice occurrunt: unde eruditiſſimi viri hinc maxime dictionis Graecae, in N. T. uſurpatae, intelligentiam petendam judicant ac demonſtrant: fatendumque eſt, ab eo tempore plurimum lucis ei eſſe affuſum, ex quo hinc ejus intelligentia & interpretatio peti coepta eſt, eoque nomine *Grotius* laudatur merito, qui in ea quidem boni interpretis parte omnes ſuperiores longe ſuperavit. Sed in ea ratione multiplex difficultas ineſt, praeſertim in principio, & ſi quis in hoc genere rerum, in interpretando, & notionibus verborum inveſtigandis, non ſit bene tritus, aut cupiditate aliqua opinionis alicujus defendendae, & antecaptis ſententiis imbutus acceſſerit. Itaque ſaepe eruditiſſimi viri in ea perſequendarum ſignificationum ratione, interdum etiam turpiter, lapſi ſunt. Id quam ſaepe acciderit *Dan. Heinſio* in Exercitationibus ſacris, & *Salmaſius* multis exemplis, quae ſaepe vix ſine riſu cognoſcere licet, in libro de Foenore trapezitico, v. c. pag. 805. docuit, & talibus judicandis idoneus lector facile ipſe notabit. Et fuit in *Heinſio* illo ſumma doctrina, ſed ingenium difficile ac durum, quod ejus viri interpretationes prope omnes redolent, neſcio quid contorti habentes, quo oculi prope ipſi mihi ſaepe doluerunt. Atque ſimilia,

milia, etſi parcius ac rarius, excidiſſe etiam iis, qui alias recte uſi eſſent, animadverti.

§. XVI.

Ejus rei cauſſae ſunt ſane multae & variae. Primam numeraverim hanc, quod nondum quisquam, quod ſciam, hujus comparationis artificia, & inde eruendarum ſignificationum modos, leges, cautiones, diſtincte & definite explicavit. Nam etſi magna ingenia, & in interpretando valde exercitata, non deſiderant praeceptorum auxilia: tamen iis valde opus habent mediocria, aut quicunque non poſſunt prope toti in interpretando eſſe. Atque equidem non ignoro, in eorum libris, qui ea ratione bene uſi ſunt, maxime in *Gatakeri* praeclaro adverſus *Pſochenium* opere, cui in hoc genere primae debentur, quasdam obſervationes, huc pertinentes, easque veriſſimas & utiliſſimas, reperiri, quas mihi profuiſſe libens fateor: ceterum nec ſufficiunt, nec quisquam eas in unum locum collectas & ſupplementis neceſſariis auctas dedit. Nam qui de utilitate ac neceſſitate verſionis illius ad φράσιν N. T. intelligendam dixere, ut *Pearſonius* in Paraeneſi, Verſionis Alexandrinae editioni Britannicae praemiſſa, *Keuchenius* in praef. Annot. ad Eu. & A. A. *Michaëlis* ὁ μακαρίτης, ſive *Henkius* in peculiari Commentariolo Academico, aliique, quos nos quidem cognovimus, nihil aliud egere, quam ut eam utilitatem exemplis quibusdam demonſtrarent. Enimvero non multi ſunt, qui exempla revocare poſſunt ad praeceptorum ſubtilitatem, & ex iis univerſam rei bene adminiſtrandae rationem colligere. Sed eſt hoc prope totius vulgaris hermeneuticae vitium, ut magis decreta de natura & ſenſu verborum in genere, quam praecepta ſenſus inveniendi & dijudicandi proponat, aut per exempla rem expedire tentet, in quibus ſine certis & perſpicuis praeceptis nihil certi eſt. Itaque ſperamus nos de ſtudioſis ſacrarum literarum bene merituros, ſi eam rem accuratius expedierimus: quod faciemus in Iſagoge ad Interpretationem N. T. quam D. V. edemus.

§. XVII.

Alia cauſſa, valde lubricam hanc comparationem & difficilem efficiens, eſt in *modo interpretandi*, quo A-

Alexandrini illi ſubinde ſunt uſi, *etiam vitiis*, ſive *ab varietate lectionis*, quae vel in Codice ipſorum vel mente eſſet, ſive *ab inſcitia* natis. Qui verſionem illam Graecam diligenter cum Hebraico exemplo contulerunt, primum ignorare non poſſunt, interpretes illos ſaepe vage expreſſiſſe verba Hebraica, contentos, utcunque ſenſum reddidiſſe. Ea res multos ſaepe decepit in hac comparatione, & conſuetudinis N. T. inde cognoſcendae ſtudio. Unde ortae ſunt interpretationes contortae & frigidae, nec ullo modo probandae: in quas tanto facilius incidit quisque, quanto eſt hujus artificii uſurpandi, & hinc aliquid lucis adferendi N. T. φράσει cupidior, ut ille φιλόθηρος, qui cum feras venari non poſſet, muſcas inſidiis captabat. Exempla nobis ſuppeditet, qui in hoc genere ſaepe peccavit, *Keuchenius*. Formam סָכַר בְּיַד vel סָגַר οἱ ὁ modo συγκλείειν ἐν χειρὶ, modo παραδιδόναι εἰς χεῖρας verterunt. Quid inde ille? Nempe verbum παραδιδόναι Actor. VIII. 3. παρεδίδου εἰς φυλακὴν, non modo *tradere* ſignificat, ſed etiam *includere*. Job. V. 21. in מִשּׁוֹד *a vaſtatione*, Graeci interpretes genus expreſſere ἀπὸ κακῶν. Ergo Act. IX. 13. in verbis ὅσα κακὰ ἐποίησε τοῖς ἁγίοις, κακὰ ſignificat *vaſtationem*. Pſ. XLIV. 27. חַסְדֶּךָ vertitur ὄνομά σου, & Eſ. XLII. 4. לְתוֹרָתוֹ ὀνόματι αὐτοῦ. Quid ergo? ὄνομα θεοῦ ſignificat benignitatem & miſericordiam divinam, itemque religionem & cultum Dei, & doctrinam de Deo, Euangelium, Act. IV. 15. 16. XXVI. 9. (pag. 60. 174.) In 2 Paral. XXXVI. 1. verbo: יַמְלִיכֻהוּ *regem eum creavere*, in Graeco reſpondent: Καὶ ἔχρισαν αὐτὸν καὶ κατέστησαν αὐτὸν βασιλέα. Inde mirifica extunditur obſervatio ad verba Act. II. 36. Χριστὸν αὐτὸν ἐποίησε. Vox Χριστοῦ notat, inquit, *evectum ad ſummam* i. e. regiam *dignitatem*. In quo deceptus eſt etiam negligentia comparandorum librorum, qui docent, illius loci lectionem eſſe incertam: cum Alexandrinum exemplum habeat ſolum ἔχρισαν αὐτὸν εἰς βασιλέα. Libri antiqui variaſſe videntur inter ἔχρισαν & κατέστησαν: unde factum, ut utraque lectio in contextum veniret, quod genus, διττογραφούμενα

μωνα vocamus, ſaepe in libris antiquis occurrit, atque etiam in hac verſione, in qua interdum integri verſiculi duplex & diverſa interpretatio reperitur. Et, ut hoc obiter addam, quosdam mirifice in hac ratione deceptos vidi ex eo, quod varietatem exemplorum non inſpicerent. Subinde Graeci illi עֵמֶק & בִּקְעָה vertunt πεδίον. Inde nos *Keuchenius* jubet credere, Luc. VI. 17. τόπον πεδινὸν eſſe *vallem:* quod eſſe poteſt, ſed non eſt neceſſe: nec ſatis argumenti eſt in illa τοῦ ὁ ratione, cum omnis vallis πεδίον dici poſſit, non ſtatim omne πεδίον ſit vallis. Unum addamus Eccleſ. VII. 17. סָכָל in Graeco ſibi reſpondens habet verbum σκληρός: in quo illi aberrarunt, toto contexto deſiderante ſtultitiam atque ſtuporem: quippe τὸ *cave tibi a ſtultitia*, e contrario reſpondet praecedenti, *ne nimis ſapiens eſſe velis:* niſi σκληρὸς e μωρὸς factum eſt librariorum fraude. Ecce noſter, eo loco fretus, Matth. XXV. 24. ubi ſervus Dominum appellat σκληρὸν ἄνθρωπον, etiam *ſtultitiam* Domino objici ſtatuit. Enimvero *Keuchenius* ille, ut e praefatione opuſculi patet, viderat viam univerſam hujus artificii, ſed diverticula, quae habet illa non pauca & fallacia, non cavere didicerat, & forte etiam ab ingenii quadam difficultate debilitabatur. Sed hujus generis vitia in eo, de quo ante dixi, *Heinſio*, aliisque permulta animadverti.

§. XVIII.

Quod ſi in locis ſanis, & ſenſum Hebraicorum utcunque ſervantibus, conſuetudinis interpretandi inſcitia homines decipit, quid futurum putamus in iis, in quibus interpretatio ab exemplo Hebraico aberrat quacunque de cauſſa, id quod permultis locis fieri, nemo eſt, niſi plane in hoc genere rudis, quin ſciat. Atque eam difficultatem augent eae, quas Concordantias vocant verſionis illius, quales *Kircheri* & *Trommii* opera congeſtas habemus: in quibus ſe profitentur hoc etiam egiſſe, ut uſum illius verſionis in interpretatione N. T. adjuvarent. Etenim illi hoc ita fecerunt, ut eis omnia interpretum talia peccata inferrent: quae aut ſemovenda erant penitus, aut ſeparatim ponenda, unumque in locum congerenda, ne fraudi eſſent iis, qui tali de cauſſa eos indices con-

conſulerent. Quod eſt in *Trommio* hoc magis reprehendendum, quod ille praefatione p. 5. profitetur, ſe ea, quae cum Hebraicis plane nihil commune haberent, ſed aut merae paraphraſes eſſent, aut plane alium ſenſum funderent, tanquam ἄπορα praetermiſiſſe: cujus profeſſionis veluti inſidiis quam facile minus exercitati ac periti capi poſſunt, cum talia ſint in illo opere prope innumerabilia: ut ſub verbo ἀδίκως תָּמִים, צַדִּיק, בְּלִי לְבוּשׁ, ſub τὸ ἄδικον, דָּבָר (e Gen. XIX. 8. bene Graece ille locus vertendus erat μηδ' ὁτιοῦν, *nihil quicquam feceritis iſtis viris:* οἱ ὁ ſenſum ſecuti, expreſſere μὴ ποιήσητε ἄδικον) ſub ματαίως, לְחִי, cum Graecum ei vocabulo reſpondeat loco tantum, non ſenſu, & interpres aliud habuerit ſive in libro, ſive in animo verbum, aut ſenſum tantum utcunque voluerit exprimere, ſive ἐξηγητικῶς illud ματαίως vel ipſe addiderit ex aliis Pſalmorum locis, vel e marginis notula librarius. Atque ego notavi, talibus aliisque Kircherianarum Concordantiarum peccatis, vel vitiis editionis Francofurtenſis, in fraudem inductos eſſe doctiſſimos viros, quos nominare non eſt neceſſe.

§. XIX.

Atque etiam interdum conturbatos vidi egregios viros a *varietate interpretandi.* Etenim Interpretum illorum inconſtantia haec fuit, ut Hebraica interdum bene Graece exprimerent, interdum ad verbum h. e. iis Graecis vocabulis, quae maxime, aut proprie, verbis Hebraicis reſpondere viderentur, ut cum צדקה eſſet maxime id, quod Graecis δικαιοσύνη, id verbum eodem vocabulo expreſſere, ubi Hebraicum aliter poſitum erat: de qua ratione duplici jam a nobis eſt monitum in proluſione de difficult. Int. N. T. p. 13. Haec duo genera non facile eſt plerisque accurate diſcernere. Unde fit, ut v. c. δικαιοσύνην Graecam teneant, ubi Hebraica, veluti benignitas, beneficium, intelligenda erat. Ex quo eadem vitia oriuntur, quae ea verbi hujus Graeci ratio in N. T. interpretatione interdum gignit, eadem verſionis hujus ad intelligenda N. T. verba conferendae difficultas exiſtit. Non piget

get proponere exemplum aliud, in quo tamen nihil Hebraici moris ineſt, ſi forte loco inſigni aliquid lucis affundere poſſimus. In 1 Cor. XV. 55. verba πȣ͂ σȣ θάνατε τὸ κέντρον; πȣ͂ σȣ ᾅδη τὸ νῖκος; quae ſunt ex Hoſ. XIII. 14. mirifice torſerunt Interpretes, quod ea cum Hebraica pariter atque Graeca Alexandrinorum Interpretum conſuetudine non ſatis accurate conferrent. Dicam de uno verbo κέντρον, quod e Graecorum more vertunt *ſtimulum*, cum ex Alexandrini Interpretis conſuetudine debeant *plagam*, vel *perniciem*, *exitium*. Nam exprimit apud Hoſeam קֶטֶב quod hanc vim habet. Atque in eodem Hoſea V. 12. idem verbum exprimit רָקָב, quod eſt proprie *putredo*, *putrefactio*: ubi contextus facile docet, dici de morbo exitiali, qui ſanari non poteſt, eſtque adeo dictum ibi, de *peſtilentia*, aut re ſimili. Atque etiam τῷ κέντρῳ mox reſpondet ὀδύνη, ubi in Hebraico eſt מֻזוֹר *purulentum & inſanabile vulnus* vel *ulcus*. Idemque verbum קֶטֶב alibi Deuteron. XXXII. 24. vertitur *morſus inſanabilis*, quo verbo uſus eſt Vulgatus apud Hoſeam in voce κέντρȣ. Act. XV. 1. junguntnr ςάσις & συζήτησις. Poterant prodeſſe οἱ ό, qui per ςάσιν exprimunt interdum רִיב. Sed bene Graece cum id verbum acciperent, nihil proderat. Itaque codex *Bedae*, & verſio vulgata plane omiſere alterum ϗ συζητήσεως: nempe, quia ſeditioni non convenire putabant diſputationem. Sin ςάσιν Hebraice accipere potuiſſent, pro altercatione, nihil difficultatis fuiſſet.

§. XX.

Enimvero in iſta comparatione eſt una tantum via ſenſus verborum indagandi, latiſſime illa quidem patens, ſed plures comites deſiderans. Neque enim omnia licet per hanc viam inveſtigare, quae non e bene Graecis explicari poſſunt. Itaque adhiberi coepti ſunt primum libri Judaici, inprimis antiquiores & meliores, ut ex iis deligerentur, quae reliquis lucem affunderent. Sed viri praeſtantiſſimi, qui in hoc genere elaborarunt, quorum principes haud dubie ſunt

Lightfotus & *Schoetgenius*, dum omnia congerunt, rem etiam impeditam fecerunt. Neque enim cujusvis eſt in hoc delectu accurate verſari. Sunt etiam verſiones orientales conſultae, ut a *Lud. de Dieu* in Critica ſacra, & aliis: quarum comparatio quam difficilis ſit, tum per ſe intelligitur, tum diſſenſus doctorum hominum argumento eſt. Etiam in Patribus Graecis antiquioribus ſparſa quaedam ſunt, unde lucem capere iſta talia verba aut loquendi genera poſſunt: qualia quaedam *Grotius*, qui nullam interpretandi viam ignorabat, Commentariis ſuis adſperſit. Nam primis illis Eccleſiae temporibus, cum vulgo adhuc intelligerentur libri N. T. formulae eorum dicendi quaedam, & verborum quorundam uſurpandorum mos, paullatim venit in reliquam conſuetudinem loquendi, unde iis uſi ſunt etiam ſcriptores, idque interdum in tali contextu, unde vera ſignificatio intelligi poſſit: qualia nos quoque nonnulla inter legendum in *Clemente R. Ignatio*, *Hippolyto*, *Theophilo*, *Clemente Alexandrino*, *Euſebio*, *Cyrillo Alexandrino*, & aliis notavimus. Uno exemplo defungamur. Petrus in altera epiſtola III. 10. 12. commemorat ϛοιχεῖα peritura in fine rerum: quae de vocabularii indicio *elementa* verſa ſunt. *Grotius* verbo dixerat eſſe aſtra & aquam. Ecce *Calovius* interrogat, quo argumento vinci poſſit ϛοιχεῖα eſſe *aſtra?* Atque ego non dixerim, utrum *Grotius* hanc interpretationem poſuerit de conjectura, e contextu & natura rei ducta, an uſu etiam loquendi inductus, quod mihi ſit probabilius. Magni viri ſatis habent, quod rectum verumque ſciunt, indicare, etiam ſine auctoritatibus ac teſtimoniis. Sed ſunt loca SS. Patrum poſtea & ab aliis prolata, & a me notata plura, quibus liquidum ſit, ϛοιχεῖα olim pro aſtris dicta; qui modus loquendi haud dubie ex illo Petri loco venit, quamquam & *Chryſoſtomus* & *Theophylactus* Gal. IV. 3. & Col. II. 8. ϛοιχεῖα κόσμου de aſtris interpretantur, quod tamen ibi falſum eſt. *Juſtinus Martyr* Apol. II. p. 11. init. οὐράνια ϛοιχεῖα habet, & in Dial. p. 241. τὰ ϛοιχεῖα οὐκ ἀργεῖ &c. Sed ibi & aliis locis ſtulte vertunt Interpretes. Apud *Theophil.* ad Autol. I. p. 22. ſunt ϛοιχεῖα θεοῦ εἰς σημεῖα καὶ εἰς καιροὺς καὶ εἰς ἡμέρας, καὶ εἰς ἐνιαυτοὺς γεγονότα, & mox ſol ἐλάχιστον ϛοιχεῖον dicitur, & ſimiliter alibi. *Euſebius* autem H. E. III. 31. (ubi vid. *Valeſ.*)

Valeſ.) & V. 24. inſignes Eccleſiae doctores στοιχεῖα μεγάλα vocat. *Euſebii* locum in *Polycrate* repetit *Hieronymus* de Vir. Illuſtr. cap. 45. & vertit pariter *elementa*: conſuetudine ducta e verſione N. T. Latina: quod improbat ibi *Fabricius* ὁ μακαρίτης in notis: at illius rei, & Latinitatis eccleſiaſticae imperiti, philoſophorum elementa hic repererunt. Unde ſidera στοιχεῖα dicta, varie rationem reddunt *Fabricius* & *Valeſius*; quorum opiniones mihi non probantur. Quid ſi Petrus reſpexit ad מוֹסְדוֹת שָׁמַיִם 2 Sam. XXII. 8. quod ego de coelo ipſo & στοιχείοις οὐρανίοις, de aſtris intelligam, non de terra & montibus cum vulgatis Interpretibus, aut aëre cum *Coccejo*, cui ſane junctum tremefaciendi verbum non favet. Nempe מוֹסְדוֹת ſignificat, ut opinor, quibus aliquid conſtat, ſummam rei. מוֹסְדֵי אָרֶץ quae Deus delineaſſe dicitur Prov. VIII. 29. ſunt partes terrae, quibus ea conſtat: & Pſ. LXXXII. 5. nutare dicuntur מוֹסְדֵי אָרֶץ h. e. convelli ea, quibus reſpublica maxime continetur. Atque etiam Judaeorum magiſtri elementa Philoſophorum & initia rerum appellant verbis ab eodem fonte h. e. יסד ductis יְסוֹד & יְסֹד. Sed ad iſtas tales obſervationes multa lectione SS. Patrum, & magna attentione opus eſt. Neque enim quotidie aut ſtatim in oculos cuivis negligenter legenti, & non oculos animumque ad omnia intentum habenti occurrunt. Et quotusquisque hodie Patres legere cupit; inprimis intelligendorum ſacrorum librorum cauſſa?

§. XXI.

In viis indagandae poteſtatis verborum formarumque loquendi valde commendare ſoleo, atque ipſe uſurpo in interpretando libenter *analogiam linguarum*: cujus etſi nulla dum praecepta, quod equidem ſciam, prodita ſunt, tamen uſurpatae a praeclaris librorum divinorum humanorumque interpretibus exempla extant. Ea in his, quae aut ipſa dubia ſunt & ambigua, aut interpretum vitio & inſcitia, & opinionum pravitate, ambiguitatem contraxerunt & obſcuritatem, comparatione utitur, primum ſimilium in eadem lin-

gua formarum, in verbis pariter ſingulis & junctis, deinde aliarum linguarum, ſimilium inter ſe maxime & quaſi cognatarum, tum etiam ceterarum. In unaquaque lingua eadem res variis modis exprimitur, & in verbis ſingulis, praeſertim, quibus attributa rerum, actiones & ſimilia appellantur, & in formulis loquendi. In iis etſi non eſt perfecta ταυτολογία, tamen, quod diſcriminis intercedit, ita eſt tenue, ut ejus ratio vix habeatur, aut id ad ſummam rei nihil interſit. Quis ergo non intelligat, talium comparationem ad interpretationem plurimum prodeſſe, ſi ambigua vel ex ſe, vel e vicinia verborum, cum certis & claris comparentur, ſi loca ſcriptorum inter ſe conferantur, ubi res & oratio reliqua oſtendat, idem actum, idem dictum alio verbo, aut aliis formulis. Sunt porro verborum quaſi genera quaedam, quibus non eaedem quidem res exprimuntur, ſed modi tamen ſimiles rerum, actionumque. Haec genera notata habere oportet, & praeſertim ſi qua dubitatio in aliquo verbo occurrat, referre id ad ſui generis formam, ne falſum aut alienum, aut contortum & ineptum ſenſum verbo adfingas, ut in Graeca lingua ſaepe accidit in verbis e praepoſitionibus ἀνὰ, σὺν, πρὸ, περὶ, ἐκ &c. neve in aliquam inconſtantiam incidas, & in ſimilibus generibus diverſa interpretandi ratione utaris, in quo ſaepe etiam boni interpretes peccant. Atque ejus generis plura ſunt in linguis, ad quorum ἀναλογίαν referre interdum oportet verba in interpretando, ut vel invenias ſenſum verum, vel illuſtres ac confirmes.

§. XXII.

Sed etiam eſt, ut diximus, analogia linguarum & comparatio inter ſe, ad interpretandum utilis. Etenim in eam me opinionem & res & uſus induxit, ut exiſtimem, neminem facile in aliqua lingua antiqua, & ab his vernaculis noſtris valde diſſidente, excellenter verſari poſſe, niſi unius & item alterius antiquae ſcientiam luculentam adjunxerit: eamque arbitror eſſe cauſſam, quare v. c. in Hebraica inprimis, oppido pauci probabilem facultatem conſecuti ſint omni tempore, & in interpretando feliciter verſati, quod plerique non modo Dialectos ejus ceteras vel neglexere,

xere, vel admodum leviter attigere, ſed etiam literas Graecas & Latinas. Nam hi toti e Lexicis ſuis pendent, & Hebraica, inde ſcilicet intellecta, cum vernaculis comparant, & hinc mirificas interpretationes, emphaſes maxime eruunt. *Coccejus*, id quod e Commentariis ejus & vel e notulis, quae ex ejus libro in *Joſephum* Havercampianum illatae ſunt, intelligi poteſt, & is, qui nuper Orientalis literaturae principatum habuit, *Schultenſius*, Graecis literis egregie docti fuere. Sed hoc obiter, juventutis admonendae cauſſa, dictum ſit. Quid eſſet סור מבין רגלים planiſſime intelligi, ſi cum Graecorum ἐκ ποδῶν γεγονέναι vel ἀπιέναι, de cujus ſenſu nemo dubitat, & cum Latinorum *e medio diſcedere* comparetur, alio loco (de veſtigiis Hebr. linguae in lingua Graeca) docui. Quid ſit πύργος apud Matthaeum XXI. nempe aliud, quam quod in vernacula noſtra verſione eſt, intelligat, qui contulerit cum Latinorum *turribus* in villis ap. *Livium* XXXIII. 48. quamquam & e *Luciano* intelligi poteſt, qui in Pſeudologiſta c. 19. inter κτήματα numerat πυργίον. In verbo πεπραμένος Rom. VII. 18. nemo moleſtus nobis ſit adverſarius, aut haereat quiſquam, aut cum Latino *addictus* comparet, quod proprie eſt de eo, qui venditus eſt alteri vel a ſe vel ab alio, deinde de eo, qui eſt alteri quacunque de cauſſa obnoxius, ut ab eo vexetur. Quamquam & ex Hebraicis illa difficultas expediri poteſt. Quid ſit ὡς διὰ πυρὸς, planum fiet e Latinorum *ambuſto*, quod in ſimili contextu apud *Ciceronem* ſaepe reperitur. Talia ſunt permulta in linguis, quae tali comparatione plane intelligi & bene illuſtrari poſſint, eaque in literis Hebraicis illuſtrandis praeclare & feliciter uſum vidi *Schultenſium*, in Commentariis inſignibus in Jobum & Proverbia, atque etiam alibi.

§. XXIII.

Enimvero in hoc genere, de quo nunc diximus, adjuvatur indagandi ratio a ſimilitudine verborum & troporum. Sed eſt praeter illam alia ratio, ſubtilior illa quidem, ſed interdum neceſſaria & perquam utilis inprimis tum, cum aliae viae non dant aditum ad ſenſum tenendum. Non eſt dubium, quin quam plurimis rebus homines eodem modo adficiantur in utramque partem, ut idem ſentiant, cogitent, judicent,

cent, etiam agant: quod ſit maxime in rebus quotidianis, ad vitam communem pertinentibus. Sed in his exprimendis diſcrepant, non modo diverſitate ſermonis, quod per ſe clarum eſt, ſed etiam modo enunciandi, ut verbis & formis loquendi utantur, quae ſibi parum reſpondeant. Itaque ſi quis ad verbum exprimere alia quacunque lingua conetur, res plane diverſas indicari putet, idque ſaepe accidere, vel ex iis intelligi poteſt, quae ſupra diximus. In his igitur, quis dubitare poſſit, ad intelligendum prodeſſe plurimum, ſi, cum aliquid obſcuritatis & ambiguitatis oritur e majori diſſenſu a lingua vernacula, videamus, quid dicant aliarum linguarum auctores de iisdem rebus, iisdemque temporibus, ut, ſi hi planius loquantur, aut accommodatius ad vernaculam, hinc obſcuriora illa intelligamus. Permulta ſunt in Graecis, quae ſic intellecta ſunt e Latinis, & contra: & in Hebraismis non pauci, tali comparatione cum Graeca aut Latina aut alia lingua intellecti ſunt. Atque hoc genus comparationis nuſpiam magis, ut opinor, prodeſſe poteſt, quam in orientalibus linguis, & Graeca, inprimis, quoad Hebraicam imitatur, propterea quod modus, quo cogitata exprimunt, valde diſcrepat ab eo, quo populi utuntur ſub occidente poſiti, & vero ſeptentrioni propiores. Sed & hoc genus & ſuperiora illa magnam circumſpectionem, multum judicii, & lectionis exercitationisque deſiderant, ut ſint in promtu, quae comparare poſſis, ne levi aliqua ſimilitudine fallare, neve diſſimilia compares, & a vero ſenſu aberres.

§. XXIV.

Hactenus oſtendimus, quot & quantae difficultates ſint in ſenſu verborum inveſtigando per obſervationes de uſu loquendi. Reſtat *de grammaticis praeceptis*, quae proprie dicuntur, quamquam & ipſa obſervationibus tenentur, ab uſu loquendi ductis: unde diſcimus vim & uſum temporum, modorum, atque formarum, articulorum, particularum, tum σύνταξιν verborum & figuras dicendi, ſine quibus nec κρίσις illa, de qua ſupra diximus, conſtare, nec pure Graeca ab Hebraizantibus diſcerni, nec ſenſus certa ratione indagari poteſt, propterea, quod quaecunque interpretatio

iſtis

iſtis Grammaticorum praeceptis repugnat, vera eſſe & probari nullo modo poteſt. Sed harum praeceptionum & obſervationum tanta multitudo eſt, ut perdifficile ſit, eas omnes cognoſcere, nedum in promtu ſemper habere, ut occurrant nobis ſtatim in legendo & interpretando, moneantque, quid videndum judicandumque ſit; quod conſequi nemo ſine multa exercitatione & diuturno uſu poteſt: praeſertim cum pleraeque ſint minutae, verſenturque in rebus tenuibus, in ſyllabis, ac ſingulis paene literis; quae facile excidunt animo, aut fugiunt nos tum, cum iis maxime eſt opus, hoc eſt, cum nobis aut ab alienae interpretationis novitate, aut noſtrae lenociniis inſidiae fiunt. Itaque magni & praeclari viri in hoc genere ſaepe lapſi ſunt. Exempla ponemus aliquot, ut & imbecillitatis humanae moneantur & cavere diſcant ſtudioſi. Nobilem illum locum & ad divinitatem J. C. aſſerendam efficaciſſimum Rom. IX. 5. primus tentavit *Eraſmus*. In quo ei accidit, quod fere omnibus ſolet, qui in planis & facilibus, ſive moroſitate quadam ingenii, ſive alia qua de cauſſa, argutantur. Exiſtimat, ſi Paullus hoc dicere voluiſſet, quod vulgo putarent, ei dicendum fuiſſe ὃς ὢν ε. π. θεός, ſc. pro ὃς ἐςι ε. π. θ. quod eſt, ut ille profecto nullo modo neſciebat, contra prima Grammaticae initia, & perpetuam obſervationem, quae docet, relativum ὃς ſemper mutari in articulum ὁ, cum e verbo finito fit participium. Μακάριος dixeris, ὃς τηρεῖ πάντα ταῦτα: at μ. ὁ τηρῶν, nullo modo ὃς τηρῶν. Sed de hoc & toto illo loco & adverſus hunc & adverſus *Wetſtenium* ſatis dixi in *Actis Erud.* a. 1754. In 1 Cor. V. 12. οὐχὶ τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε; Syrus interpres κρίνετε, ut imperative dictum cepit, poſt eumque alii: unde paullatim factum videtur, ut ſequens καὶ ἐξαρεῖτε mutaretur in libris in imperativum ἐξαίρετε vel ἐξάρατε: quamquam ea ſcriptura etiam e verſione Latina naſci potuit. In quo non meminerat, οὐχὶ nullo modo hoc pati, quod aut ſimpliciter, ut V. 2. aut cum interrogatione negat. Sed in eodem genere aberravit ille noſter G. *Olearius*, qui profecto talia tenebat, cum verba Matth. XXIV. 2. οὐ βλέπετε πάντα ταῦτα interpretaretur: *nolite haec mirari*: quae ſententia cum blandiretur convenientia ſua

cum contexto, & bonitate, non ſivit meminiſſe, id eſſe μὴ βλέπετε, non οὐ βλέπετε. Eodem modo errabat Heumannus, ἔστε imperative capiens 1 Theſſ. V. 4. in Progr. Paſch. 1756. In eadem epiſtola ad Corinth. X. 30. verba εἰ ἐγὼ χάριτι μετέχω, τί βλασφημοῦμαι, ὑπὲρ οὗ ἐγὼ εὐχαριστῶ, doctiſſimi fuere viri, qui χάριτι ad μετέχω referrent, non, ut *Grotius*, *L. Bos* & *J. Albertus* V. C. in Gloſſar. N. T. p. 130. qui intelligunt *beneficio divino, dante Deo pro benignitate ſua*, ſed, ut ſenſus eſſet, *ſi particeps ſum gratiae, beneficii divini:* obliti id eſſe μετέχω χάριτος. In Actis Ap. III. 21. ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι, interpretantur docti homines, de occupato regno coeleſti a Chriſto adſcendente in coelos: quae ſententia, ut alia taceam, requirebat e grammaticis praeceptis, ὃν ἔδει οὐ μ. δ. ut in illo Luc. XXIV. 26. ταῦτα ἔδει παθεῖν τὸν Χριστόν. In iisdem Actis VII. 15. in verbis ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε *Corn. Bertramus*, cupiens hunc numerum refingere ad codicis Hebraei lectionem, corrigendum conjiciebat πάντες pro πέντε, in animo habens elegantem Graeci moris formam, qua πᾶς additur numeris, ut intelligatur numerus certus, velut in illo Callimachio πέντ᾽ ἔσαν αἱ πᾶσαι: *quinque ipſae* (ſic enim hoc Latini exprimunt) *erant cervae.* Eam correctionem probabat *Th. Beza*, Graece doctiſſimus, & noſter *Sal. Glaſſius valde probabilem* judicabat (Phil. S. L. I. Tr. II. Sect. II. n. 10. p. m. 168.) addens etiam: *Ubi res videtur eſſe adeo aperta, & correctio ex fonte V. T. Hebraeo adeo plana, ecquis tam ſuperſtitioſe cautus eſſet, ut ex unico hoc vel altero mendo vel puritatem* (integritatem) *vel auctoritatem totius N. T. ſcripturae convelli exiſtimaret.* Enimvero ea correctio nullius pretii putanda eſt, cum vulgatiſſimis legibus grammaticis adverſetur, quae πάσαις deſiderant, ἐν ψυχαῖς ὁ πάσαις: quod longius a ſcriptura vulgata recedit. Et nihil ſaepius vidi, quam doctiſſimos homines decipi ab obſervatiuncula aliqua exquiſitiori, ut, dum ex ea aliquid vel corrigere vel explicare cupiunt, offendant graviter ad notiſſimas regulas. Itaque facile intelligitur, quantam haec ratio difficultatem habeat in diſcendo & utendo. Sed maxime opus eſt multa & accurata exercitatione in eo, ut quicquid legas ad praecepta illa grammatica diligenter exigas, videasque, quid ea deſiderent, quid iis conſentaneum ſit, de ſenſu verborum ſtatuere.

§. XXV.

§. XXV.

In muneribus boni Interpretis N. T. poſui etiam *proprie dictorum a tropicis ſejunctionem.* Ejus neceſſitatem maxime impoſuere, id quod ſatis conſtat, controverſiae quaedam de Coena ſacra, de Perſona Chriſti &c. Nam in ceteris ſcriptoribus Graecis Latinisque rara ejusmodi dubitatio aut diſputatio eſt. Itaque cum tot Commentarios, tot obſervationum, lectionumque libros legerim, nihil tamen de tropicis a propriis diſcernendis me legere memini. Judicatur enim ibi res ſenſu communi: isque ad id judicium putatur ſufficere: & profecto ſufficeret etiam in libris ſacris, ſi eos eodem animo tractaremus. Sed ad illos libros legendos accedunt homines animis magis liberis ab antecaptis opinionibus: ad libros ſacros autem veniunt plerique προβιβασθέντες, quid quaerere, quid invenire, quid non invenire debeant. Itaque non mirum eſt, etiam tropos & quaeri & inveniri, ubi nulli ſunt, ubi integer lector, paratus accipere, quod invenerit, h. e. nihil niſi uſum loquendi & formam orationis ſpectans & ſequens, nunquam de tropo cogitet. Sed ut facilius res difficiles explicantur, quam nimis faciles & ſimplices; propterea, quod in his quaerendum eſt, quod explices, in illis materia & res explicandae ſe ingerunt ipſae: ita res haec, alibi facilis & expedita, hic ipſa facilitate ſua impedita facta eſt & difficilis. Opus erat praeceptis, quae ſigna indicarent, quibus teneri tropi veri poſſent, quorum abſentia ficti repudiarentur. Sed haec in vulgaribus libellis hermeneuticis parum ſubtilia reperiunt ſtudioſi, velut illud, *a propria verborum ſignificatione non facile eſſe recedendum:* cujus hodie, in tanta literarum luce, etiam pudere debebat eos, qui inter eruditos numerari vellent. Nam praeceptum illud, antiquiſſimum ſane ac veriſſimum, non ad troporum judicium pertinet, ſed ad allegoriae, eſtque ſenſus proprius in eo is, quem hodie literalem vocant. Tum illud *non facile* quam ambiguum & incertum ſit, quis non videt (*). Quod ſi intelligitur

(*) *J. F. Gronovius* ad *Tacit.* Ann. I. 72. JCtus: *Nec lubricum linguae ad poenam facile trahendum eſt.* Sed latebra eſt in illo *non facile.*

tur *rariſſime*, ut fert linguae Latinae conſuetudo, falſum etiam reperitur, cum nulla ſacrorum librorum prope pagina ſit, in qua non occurrant tropi, *Glaſſius*que totum librum ſat magnum figuratis impleverit. Nec multo melius, qui non ſine evidenti cauſſa aut neceſſitate tropum agnoſcendum praecipiunt, ut *Danhauerus* Idea boni Interpretis p. 85. Hermen. S. p. 259. *Tarnovius* Exerc. Bibl. p. 385. & alii. Nam ne ſic quidem uſui aptum eſt praeceptum, cum ſigna certa evidentis cauſſae ac neceſſitatis non tradantur, certe non e natura & analogia linguarum, quae maxime audienda erat (*). Subtilius rem aggreſſus eſt *Calovius* de Perſona Chriſti p. 547. ſed ut Metaphyſicum magis agnoſceres & Dialecticum, quam Grammaticum. Itaque mirum non eſt, ſi magna hic difficultas objicitur ſtudioſis, in diſputationibus de tropis & figuris orationis in libris ſacris, iique interdum, ſi non iis in locis, de quibus decretum eſt in formulis doctrinae, at in aliis, ubi liberum judicium eſt, ſibi ab iis imponi patiuntur, qui tropos aut figuras temere fingunt. Futile autem prorſus eſt, quod *Clericus* Arte Crit. II. 1. 7. nobis pro regula, ita vocat, proponit: *propriam ſignificationem cum tralaticia non eſſe confundendam:* ſubjectis etiam futilibus exemplis, quibus opus non erat in re, omnibus pueris nota, & a nemine in dubium vocata.

§. XXVI.

Major difficultas eſt in *judicio emphaſium.* Nam primum nec hic locus ſatis explicatus eſt, & praeceptis accuratis illuſtratus, quibus dirigi ſtudioſi in indagandis

(*) *Turretinus* de Interpr. S. S. p. 201. extr. oſtenſurus, qua via tropicae locutiones a propriis diſcernantur, rei naturam attendendam praecipit: *Si res juxta literam ſumta impoſſibilis videtur, tunc locutio figurata eſſe neceſſario debet.* Primum illud *videtur* fallax eſt & ambiguum: deinde id ipſum quaeri ac diſputari ſolet in quibusdam, an impoſſibile ſit, nec ne. Addit, ſimiliter judicandum eſſe, *ſi quid imperetur quod crudele & impium videatur*, idque ad Euchariſtiam confert. Iterum illud ſuum *videtur* crepat. Quod ſi Abrahamus hanc legem ſequi voluiſſet, certe praeceptum Dei de filio immolando tropice capere debuiſſet.

dis judicandisque emphaſibus poſſent. Libelli de interpretatione vulgati fere nihil habent, praeterquam quod in iſtis canonibus poſitum eſt: *emphaſes verae non ſunt repudiandae: fictae non admittendae*: eaque decreta in ſcholis non aliter, niſi exemplis, quae cuique vera aut ficta videntur, illuſtrari ſolent. Enimvero hoc nemo dubitat, nec quisquam emphaſin probat, quam fictam ac non potius veriſſimam putet. Cui enim ſua non veriſſima atque optima videntur? Immo hoc docendum erat, quae eſſent emphaſium verarum notae, quibus animadverſis, emphaſis vera in verbo eſſe intelligeretur, idque accommodate ad loquendi conſuetudinem bonorum ſcriptorum: quibus locis, quomodo, in quaque lingua emphaſium uſus eſſet: denique propoſitis exemplis idoneis exercenda diſcentium ingenia ad hanc judicandi facultatem. Quod tanto magis erat neceſſarium, quanto magis proclives ſunt imbecilliores, & ab ſcientia linguarum minus inſtructi, & in interpretando exercitati, ad emphaſes ex etymologiis, praepoſitionibus, tropis quibuscunque, fingendas, hoc eſt, ut *Erasmus* ait (ad 1 Cor. VI. 1.) ad ludendum in rebus feriis. Atque etiam vidi doctiſſimos viros, in humanis libris Graecis Latinisque interdum argutari, torquendis verbis, ob talem aliquam cauſſam, ad emphaſin: quid futurum putemus in libris ſacris, in quibus illa ipſa reverentia, quam erga eos merito habemus, facile perſuadere nobis poteſt, ut plus eſſe in verbis putemus, quam ſpiritus divinus voluit: quod accidiſſe olim Judaeis, & ſuperiori ſeculo *Coccejo*, viro ſane primario, ejusque aemulis ſcimus, qui verba ſacrorum librorum, quia divina eſſent, tantum ſignificare ſtatuebant, quantum poſſent. Quod cum ſit certo quodam modo verum, nempe cum hac adjunctione, quantum poſſunt per ingenium linguae & uſum loquendi, illi vero ſine hac adjunctione accepto illo decreto, ubique non modo emphaſes, ſed etiam allegorias & vaticinia e verbis expreſſere, quorum nihil viris divinis in mentem venerat, merito improbati doctis & piis Theologis, qui ſic illudi potius libris divinis, quam honorem haberi exiſtimabant. Atque etiam ipſe ſermo librorum divinorum, quoad Hebraicam conſuetudinem imitatur, facile hic in-

incautos aut non ſatis peritos & exercitatos in legitima ratione, transverſos agere poteſt, propterea quod Hebraica lingua in multis longe recedit a noſtrae atque adeo Latinae linguae indole. Itaque qui eas formas loquendi cum Latinis aut vernaculis e Lexicorum vulgarium praeſcripto comparant, nec linguae Hebraicae indole aeſtimant, facile ſibi ab emphaſium inanibus figmentis illudi ſinunt, quibus profecto oracula divina opus non habent, inprimis in abſtractis pro concreto poſitis, quod genus frequentat lingua Hebraica, in tropis, in numeris etiam. *Clericus* in Arte Critica, quam ille appellare auſus eſt, II. 1. 4. propoſita hac, ut vocat, regula: (eſt autem nihil minus quam regula vel intelligendi vel judicandi) *multa videri in verſionibus emphatica, quae in ipſis fontibus nullam emphaſin habeant*, adjunctisque ejus generis, ut ipſe putat, exemplis, de quibus dicere hic nihil attinet, ad extremum §. 15. hunc conficit canonem: *Quamvis emphatica videantur veterum verba, ſatis eſſe, diluto ſenſu ea interpretari, ſi, dum urgemus, abſurdi quid complectantur.* Si vere abſurdum ſit, quod conficitur, verum canonem eſſe fatear. At iſte canon non niſi uni exemplorum propoſitorum §. 7. e Exod. IV. 21. convenit: idque ipſum tropi potius exemplum eſt, quam emphaſeos: quid fiet ceteris fictis emphaſibus? Non enim omnes abſurdi quid habent, ſed ſaepe ſenſum probabilem, aptum concionandi popularitati, in hortando, terrendo, monendo: pias emphaſes voces, ſed non accuratas. Quid? magnus Criticus, dialectica ſubtilitate ſubactus, quos Canones ſcribit pro bonis & legitimis emphaſibus agnoſcendis & judicandis? Etenim non minus improbandum eſt, ſi quis fuga fictarum emphaſium minuit vim divinitus ſubjectam verbis? Hic nobis nihil ſui acuminis critici impertiit. Quin pluribus exemplis docuit, ſe emphaſes acute videre & judicare non potuiſſe. Negat v. c. §. 20. verba Chriſti Matth. VI. μὴ μεριμνήσητε, eſſe cum emphaſi dicta, ut exiſtimarint ii, qui perfectos Chriſtianos omnia ſua abjicere & aliena quadra vivere debere dixerint. At ſtulti iſti ſine emphaſi accipiebant, quod ἐμφατικῶς intelligendum erat, & curam ſimpliciter cogitabant, cum anxiam, ſollicitam, aſſiduam intelligere deberent.

rent. At enimvero ſi leges judicandarum in utramque partem emphaſium quamvis diligenter & perſpicue, & ad uſum accommodate ſcribantur, quod nos D. V. tentabimus: tamen multum adhuc laboris reſtat. Res enim conſtat accurata linguarum ſcientia, multa & curioſa lectione, exercitatione etiam: atque his quidem, multo magis quam praeceptorum ſubtilitate, quibus nihil ſcilicet niſi via oſtendi poteſt. Sed aliud eſt, viam videre, aliud emetiendo, quo velis, pervenire.

§. XXVII.

Compoſitio ἐναντιοφανῶν, de qua nobis, ut propoſuimus, dicendum reſtat, etſi rerum maxime ſcientia opus habet, tamen etiam grammatica auxilia deſiderat, quae ipſa non nimis facile vel comparantur, vel uſurpantur. Nam primo κρίσει illa opus eſt, de qua in principio diximus, ſaltem ne decipi te patiare ab iis, qui conjecturis de lectione librorum rem componere tentant. Cum deinde τὸ ἐναντιοφανὲς eſt e genere dogmatico, etſi analogia fidei prodeſt, tamen ea nullo modo ſufficit, ſed in promtu eſſe debent obſervationes de vi verborum, e conſuetudine Hebraica maxime, ſaepenumero ab occidentalium linguarum indole abhorrente, & analogia linguarum, quibus plerumque res bene conficitur: in quo quid difficultatis ſit, ſupra dictum eſt. In hiſtorico autem genere, cum diſcrepant nomina perſonarum, locorum atque temporum, numeri, etiam attributa & praedicata ipſa, cognita debet eſſe conſuetudo hiſtoricorum in varietate narrandi ſine disſenſu vero, itemque in modo loquendi, quo ſubinde utuntur, pro conſilii ratione, non ad ſummam ἀκρίβειαν exacto. In ipſa etiam comparatione videndum eſt, uter locus ad alterum, utrius narratio ad alterius narrationem accommodari debeat. Quorum illud conſequi nemo poteſt, niſi in lectione hiſtoricorum & comparatione multum accurateque verſatus: hoc autem deſiderat judicium ſubactum multis exemplis cognitis, & exercitatione ad eorum ſimilitudinem inſtituta. In quo prodeſt legiſſe Commentarios Criticorum & obſervationes, in quibus loca veterum hiſtoricorum ἐναντιοφανῆ per illas ipſas, quas indicavimus, obſervationes de modis narrandi loquendique,

bene

bene feliciterque compoſuerunt. Sed haec omnia nemo non intelligit, quam multum laboris, ſtudii, curaeque, etiam judicii requirant: nec quisquam unquam dubitavit, quin haec pars grammaticae interpretationis longe difficillima eſſet.

§. XXVIII.

Atque ita abſoluta eſt diſputatio de difficultatibus N. T. bene & accurate interpretandi: quae a nobis ſuſcepta eſt nullo alio conſilio, quam ut opinionem, & Theologiae ipſi & linguarum ſtudiis inprimis noxiam, quae valde mediocrem, ac prope nullam linguarum, inprimis Graecae, ſcientiam ad libros N. T. Graecos bene intelligendi interpretandique facultatem fingit, & aditum ad illam facultatem plerisque occludit, ex animis juvenum, qui ſe ad S. Theologiae ſtudia contuliſſent, evelleremus, eosque ad bonarum literarum & ſacrorum librorum accurate intelligendorum ſtudium acueremus atque incitaremus. Nihil citius res etiam faciles impedit & difficiles reddit, quam facilitatis opinio, nedum eas, quae multas & graves difficultates habent. Gignit enim negligentiam & ignaviam, quae nihil in ullo genere praeclari conſequi ſinit. Enimvero ſi ulla res eſt digna acerrima ingenii contentione, libri divini profecto ſunt ii, quibus recte accurateque cognoſcendis ſummum ſtudium curamque tribuere convenit Chriſtianis, inprimis his, qui Lutheri ſe diſcipulos & aemulos profitentur, cujus totam diſciplinam ab ſacrarum literarum per ſtudia linguarum intelligentia natam eſſe conſtat. Videmus, quantum curae, laborisque in ceteris Graecis & Latinis ſcriptoribus accurate cognoſcendis & interpretandis collocent ii, qui ſe eorum interpretes profitentur, quam non modo res omnes & verba, ſed ſingulas paene literas curioſe perſequantur, ne quicquam relinquant, quod non excuſſum ſit & exploratum. Non pari atque adeo majori ſtudio diligentiaque complecti ſacros libros decet hos, qui eorum ſe interpretes ac doctores aliquando profiteri in animo habent? Paramus jam animos celebrandae Auguſtanae Pacis memoriae, per quam nobis dulciſſima illa & pretioſiſſima Libertas ſacrorum ſive parta ſive firmata eſt. Ea non eſt licentia de rebus divinis ſta-

ſtatuendi, quae quovis alio quam libertatis pulcherrimo nomine digna videri debet. Ut humana libertas tota legibus tenetur, quibus ſublatis vel licentia vel ſervitus conſequitur: ſic haec ſacra tota cernitur in eo, ut de rebus divinis non ex cujusquam hominis arbitrio & imperio ſtatuere cogamur, ſed unam librorum divinorum, veluti unius & ſummae legis vocem audire, ei parere liceat. Hanc igitur legem amplecti ac tenere, hanc dies noctesque verſare, ſcrutari, & meditari debent, quicunque hujus libertatis amicos ac defenſores ſe profitentur: quae ne teneri quidem poteſt ſine illo librorum divinorum per ſubſidia bonarum literarum cognoſcendorum ſtudio. Hae iſtius libertatis & appetendae & comparandae viam olim munierunt; his ſublatis & contemtis eadem, ut olim, tolletur paullatim ac peribit, redibitque barbaries, quae ſacras literas menteſque adeo hominum ipſas tenebris opplevit, Eccleſiam univerſam dominationi Romanae ſubjecit. Hoc cavete o! quicunque ſacra noſtra amatis, & multo maxime, qui Theologiae vos conſecraſtis, cui cuſtodia & defenſio Libertatis illius ſacrorum proprie credita eſt, & ſtudiis bonarum literarum omnium ſacrorumque librorum acerrime tractandis, & puritati & libertati ſacrorum, & vero etiam laudi gloriaeque veſtrae, ad quam in illo veſtro genere nullus alius aditus patet, conſulite.

DE

DE
ORIGENE,
INTERPRETATIONIS LIBRORUM SS. GRAMMATICAE AUCTORE.

Ambigua omni aetate fama fuit Origenis, viri magni in paucis: cum alii admirandi modum facere neſcirent, alii vituperandi. Una eſt librorum divinorum tractandorum ratio & ſcientia, in qua conſtantius laudetur & verius. Hieronymus quidem, cui nihil Eccleſia Latina par habuit doctrina, cumprimisque literarum ſacrarum ſcientia, nec ille aequus allegoricae interpretandi rationi, tamen, *vel cum invidia nominis Origeniani, habere optabat ejus ſcientiam ſcripturarum*, praef. ad Qu. in Gen. Maſius autem, in grammatica ratione excellens interpres, *neſcire ſe* profitetur, *an poſt Chriſtum natum vixerit quisquam, vel ingenio major, vel in ſacris literis exercitatior*, ad Joſu. I. 2. extr. Atque ejus generis teſtimonia omnis aetatis plurima proferre, in promtu foret. Sed hanc gloriam obſcuravit ac paene extinxit ſtudium allegoricae interpretationis, in quo ille haud dubie modum exceſſit, nec ſine periculo veritatis

tis divinae. Nam ut eſt humanum ingenium, ab inſita quadam adverſus magnos inprimis homines invidia, proclivius ad reprehendendum, quam ad laudandum, cernitque acutius in vitiis, quam in virtutibus: ſic plerorumque animos ita occupavit vitium illud, ut Origenianorum in eodem genere bonorum, & meritorum maximorum, propemodum penitus oblivifcerentur. Itaque videas eos, qui de Origeniana ἑρμηνεία ſcribere inſtituerint, copioſos fere fuiſſe ac diligentes in allegorica ratione, in grammatica parcos admodum & negligentes. Nos, qui conſuevimus, in viris egregiis bona potius quaerere atque laudare, quam mala indagare ac reprehendere: eſt enim & ad animi voluptatem liberalius, & ad imitationis utilitatem uberius: nos ergo hoc potius egimus, ut Origenis in grammaticam interpretationem librorum ſacrorum merita cognoſceremus. Quibus perſequendis ac cogno.cendis intelleximus id, quod hoc tempore demonſtrare propoſitum eſt, Origenem primum ad libros divinos Grammaticorum more tractandos, adjeciſſe animum, & quidquid vetuſtas Chriſtiana in hoc genere, praeſertim quoad N. T. libros, boni habeat, id prope omne eſſe ab Origene profectum. In hac diſputatione primum locum dabimus argumentis, in conjecturae probabilitate poſitis, per quae aditus ad animos legentium muniatur alteri generi argumentorum, quod hiſtoriae ac rerum ipſarum fide nitetur.

§. II.

Ab initio, cum librorum divinorum quisque recens eſſet, aut inter propulares ſcriptoris cujusque verſaretur, nondum ex uſu communi ſublata aut nimis mutata lingua ea, qua ſcriptus erat, & nondum converſo priſtino rerum ſtatu, nulla interpretatione grammatica, nullis grammaticis & hiſtoricis commentariis opus erat. Rerum interpretatio univerſa erat, non verborum. Ea porro antiquiſſimis ante C. N. temporibus erat, ut opinor, penes homines divino ſpiritu adflatos, προφήτας, quorum diſcipuli ſcholaeque etiam divinis literis commemorantur. Neque enim in Prophetarum ſcholis illud modo actum putem, quod tradunt interpretes ad 2 Reg. II. 2. ſed etiam hoc, &

 quiſ

quidem inprimis, ut interpretatio oraculorum divinorum traderetur. Interpretationis autem illius finis duplex fuit; primus, idemque praecipuus, vaticiniorum de Chriſto, itemque figurarum, per quas Chriſtus cum bonis ſuis adumbratus erat, intelligentia: alter, omnium dictorum factorumque ad διδασκαλίαν, παιδείαν, ἔλεγχον, ἐπανόρθωσιν, παραμυθίαν, conferendorum, legisque divinae explicandae, & ad cauſſas quasque applicandae facultas. Ejus opinionis cauſſam habere mihi videor ſatis idoneam. Satis conſtat, veterrimos Judaeorum vaticinia, quae res & eventus nos docuit ad Chriſtum pertinere, ad eundem retuliſſe, ſi non omnia, at plurima & praecipua, id quod viri doctiſſimi demonſtrarunt. Id eos ſuopte ingenio conſequi nullo modo potuiſſe arbitror. Eſt enim veriſſimum hoc, & ipſo ſenſu communi evidens, in vaticiniis iis, in quibus aut nihil, aut parum, perſonis, locis, temporibus definitum ſit, humanum ingenium certi conſequi nihil poſſe, & ſi quis in iis interpretandis laboret, nihil praeter conjecturas, pias illas fortaſſe & innoxias, ſed meras tamen conjecturas exercere. Itaque dubitari non debet, quin veteres Judaei oraculorum talium ſententiam acceperint a Prophetis, non iis ipſis, qui ea edidiſſent, ut placet Schoetgenio Hor. Talmud. T. II. praef. §. 3. non enim eſt neceſſarium, ſed quibuscunque Deus hanc interpretandi facultatem conceſſiſſet. Nam & in Chriſtianae Eccleſiae initiis, in χαρίσμασι fuit interpretatio prophetarum, & princeps omnium prophetarum J. C. idemque interpres maximus, vaticiniis de ſe olim proditis interpretandis effecerat, ut Apoſtoli ea intelligerent. Luc. XXIV. 27. Typorum porro in numero Theologi prudentes ea tantum volunt haberi, quae futurorum ſigna eſſe Spiritus S. voluerit: quod certo judicari, niſi de Spiritus S. ipſius judicio, non poteſt. Itaque non facile alios agnoſcunt typos, niſi quos Chriſtus & Apoſtoli demonſtrarunt. Non eſt autem credibile, nihil typorum perſpectum antiquis Iſraëlitis fuiſſe: immo ſalva fidei analogia dubitari non poteſt, quin, cujus rei figurae eſſent victimae, agnus Paſchalis, ſerpens aeneus, aliaque, perſpectum habuerint. Unde fit, ut hac etiam in re prophetae erudierint

diſcipulos. Jam quod ad alterum, quem propoſuimus interpretationis propheticae finem, attinet, de eo ne dubitare quidem quemquam arbitror.

§. III.

Poſt Babylonicae autem ſervitutis tempus, cum χάρισμα προφητείας defeciſſet, non, ut plane nulli prophetae eſſent, ſed ut rariores, ſcholae ſunt inſtitutae, quae in locum propheticarum ſuccederent, in quibus eadem illa quidem agebantur, ſed e traditione, (neque enim abolita erant penitus, quae prophetae docuerant) & pro facultate cujusque, legendo, cogitando, exercitandoque comparata, בתי־המדרשות dictae. Hic cum ingenio indulgeretur, acuto illi quidem, ſed neque divina luce colluſtrato, neque ſanae philoſophiae & literarum elegantia exculto, & luxurianti nimis, orta eſt praeter ceteras corruptelas, de quibus hic dicere non eſt neceſſe, allegorica libros ſacros interpretandi ratio, quae grammatici ſenſus prope oblita, plura in allegorias & figuras converteret, quam aut opus eſſet, aut res ipſa ferret. Erat igitur iis temporibus interpretatio doctorum e bonis, h. e. antiquis & propheticis traditionibus, & commentitiis rebus pluribus mixta & conflata: non contemnenda illa omnino, ſed quae magnum judicium in delectu deſideraret. Quae Paullus habet in Epiſtola ad Hebraeos ad typicam & allegoricam rationem pertinentia, ea etſi non dixerim omnia e Gamaliëlis, aliorumque Judaicorum doctorum diſciplina hauſta eſſe, & cum delectu decerpta, cujus facultatem Spiritus S. lumen attuliſſet: tamen quaedam inde primum cognita fuiſſe viro divino, videtur colligi poſſe ex iis, quae habet cum Philone Judaeo communia, dudum illa obſervata viris doctis. Nam Philonem a Paullo lectum eſſe, quod nonnullis placet, nec incredibile videtur Wetſtenio, N. T. T. II. pag. 384. atque communia illa e Philone ducta, multis de cauſſis probabile non videtur, quas alio loco commemorabimus. Didicerit autem inde: tamen ea probari a Sp. S. & ſubjici Paullo non potuere, niſi primum ab ipſo, & ex antiquis illis, quos indicavimus, fontibus, profecta eſſent. Talis ergo Chriſti naſcentis

temporibus interpretatio librorum ſacrorum inter Judaeos fuit.

§. IV.

Scriptis primum libris Euangeliſtarum & Apoſtolorum, non magis opus erat interpretibus grammaticis, cum lingua uſi auctores eſſent ea, quae iis, ad quos, & quorum cauſſa tum ſcripti erant, eſſet notiſſima; rerum autem ſcientiam ex inſtitutione Apoſtolorum tenerent. Δυσνόητα Paullina, & alia librorum divinorum, quae torqueri & perverti ſcribit Petrus 2 Petr. III. 16. ab imperitis & levibus hominibus, in rerum magis ſublimitate & novitate, quam verborum obſcuritate erant. Neque τὸ ἐν οἷς ad epiſtolas refertur, ſed ad ταῦτα, ſc. πράγματα, de quibus ipſe Petrus ante dixerat. Igitur prima illa aetate nemo de Commentariis, inprimis grammaticis & hiſtoricis, cogitabat, quorum neceſſitatem ac deſiderium, ut in libris aliis, tempus rerumque commutatio, itemque librorum ipſorum ad alias nationes tranſitus affert, a quibus rebus ſolis obſcuritas verborum ſine auctorum culpa & vitio naſcitur, nec fas eſt aliam in libris ſacris cogitare. Atque etiam ſupererant viri ſancti, ex ipſa Apoſtolorum diſciplina profecti, qui conſuli, ſi quid ambiguum videretur, poſſent. Sola relinquebatur interpretatio rerum, quae ad οἰκοδομὴν fieret in conventibus ſacrorum cauſſa, atque etiam in libris, quae δόγματα & praecepta Chriſtianae veritatis explicaret, illuſtraret, & fidem ſanctitatemque hortando, movendo, conſolando aleret ac roboraret, quo genere interpretationis hodie magiſtri ludorum puerilium, & concionatores populares, & librorum aſceticorum ſcriptores utuntur. In eo ſane fuit & ſemper manſit uſus allegoriarum, ſed modicus, & qui interpretationi ei, quae proprie dicitur, h. e. grammaticae, nihil obeſſet: donec Origenes, imbutus literis Judaicis, & philoſophia Graecanica, ingenioque ipſe valens, longius progreſſus, allegorias nimis, & interdum cum detrimento ac prope pernicie grammatici ſenſus, perſecutus eſt, eaque re allegoricam illam rationem inviſam reddidit, non tamen ita, ut non poſtea ab iis ipſis, qui ejus nomine vituperarent Origenem, ab Hieronymo, Auguſtino, & aliis, in Commentariis popularibus ſcribendis, concionibus ad

ad populum habendis, uſurparetur, ſed majore a peritioribus cum moderatione.

§. V.

Sed poſteaquam libri ſacri vetuſtatem contraxerant, venerantque cum religione Chriſtiana ad populos Hebraicae linguae imperitos, & in loquendi ratione nimis a Judaeis diverſos, qui verba Graeca, Hebraico ſenſu dicta, vulgo non intelligerent; interpretationis grammaticae neceſſitas exorta eſt, coeperuntque docti etiam viri Grammaticorum more Commentarios in libros ſacros conſcribere. Ejus rei initium factum eſſe apud Graecos, nemo ambigat, veterum monumentorum conſultus; atque bene monent Monachi Benedictini in praef. ad Hilarii Pictav. Comment. in Matth. p. 595. Nam ut olim Romam orbis terrae victricem, non puduit omnium artium doctrinam a Graecis petere, ſic illo etiam tempore Eccleſia Latina omnia ſumſit a Graeca. Sed inter Graecos hoc ſtudium grammaticae interpretationis atque interpretationem hanc ipſam primus fundavit Origenes, ejusque tractandae exemplum, quod alii imitarentur, propoſuit, primus quippe in Eccleſia Graeca, idemque ultimus, in quo eſſent omnia, quae ejus rei idoneam facultatem darent. Atque hoc erit primum argumentum, quo confirmare utcunque tentabimus id, quod a nobis eſt propoſitum.

§. VI.

Etſi in ingenio humano, ſicut in terra omnium fructuum, ita omnium artium materia latet: tamen, ut *non omnis fert omnia tellus*, ſic non cujusvis non modo hominis, ſed nationis ingenium cujuslibet artis frugem efferre ex ſe atque gignere poteſt. Graecis hoc datum fuit, ut omnes artes, quae ingenio continentur, invenirent, ceteris nationibus imitandi ſpes & gloria relicta eſt. Ab Graecis igitur & univerſa grammatica doctrina, & interpretandi ars inventa eſt, & ad alios populos propagata, nec uspiam interpres bonus olim extitiſſe reperitur, quin aut Graecus fuerit, aut Graecis exemplis imitandis eam facultatem conſecutus ſit. Judaeos quidem, ſatis conſtat, non prius librorum ſacrorum grammaticos interpretes habuiſſe,

 quam

quam Graecorum ſi non literis, at diſciplinis uti coepiſſent, nec antiquior Sec. XII. Commentarius in libros ſacros grammaticus extat; quo tempore inter Arabes victitantes Judaei eorum ſtudia doctrinae Graecanicae ſunt imitati. Itaque non mirum, ſi etiam inter Chriſtianos interpretatio librorum ſacrorum grammatica a Graecis initia habuit. Sed non ſatis erat, Graecum eſſe: artes interpretum Graecorum perceptas & uſu multo cognitas habere oportebat, qui primus grammaticum ſe interpretem profiteri vellet, & in hac ratione cum ſucceſſu & laude verſari. Accederet neceſſe erat literarum Graecarum & Hebraicarum non vulgaris facultas & ſcientia. Haec autem primus Origenes inter Graecae Eccleſiae doctores habuit omnia: quippe etiam Clemens, magiſter Origenis eruditiſſimus, Hebraicarum literarum expers fuerat, nec in hoc genere interpretandi exercitatus.

§. VII.

Ac grammaticas quidem artes vel ſcribendi vel interpretandi calluiſſe Origenem, quis dubitet, cum conſenſu magno tradant veteres, eum non modo a pueritia inde ad extremum ſummo ſtudio tractaſſe literas humaniores, (Euſeb. *H. E. VI.* 1.) ſed etiam Grammaticum egiſſe ante, quam ſacrarum literarum interpretationem tentaret, ac profiteretur (ibid. *extr.*) quo nomine etiam ſolebat ab invido & indocto Clericorum vulgo, quod doctrinae ejus ſplendorem & gloriam ferre non poſſet, vituperari, cum ipſe interea doleret, eos ignorare, quanta earum literarum esſet in ſacrarum literarum interpretatione neceſſitas atque utilitas. Euſeb. *H. E. VI.* 18. Nam quod idem Euſeb. VI. 3. ait, eum ſuſcepto Catechetae in Alexandrina ſchola munere, *abdicaſſe Grammaticae literaturae profeſſionem, quippe inutilem & ſacris diſciplinis contrariam:* ea vel Euſebii ipſius, vel alius, unde ſua ſumſit, compilator, inficeta admodum & ridicula interpretatio eſt, volentis imitari bonos hiſtoricos, qui rerum earum, quas tradunt, factorumque rationes & conſilia de conjectura addunt: quam convincit ipſe poſt c. 18. narrans, Origenem ad extremum usque literas humaniores, Mathematicas diſciplinas, Philoſophiamque coluiſſe & docuiſſe, ea, qua diximus ante,

ante, de cauſſa. Ea porro in ſcientia quam longe progreſſus fuerit, illud indicio eſt, quod attigerat faſtigium Grammaticae doctrinae, Criticam artem, cujus in ſacris libris e diſciplina Graecorum accurate uſurpandae haud dubie primus exemplum propoſuit, ut poſt demonſtrabimus.

§. VIII.

Hebraicas literas calluiſſe Origenem, & Hieronymus tradit (*), de ſcript. Eccl. 54. & Hexaplorum opus demonſtrat, in quo & textum Hebraicum V. T. Hebraicis Graeciſque literis expreſſum collocarat, & verſionem totam τῶν ό ad Hebraicum textum emendarat & ſuppleverat: quod profecto non eſt hominis, non peritiſſimi linguae Hebraicae. Eam ſcientiam eximiam fuiſſe, negat Huetius, II. 1. 2. exiſtimare poſſe, qui Origenis ſcripta cognoverit: propterea, quod in iis occurrant non pauca, parum conſentanea literis Hebraicis. Quo argumento, fateor, parum me ad asſentiendum moveri, praeſertim cum exempla, in eam partem prolata, fere ad origines verborum pertineant, in quibus facilis lapſus eſt etiam iis, qui in lingua aliqua eximie profecere, ne Varrone quidem, Latine doctiſſimo, nobis, qui longe ab ipſius ſcientia Latinae linguae abſumus, in hoc genere ſatisfaciente. Atque etiam, ut ſcite monet Caſaubonus, Exerc. Bar. XVI. n. 11. mos fuit hic veterum, ſive curioſitas, ut in vocibus peregrinis, quarum non ignorabant etymum, ſatagerent aliquid invenire, quod earum ſignificationi accommodarent. Sic in dictionibus Hebraicis etyma Graeca aut etiam Latina Patres comminiſcuntur, non quod

(*) *Contra aetatis gentisque ſuae naturam*, inquit, *edidicerat.* Quod nec de ſenectute cum Trithemio, nec de virili aetate cum Huetio Orig. I. 2. 3 ceperim, etſi ἡλικίαν vertit Sophronius, qui & *gentis naturam* male οἰκείαν φύσιν interpretatur. Ea aetate ac tempore nondum uſitatum, ait, fuiſſe, Chriſtianis Graecis aſſumere literarum Hebraicarum ſcientiam, ſua lingua acquieſcentibus & verſione V. T. Graeca. Sic intellexi Hieronymi verba, cum primum legi: & ſic video intellexiſſe Fabricium τὴν πάνυ, in Biblioth. Eccl. ad Hieron. l. c. & Bibl. Gr. V. p. 224.

quod veram originem ignorent, ſicut multi hodie ſibi perſuadent, ſed ex mera illa, quam dixi, curioſitate. Atque hujus generis ille exempla ibi commemorat. Nam quod Origenes οὐρανὸν inter & οὐρανοὺς aliquo Commentariorum loco diſtinguit, Matth. XVIII. 18. p. 336. Graecis ſcribens populariter diſtinguit, accommodans ſe ad eorum linguam, & de coelis tribus, quae tum erat, opinionem, ſicut ad Rom. XII. 1. οἰκτιρμοὺς amplius quid dixit eſſe, quam οἰκτιρμὸν, ſecurus Hebraismi, qui hunc pluralem de beneficentia uſurpat, cum res ei eſſet cum Graecis, Hebraismi expertibus, neque tam ageretur de grammatico verborum ſenſu, quam populo vel lectore, etiam indocto, ad officium adhortando. Multa & ipſi talia in libris Origenis, qui nobis quidem lecti ſunt, deprehendimus: neque tamen propterea de Hebraicarum literarum ſcientia, quam Hieronymus ei diſerte tribuit, dubitavimus.

§. IX.

Omnino acerbiores ſunt viri docti in hoc judicio de Hebraicarum literarum in antiquis ſcriptoribus ſcientia Nihil dicam de Joſepho, qui, cum in media Palaeſtina vixerit, & Hebraicos libros ſe ſcripſiſſe, Origines autem ſuas e ſacris libris ſe duxiſſe profiteatur, tamen inſcitiae in hoc genere literarum accuſatur: Philoni, qui eſt cum cauſſa Origenis conjunctior, qui legis Judaicae rerumque Judaicarum cognoſcendarum ſtudioſiſſimus fuit, quotusquisque non ignorationem Hebraicae linguae objicit? *Nemo*, Scaliger ait Animad. ad Euſ. Chr. p. 7. *qui Philonem legerit, ignorare poteſt, eum imperitiſſimum Hebraismi fuiſſe.* Quamobrem? quia in etymologiis a veritate aberrat, & Graeca, etiam ubi ab Hebraica veritate recedunt, Graece interpretatur & ad allegorias flectit. Non profecto viri magni nec aetatem hominum nec genus ſcribendi reſpiciunt, cum tam ſevere de iis pronunciant. Cum Hebraicis de literis quaeritur in Philone, Origene, Hieronymo, cui & ipſi parum in hoc genere tribuebat cum Clerico & aliis Loeſcherus ὁ μακαρίτης, de cauſſ. L. E. p. 96. non profecto de ſcientia ea quaeritur, quae ſit ad grammaticam ἀκρίβειαν exacta, qualem nunc deſideramus in eo, qui literarum Hebraicarum ſci-

ſcientiam profiteri velit. Ea iſtis temporibus, ut opinor, nuſpiam fuit, ne in Judaicis quidem doctoribus, qui inter Judaeos, Hebraico ſermone, qualis tum erat, utentes nati & educati eſſent, & in media Palaeſtina ſcholas haberent, nondum lingua Hebraica, more Graeco, ad grammaticas rationes accurate revocata, aut analogia linguae ſubtilius per obſervationes indagata, & perſpicuis regulis comprehenſa atque expreſſa. Itaque qui maxime periti ejus habebantur, tamen, ut noſtri in vernacula ſua, ſubinde haerebant, aut a vero aberrabant, in verbis praeſertim antiquioribus, & ex uſu ſublatis, originibusque verborum: neque ullo modo e talibus peccatis univerſae linguae, quoad interpretationi ſervit, ſcientia idonea detrahi cuiquam poteſt ac debet. Quod autem ad ſcribendi genus attinet, Philoni non erat in animo, Grammaticos Commentarios in libros Moſis ſcribere, quorum nullum, ut ante dixi, tum exemplum extabat. Immo vero ingenium allegoriis novis, & philoſophiam Graecanicam redolentibus, excogitandis, ſapientiam, Graecis maxime literis comparatam, & eloquentiam exercere & oſtentare volebat, ſtudioſe omnibus, Platonicis inprimis & Demoſthenicis elegantiis verborum exquiſitorum ac ſententiarum acutarum condiens opera, Demoſthenis etiam ῥήσεις pulcherrimas, & a Rhetoribus Graecis celebratas, imitando exprimens, ut facile obſervant, qui a Platonis & Demoſthenis lectione (unus autem hic legitimus ad Philonem intelligendum & pulchritudinem ejus percipiendam aditus eſt) ad Philonem venere. Itaque non popularibus de plebe, & Graecae philoſophiae atque eloquentiae imperitis, qui talia intelligere ac guſtare non poſſent: quid enim putarent eſſe ἐπεντρώρεις v. c. & ἐπεντρώματα Alleg. leg. II. p. 87. quae ne Caſaubonus quidem intelligebat (ad Athen. XIII. p. 546.) quid ἀγαλματοφορεῖν de Opif. M. p. 4. & alibi, quod nemo interpretum cepit, & alia interioris linguae vocabula? ſed eruditis ad Graecorum normam Judaeis, qualis Joſephus & pauci alii fuere, Graeciſque adeo ipſis. Enimvero ex eo conſilio verba Graecae interpretationis tenenda erant, nec ulla neceſſitas ſuberat, diſputationis ad Hebraicam veritatem dirigen-

gendae, quam lectores, quos optaret ſibi contingere, pleroſque aut ignorare, aut non magnopere curare ſciebat. Origenem, etſi conceſſerim, minori vanitate in hoc genere ſcribendi uſum fuiſſe, & cum doctrinae & eloquentiae laudem non ſperneret, utilitatem legentium maxime ſpectaſſe: tamen cum Commentariorum Tomos ſcriberet, & Homilias, & quidem Graecis, Hebraismi prorſus rudibus, πρὸς οἰκοδομὴν, non profecto neceſſe habebat, Hebraicam ubivis ἀκρίβειαν ſequi, &, ſi ab ea interdum receſſit, non magis ignarus Hebraismi judicandus eſt, quam noſtri concionatores & ejusdem Hebraismi, & vero etiam Graecismi, quia ſaepenumero ſe ad plebis captum, ut opinor, accommodantes, in argumentis, in monendo, hortandoque, verſionem vernaculam potius, utcunque intellectam, ſequuntur, quam Hebraicam aut Graecam veritatem. Idque ipſe videtur judicare Origenes notabili in loco, & de tota hac ratione allegorica ſcriptoribus, quantum ſcio, non animadverſo, qui eſt in Comm. in Matth. p. 371. extr. ubi negat ſe tria εὐνουχισμοῦ genera ad corpus pertinentia tradere velle, ne γυμνασίας ἕνεκεν, *exercendi cauſſa*, differens, occaſionem praebeat, totum Chriſti de caſtratione praeceptum in alienum ſenſum detorquendi. Exercitationis igitur rationem habent iſti Commentarii, non inutilis utique lectoribus, ſed in qua veritas, neque in verbis, neque in rebus, ſubtilius vel limatur vel quaeritur: ſuntque ἀγωνίσματα μᾶλλον εἰς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν, ut cum Thucydide I. 22. loquar, ἢ κτήματα ἐς ἀεί· *Commiſſiones* potius, ad praeſentem audiendi legendique voluptatem & admirationem, quam perpetua monumenta, veram gloriam perpetuamque utilitatem allatura.

§. X.

In eo autem parum profecto acutum ſe praebet Huetius, cum in exemplis perſpicuis Hebraismi ignorati ponit & hoc, quod in iisdem ad Matthaeum Commentariis ex altero Esdrae libro *Nehem.* I. 11. II. 1.6. laudet ἤμην εὐνοῦχος τῷ βασιλεῖ, pro quo eum putat ex Hebraico textu poſiturum fuiſſe οἰνοχόος, *ſi utcunque Hebraici ſermonis peritus fuiſſet*, quod Hebraica veritas habet משקה למלך, niſi ipſe in textum Graecum invexerit

vexerit εὐνοῦχος, cum interpretationis Alexandrinae libri omnes haberent, ut nunc, οἰνοχόος. Ego quidem crediderim, ſi in Alexandrinae verſionis exemplaribus fuiſſet tum εὐνοῦχος, Origenem in Hexaplis correcturum fuiſſe ex Hebraico, addita uſitata hujus emendationis nota, quam οἰνοχόος in εὐνοῦχος mutaturum. Sed doctiſſimus Origenis editor non adſecutus erat rationem diſputandi, & modum loci e ſcripturis proferendi. Volebat Origenes commemorare e libris ſacris Eunuchos, μετὰ τῆς ὑποφαινομένης αὐτῷ εἰς αὐτοὺς ἀναγωγῆς, *cum anagogico eorum ſenſu, quem ipſe comminiſci poſſet*: non, ut hoc obiter moneamus, qui iis de conſilio Spiritus S. ineſſet, ſed qui ipſi in mentem veniſſet. Ponit primo pincernam & piſtorem Pharaonis e Gen. XL. 1. quos Eunuchos Pharaonis vocat, exſectos propterea, ut id muneris habere poſſent: non, quo Moſes eos ſic vocet, aut certo conſtet, eos exſectos fuiſſe, ſed de conjectura, ducta e regio in Oriente, qui poſt fuit, more. Addit deinde Neemiam, pincernam regium, & eum, ſerviens diſputationi, poſito generis nomine pro ſpecie, eunuchum appellat, εὐνοῦχος ἤμην τῷ βασιλεῖ. An hinc colligi poteſt, eum exiſtimaſſe משקה proprie eſſe εὐνοῦχον, aut ſic eum in exemplaribus verſionis τῶν ό ſcriptum reperiſſe, atque adeo hanc vocem in eo loco in varietate lectionis antiquae ponendam eſſe? Nullo modo. Multa talia ſunt in libris Patrum Graecorum & Latinorum, quae proferuntur e libris ſacris non accurate, ad ſcripturam exemplarium Graecorum & Latinorum, ſed ad ſenſum, accommodateque ad diſputationis conſilium: in quibus ipſis ſaepe hoc accidit parum attentis, ut ea pro variis lectionibus Codicum Graecorum Latinorumque acciperent, ut bene docet v. c. Michaëlis, Vir Ven. de Var. Lect. N. T. §. 15. Sed de Origenis ſcientia literarum Hebraicarum ſatis, ac fortaſſe plus quam ſatis, diximus.

§. XI.

Summa autem ſuperioris diſputationis haec eſt: Nihil defuit Origeni earum rerum, quae eſſe deberent in eo, qui primus interpretationis grammaticae, in ſacris libris recte uſurpandae, viam aperire atque munire, denique exemplum aliis imitandum proponere

vel-

vellet. Nam primum, id quod omnibus eſt neceſſarium, qui in novo genere aliquid conari cum ſucceſſu velint, formam & ſpeciem ejus artis animo conceperat, ductam a bonis Graecorum Grammaticorum & interpretum libris & exemplaribus, ad quam componeret ſe, cum in novo genere ſcriptorum paria tentaret; deinde uſum eorum artificiorum, quae in interpretando valent, contraxerat interpretandis Graecorum libris, & Grammaticorum artibus, quo tempore Grammaticam profeſſionem tenuerat, exercendis, ſine quo nihil praecepta, quamvis bona, profuerint. Callebat egregie non modo literas Graecas, quod ei commune fuit cum quibusdam aliis ſuperioribus Eccleſiae doctoribus, ſed etiam Hebraicas, ſi non, quantum hodie ad perfectum Grammaticum ſatis eſſet, at quantum ad facultatem interpretandi Veteris & Novi T. libros. Nam & ap. Homerum v. c. ſunt vocabula, quorum vim teneant ac poteſtatem interpretes, originem & grammaticam rationem vel plane ignorent veteres pariter atque recentiores, vel parum probabiliter interdum, plane diſſone ab analogia linguae, tradant, ut ſciunt, etiam qui leviter Euſtathii Commentarios deguſtarunt. Quid deſiderari poteſt amplius? Verum quid opus eſt argumentis, ubi rerum teſtimonia ſuppeditant? Ea ergo age videamus.

§. XII.

Initium eruditae interpretationis ab emendatae lectionis cura & judicio proficiſci debere, & per ſe clarum eſt, & nuper oſtendimus. Hoc igitur diligenter actum eſt ab Origene, ut Veteris & Novi Teſtamenti libri Hebraici & Graeci emendate legerentur: vereque dici poteſt, ab eo Criticae ſacrae, quae poſtea ab Graecis Latinisque, quanquam paucis, Doctoribus, velut Hieronymo, Iſidoro Peluſiota, aliisque culta eſt, tractandae, initium factum & exemplum proditum eſſe. Nam ut a V. T. libris incipiamus, celebre illud Hexaplorum opus immenſo labore & ſumma cura confecit, cujus veluti fundamentis totum Hermeneutices, quoad in V. T. verſatur, aedificium ſuperſtrueretur. Etenim in eo Opere duo, ut nobis videtur, ſpectavit: primum, ut exemplar

plar librorum divinorum in utroque ſermone eſſet emendatiſſimum, ex quo exempla deſcribi bona & incorrupta poſſent; deinde ut Hebraicorum fontium intelligentia per verſionum varietatem adjuvaretur. De poſteriori mox dicetur: de illo paucis hic videamus. Satis conſtat, in eo fuiſſe in prima paginae cujusque columella (σελίδι) contextum ſacrorum librorum Hebraicum, quod eum dubitare non licet ex optimis, quorum facultas erat, libris ſumſiſſe, & ad plurium librorum fidem recenſuiſſe. Ea autem copia deeſſe vix potuit iſtis temporibus in Palaeſtina agenti, & doctos inter Judaeos habenti amicos, & ſumtus liberaliter praebente Ambroſio, hortatore operis, locupletiſſimo homine. Sed ejus rei teſtem ipſum habemus, (in Epiſt. ad *Africanum* p. 13. B. T. I. Opp. edit. *Ruaei*) profitentem, ſe Ἑβραϊκοῖς ἀντιγράφοις contuliſſe Graeca. Quod ipſum fidem facit, ſi tum codices Hebraei minutis vocalium ſignis, quae nunc ſunt, notati fuere, tali libro uſum eſſe Origenem: fuiſſet enim editoris & critici valde imperiti & negligentis, non optimo libro in tali re uti: nec ullo modo hic locum habet, quod cum aliis, ſignorum iſtorum antiquitatem defendentibus, reſpondet adverſariis, Origenis ſilentium opponentibus, Carpzovius, Vir in hoc genere literarum excellens inprimis (Crit. S. p. 271.) *extitere utique tum — — Codices punctati, ſed cum immani venirent pretio, frequentes adeo non erant, ut cuivis eorum copia praeſto eſſet:* quamquam id ipſum ſine antiquo auctore ac teſte dicitur. Enimvero illud quidem certum eſt, Origenem Hebraicam ſcripturam talibus vocalium ſignis non notaſſe. Nam & Euſebius teſtis αὐτόπτης, qui Caeſareae, ubi authenticum Origenis opus ſervabatur in Bibliotheca Baſilicae, Epiſcopus fuit, & Epiphanius de Pond. & Menſ. c. 7. ſola στοιχεῖα commemorant, quae ſunt elementa literarum, & fruſtra addita fuiſſent, in alia σελίδι, Hebraica, expreſſa Graecis literis, per quas etiam vocales exprimerentur, atque ita illa Hebraica στοιχεῖα velut animarentur. Quod tamen non habet hanc vim, ut certum argumentum praebeat his, qui illa tum ſigna inventa & uſurpata fuiſſe negant. Nam potuit Origenes malle, vocales literis exprimere, ne fluctuaret lectio, ſed quid

quid quibusque locis, inprimis ab ſimilitudine elementorum & contextu ambiguis legendum eſſet, ex auctoritate veterum librorum & bonorum conſtaret, atque ita vera lectio, veluti vinculis quibusdam devincta, certa & ſtabilis fieret: in quo ille dicendus eſſet boni Critici & prudentis munus feciſſe, & rationem illam Hebraica Graecis literis exprimendi ingenioſe excogitaſſe. Quae laus manet Origenem profecto, etiamſi quis hanc conjecturam non probet, malitque ſequi vel Capellos, Simones, Morinos, alioſque, qui de traditione Judaeorum, ſive conſuetudine, quae tum erat, verba quaeque legendi, Graecam ſcripturam repetitam putant, vel magnum Schulrenſium praef. ad Comm. in Proverb. Sal. & hujus ſequaces, qui ſigna quidem vocalium, & Origenis aetate & ante fuiſſe, ſed non iſta minuta, quae nunc ſunt, exiſtimant. Neque vero hujus loci eſt iſta de punctis diſputatio: boni critici officium an fecerit Origenes, quaeritur, in edendo Hebraico textu, quod probatum lectoribus confidimus.

§. XIII.

Illud vero haud cunctanter adfirmaverim, lectiones illas, quae hodie in margine Hebraici Codicis reperiuntur, & ab Hexaplis abfuiſſe, nullis earum vel leviſſimis veſtigiis apud veteres ſcriptores occurrentibus, non profecto tacite praetermiſſuros hanc critici laboris partem, cum obelos, aſteriſcos &c. verſionis Graecae commemorarint, & tam diligenter explicarint, & vero etiam ab libris, qui tum erant, Hebraicis. Neque enim ullo modo credibile eſt, ſi, non dicam a viris θεοπνεύστοις, Moſe aut Esdra &c. quae nonnullorum perridicula profecto opinio eſt, ſed e libris antiquis & bonis, & auctoritatem vel parem ceteris, vel aliquam non contemnendam habentibus, repetitas & notatas lectiones illas conſtitiſſet inter Judaeorum magiſtros, eas omiſſurum Origenem fuiſſe, praeſertim cum ſubinde ſaltem gloſſae locum obtinere poſſent, & hactenus prodeſſe ſtudioſis: cum non aliam ob cauſſam, ut poſt dicetur, Aquilae verſionem τὴν κατὰ πόδα addiderit, niſi ut intelligentiam Hebraicorum verborum, praeſertim rariorum ac difficiliorum, juvaret.

§. XIV.

§. XIV.

Alterum Criſeos documentum Hexapla habebant verſionem Graecam Alexandrinorum: nam, ceterae, novitiae cum eſſent, nec paris in Eccleſia auctoritatis, non indigebant critica caſtigatione. De quo liquidius pronunciare licet, cum veteres ejus caſtigationis praeſidia, modumque, plane accurateque tradant. Quae tum vulgo in manibus erant exempla, ita variabant, ita manifeſte verborum detractionibus, adjunctionibus, permutationibusque erant vitiata, ut neceſſaria correctio videretur. Itaque eodem prope tempore tres ejus rei agendae conſilium cepere, Origenes in Palaeſtina, Lucianus in Syria, & Heſychius in Aegypto: unde tres recenſiones, non leviter diſcrepantes, natae ſunt: cupide Eccleſia quaque accipiente beneficium ac tenente, quod apud ſe natum, quod ſibi primae datum eſſet. *Alexandria & Aegyptus in ſeptuaginta ſuis* Heſychium *laudat auctorem: Conſtantinopolis usque Antiochiam* Luciani *Martyris exemplaria probat: mediae inter has provinciae Palaeſtinos Codices legunt, quos ab* Origene *elaboratos Euſebius & Pamphilus vulgaverunt*: verba Hieronymi ſunt in praef. ad Paralip. In quo agnoſcere convenit, ut hoc obiter addamus, vel aequitatem, vel judicium doctorum veteris Eccleſiae: qui, cum verſionem illam plerique θεόπνευστον putarent, certe Hebraicis archetypis aequipararent, tamen κρίσιν in ea exerceri, nec pari ratione, & exempla ea, quae in manibus habuiſſent, κοινὴν poſt vocabant, *vulgatam*, quibus diu adſueviſſent, ſibi velut de manibus eripi, non modo ferebant, nec in eo peccari aliquid querebantur, ſed etiam beneficium ſibi & Eccleſiae tributum putabant, eoque & ipſi utebantur, & alios uti ſinebant. Sed nondum extincta tum inter Graecos erant recta literarum ſtudia, & inter doctores non deerant bene literis inſtituti, qui Criticae juſtae & neceſſitatem & utilitatem non ignorarent, nec ceteri per arrogantiam contemnere didicerant, quae ipſi per tarditatem aut ignaviam non didiciſſent.

§. XV.

Sed Heſychius & Lucianus, quibus praeſidiis librorum uſi fuerint, quem correctionis modum tenuerint, non ſatis perſpicue traditum reperimus, nec eſt

noſtri

noſtri inſtituti quaerere, aut de eorum recenſionibus dicere. In hoc tamen ratio eorum diſcrepabat ab Origeniana, quod Graecos modo libros in conſilium adhibuerant, cum Origenes & Graecos & Hebraicos in auxilium operis adſciviſſet, unde facta eſt Origeniana recenſio conſentiens magis Hebraicae ſcripturae, quam Lucianea aut Heſychiana, eoque ſigno licet eorum, quae nunc vel ſcripta vel edita extant, exemplorum origines utcunque agnoſcere, ut bene docet Morinus in Epiſt. ad *Jun. Patricium*, in qua de Alexandrino Codice agitur (in Antiq. Eccl. Orient.) Sed Origenes, id quod magno conſenſu traditur, caſtigationem ſuſcepit comparatis ante omnia libris, quos reperire poſſet, optimis, in his exemplo nobiliſſimo, quod Alexandriae in Serapeo ſervabatur, a multisque τ ὁ autographum, falſo, ut opinor, putabatur. Sed hoc non admodum refert. Satis eſt, rationem hanc ab eo habitam eſſe, ut antiquiſſimum, qui tum eſſet, librum conſuleret inprimis: quae in omni veteris ſcriptoris recenſione prima laus & commendatio habetur. Enimvero cum conſtet inter peritos artis, interdum e verſionibus ſcriptorum veram lectionem vel indagari vel firmari: quanto magis verſionum vitia per archetypi indicia vel deprehendi vel corrigi poſſe exiſtimandum eſt. Itaque recte atque ordine fecit Origenes, cum Hebraicos fontes adiit, ex iisque emendatiorem lectionem derivare inſtituit, cum praeſertim, ut ante dixi, conſentiens & Judaeorum & Chriſtianorum eſſet opinio, verſionem illam quacunque de cauſſa vitiatam eſſe, & maxima corruptelae pars neceſſario eſſet in aberratione ejus ab integritate Hebraicorum exemplorum, niſi ubi ipſi interpretes vel negligentia vel ignorantia veteris ſermonis aberrasſent.

§. XVI.

Sed in hoc ipſo accuſatur ἀκρισίας Origenes ab Jo. Morino, Iſ. Voſſio, & aliis, qui Hebraica potius e Graecis, quam haec ex illis correcta volunt, cum negent, addi quidquam aut demi verſioni debuiſſe ſine libris, Origenes autem Graeca, quae non eſſent in Hebraicis, obelis confixerit, & quae in Graeco non legerentur, cum haberentur in Hebraico, addiderit.

rit. Primum non ſine libris correxit Origenes, qui Hebraica archetypa ſecutus eſt: dein & Graeci, etiam qui Hebraica neſcirent, nec ab magiſtris Judaicis decepti eſſe poſſent, & Judaei, qui in magno honore verſionem iſtam habebant, tamen eam valde vitiatam eſſe conſentiebant, adſtipulante nimia exemplorum varietate: de Hebraicorum autem librorum corruptione nihil quisquam ſuſpicabatur: neque enim ullum talis ſuſpicionis veſtigium in illorum temporum ſcriptis impreſſum eſt, Origene adeo Hebraica exemplaria καθαρὰ καὶ μηδὲν πλάσμα ἔχοντα appellante, & hortante Chriſtianos, ut abjectis exemplaribus Graecis, vel adulando eliciant a Judaeis incorrupta exemplaria, ad Afric. p. 16. B. Quomodo igitur non conſentaneum videri poterat, Graeca potius ex Hebraicis, quam haec ex illis corrigi, ſi modo, ubi libri Graeci nihil opus afferrent, modus quidam adhiberetur. Quem adhibitum eſſe ab Origene, clarum eſt. Nam, quae ex Hebraico adſcivit, aſteriſcis notavit, ne cum iis confunderentur, quae auctoritate librorum Graecorum niterentur: & quae ab Hebraicis abeſſent, ea non ſuſtulit, aut tolli voluit, repugnantibus libris, ſed obelo addito indicavit, ab Hebraicis eſſe aliena. Quo etiam admonuit ſtudioſos, ut ſi in libros veteres & bonos inciderent, quos ipſe conſulere non potuiſſet, viderent, an eorum auctoritate ſui vel aſteriſci vel obeliſci confirmarentur. Nec in iis, quae adderet, ſui judicii fuit, ſed e Theodotione fere ſumſit, quem conſtabat, non modo ſimillimum eſſe interpretandi genere τοῖς ό, ſed ipſa ſaepe eorum verba in antiquis libris reperta in ſuam verſionem tranſtuliſſe. Quid addi ad hanc diligentiam potuit?

§. XVII.

Neque vero V. modo T. ſed etiam Novo criticam operam navavit Origenes, minus quidem illam laborioſam, in minori libri mole, & cum verſionum ratio habenda non eſſet, ceterum non minus laudandam & Eccleſiae utilem. De qua cum aut nihil diſputent, qui de opera V. T. navata multa tradunt, aut leviter admodum vulgo defungantur, paullo di-

ligentius dicendum videtur. Eſt autem digna res, quae accuratius cognoſcatur ab omnibus, qui de Codicum, etiam qui nunc ſunt, origine, auctoritate, lectionum porro, quae e libris ſcriptis eduntur, pretio judicare, denique in univerſa re N. T. critica bene & intelligenter verſari cupiant. Ac primum diſſentire video doctos in hoc genere homines in re univerſa, hoc eſt, alios ab Origene critica diligentia excuſſos, & comparatione antiquorum librorum emendatos libros N. T. fuiſſe, alios nihil tale ab ipſo factum, exiſtimare. Itaque Origenis codices & exemplaria, quae a Pamphilo in Bibliothecam Caeſareenſem illata, & a multis conſulta traduntur, intelligunt codices ab eo comparatos & ad interpretandi uſum congeſtos. In hac ſententia fuiſſe reperio Zacagnium praef. ad Monum. vet. Eccl. Graecae p. LXV. Simonem in Hiſt. Crit. N. T. c. 29. p. 337. & Millium in Proleg. N. T. n. 673. hic quoque Simonis veſtigiis inſiſtentem. Nos non poenitet eſſe ſententiae alterius, quae ab Origene textum librorum ſacrorum caſtigatum, ejusque caſtigationis exempla Origenis *exemplaria* dicta decernit.

§. XVIII.

Ac primum ei ſententiae aliqua probabilitas accedit ab eo, quod, quemadmodum, qui eodem fere tempore verſionem V. T. Graecam recenſuere, Lucianus & Heſychius, ut ſupra diximus, iidem N. T. librorum ἔκδοσιν fecere, ſed quae minus probata peritis eſſet, ſic credibile videtur, Origenem quoque, vel ſua ſponte, vel conſilio & hortatu aliorum, eandem curam ſuſcepiſſe, ut utriusque ſacrorum librorum corporis emendata exemplaria extarent. Sed res, ut nobis videtur, perſpicue patet locis veterum iis, in quibus Origenis *exemplaria* (ἀντίγραφα) commemorantur: v. c. Hieron. ad Matth. XXIV. 36. quae profecto, per loquendi minime dubiam conſuetudinem, alia eſſe, niſi ab Origene recognita ad bonorum & veterum librorum fidem & caſtigata, nullo modo poſſunt. Si Luciani martyris *exemplaria*, ab eodem Hieronymo l. c. §. 14. commemorata nulla alia ſunt, niſi quae ipſe Criticorum more recenſuit, de quo dubitari nullo modo poteſt, nec quisquam unquam dubitavit: quid

quid eſt cauſſae, quare Origenis *exemplaria N. T.* aliter accipiantur? praeſertim cum Hieronymus eorum auctoritate utatur, ad lectionis veritatem aſſerendam. Neque enim dominus libro auctoritatem affert: quippe & vitioſorum librorum dominus eſſe vel doctiſſimus Criticus poteſt: ſed diligentia vel domini, vel cujuscunque, in recenſendo, & caſtigando. Et Origenes plus uno loco tradit, vitioſos Codices a ſe inſpectos eſſe. Nam quod Simonius l. c. exiſtimat, ſi N. T. libri ab Origene, pariter ac τῶν ό interpretatio, recogniti fuiſſent, facturos fuiſſe vulgo homines, ut exempla ſua vel ex Origenianis repeterent, vel ad ea corrigerent: recte ille quidem exiſtimat: ceterum male negat, id factitatum in vetere Eccleſia Graeca fuiſſe. Primum enim Pamphili *libri*, quos eum ſua manu deſcripſiſſe tradit Euthalius in ſubſcriptione Epiſtol. Cathol. p. 513. & in bibliotheca Caeſareenſi repoſuiſſe, a viris doctis facti creduntur ex recenſione Origenis, cujus eum magnum admiratorem fuiſſe conſtat, ut qui etiam Apologiam pro Origene ſcripſit. Euſebiani porro *Codices*, quos Euſebius juſſu Conſtantini M. deſcribendos, & Conſtantinopolin deportandos curavit, (Euſeb. Vit. Conſt. IV. 36. Theodoret. H. E. 16.) ex eadem recenſione ductos, dubitare vix licet: nec aliam ob cauſſam Euſebio hoc negotii datum ab Imperatore credibile eſt, quam quod Origenianorum Codicum maxima fama & auctoritas eſſet. Ad haec autem Conſtantinopolitana exemplaria, publice recepta ac probata, in iſta ſaltem Dioeceſi, concinnata eſſe, ſi non omnia, at permulta nova exempla, nemini facile dubium videbitur. Ille autem, cujus ante mentio facta eſt, Euthalius cum Maſorethicum opus facere, edendis Epiſtolis Paulli catholicisque, itemque Actis Apoſtolicis, inſtitueret, relictis omnibus profectus eſt Caeſaream, & librum ſuum cum Codicibus Caeſareenſibus a Pamphilo & Euſebio curatis, h. e. Origenianae recenſionis, contulit, & ad eorum fidem caſtigavit, ut ipſe adnotat in ſubſcriptione Act. Ap. & Epiſt. Cathol. p. 513. in Zacagnii Monum. Eccl. Gr. adde Zacagnii praef. l. ſupra poſito. In Codice vetuſtiſſimo R. Marchalli, qui poſt fuit apud Jeſuitas Pariſinos, nunc, opinor, in Bibliotheca

Mermanniana, ad Calcem Jeremiae haec ſcripta ſunt, quamquam de V. T. libris: διωρθώθη ἀπὸ τῶν Ὠριγένους αὐτοῦ τετραπλῶν, ἅτινα καὶ αὐτοῦ χειρὶ διώρθωτο. Unde, quid ſit Origenis *exemplar*, quid *ad exemplaria* Origenis *emendare*, planiſſime patet.

§. XIX.

Qualis autem illa *Origeniana recenſio* fuerit, operae pretium videtur cognoſcere. In quo magnum praejudicium facit, quod ejus tanta in Vetere Eccleſia, nec apud vulgus, ſed apud erudititiſſimos, Pamphilum, Euſebium, Hieronymum, aliosque ſimiles, qui de tali re bene judicare poterant, auctoritas fuit, ut eam publicarent in bibliothecis, Eccleſiis commendarent, ex eaque controverſias de lectionibus dubiis dirimerent, eam in interpretando paene omnes ſequerentur. Non audemus affirmare, quod ſcimus eſſe a doctiſſimo viro, non jam occurrit quo, exiſtimatum, Origenem, cum in Palaeſtina verſaretur, uſum eſſe Codicibus, cum aliis antiquioribus, tum etiam quorundam librorum, inprimis Epiſtolarum, autographis, qui tum adhuc in Eccleſiis ſervarentur iis, ad quas miſſae fuiſſent. Satis enim ſcimus, id ſine idoneo auctore ac teſte affirmari, planeque incertum eſſe, quamdiu autographa virorum divinorum ſuperfuerint. Nam quod Tertullianus Praeſcriptt. haeret. c. 36. in Eccleſiis apoſtolicis *adhuc recitari*, ait, *authenticas Apoſtolorum literas:* id etiamſi quis cum Garbello V. D. in prolegom. ad Blanchini Euangeliarium p. 27. de archetypis, ſeu autographis intelligere velit, tamen illa relinquitur dubitatio, quae eidem viro docto in mentem venit, utrum Tertullianus rem certam, & certo cognitam, quod vix videtur, an e fama hauſtam, tradat: nec quicquam impedit, quo minus *authenticae literae* intelligantur *genuinae*, h. e. nullis interpolationibus adulteratae, quales nos cum maxime habemus. Interpretum quidem Tertulliani opinionem, Graeca exemplaria intelligi, quod & Simoni placebat, res ipſa refellit, quod aliae quoque Eccleſiae Graecae Graeca exemplaria habebant. Ceterum Origenem habuiſſe & conſuluiſſe Codices plures & meliores, quorum quidem copia eſſet, vel intelligentia viri in talibus ſuadet credere, & multis operum ejus locis firmatur, qui-

quibus variorum de uno loco conſultorum Codicum mentionem facit v. c. Comm. in Joan. p. 130. σχεδὸν ἐν πᾶσι τοῖς ἀντιγράφοις κεῖται· ταῦτα ἐν Βηθανίᾳ ἐγένετο. Nec ſuſpicio eſſe poteſt, Codices ab eo uſurpatos e Latina verſione interpolatos fuiſſe, & inde aliquid labis in editionem ejus irrepſiſſe. Teſtes ſunt lectiones Chryſoſtomi, aliorumque Graecorum, qui ex Origenis Codicibus pependerunt, ab Latinizantibus Codicibus, id quod ſatis conſtat, diſcrepantes. E corruptelis autem & interpolationibus haereticorum aliquid labis in ἔκδοσιν illam manaſſe, adeo non credibile eſt, ut potius inprimis per eum cautum eſſe, bene judicet Saubertus in eruditiſſimis ad Var. lect. in Matth. proleg. p. 21. ut purus ab iis textus N. T. eſſet, & maneret.

§. XX.

Illud dubitari video, an conjecturis Origenes in recenſione ſua locum dederit? Wetſtenius quidem, etſi non dubitat, quin, ſi *Origenis Codex* extet, ad editionem N. T. accuratiſſimam plus inde, quam ex omnibus, qui nunc ſunt, Codicibus, ſubſidii habituri ſimus, tamen negat, ſe omnes Origenis lectiones probaturum, propterea, quod ille ex conjectura, eaque, ut plerumque fiat, infelici & non neceſſaria, non pauca in N. T. mutarit Proleg. ad N. T. T. I. p. 67. quod intelligi poſſe ex locis iis, de quibus ipſe in Commentariorum reliquiis nos doceat, intellecturosque nos exemplis pluribus, ſi Commentarios ejus Graecos omnes atque integros haberemus. Quod dat vir doctus, de bonitate recenſionis Origenianae, ſuffecturum utique Origeni, ſi viveret, ipſi, accipimus: quod de conjecturis Origenis ait, dubitationem habere videtur: de qua breviter dicendum videtur. Non ignoramus, veteres Eccleſiae doctores, & ſacrorum librorum Interpretes, eosque celeberrimos & eruditiſſimos, aliter de re Critica in iis exercenda ſenſiſſe, atque novitios quosdam, a Poſtilla & Compendio doctrinae profectos, qui omnem κρίσιν, vel nominis cauſſa, quod ſcilicet ſolum timent atque oderunt, ut rem noxiam & pernicioſam repudiant: nec ſolum hactenus eam probaſſe, quod debebant & licebat, ut non uno quocunque libro ſtaretur, ſed comparatis libris

bris antiquioribus & melioribus, quid ſequendum probandumque eſſet, decerneretur; ſed ut etiam, ubi libri non ſatisfacerent, ſive potius non ſatisfacere viderentur, ad conjecturas rem deducerent. Sed id fecerunt eo modo, quo modeſti Critici in libris humanis faciunt, h. e. ut conjecturas in Commentariis proponerent, a verborum ipſo contextu mutando abſtinerent. Eademque ratione & moderatione uſum arbitror Origenem: in Commentariis ſubinde conjecturis indulſiſſe in locis iis, ubi ſe expedire non poſſet; in libris divinis ipſis recenſendis religionem adhibuiſſe eam, ut nihil niſi libris jubentibus idoneis poneret. Exempla quidem conjecturarum, quae a Wetſtenio proferuntur, e Commentariis ejus & Scholiis deprompta ſunt omnia, nec ullo modo doceri aut probabile fieri poteſt, eas conjecturas ab ipſo in contextum illatas fuiſſe. Quodſi poſtea de conjecturis ejus aliquid venit in textum ipſum per eos, qui nimium auctoritati Origenis tribuerent, non tam Origenis ea culpa eſt, quam eorum, qui conjecturis ejus temere abuterentur.

§. XXI.

Jam primum, *Codicem Origenis* ſubinde aliquid ab Homiliis & Commentariis diverſum fuiſſe ſecutum, clarum exemplum eſt in Matthaei loco XXIV. 36. qui in Homiliis ita tractatur, ut ratio habeatur verborum οὐδὲ υἱὸς, ut monet Eraſmus ad eum locum. Enimvero ea verba a Codice Origenis afuiſſe, diſertum teſtem habemus Hieronymum in Commentario. Tum ne in conjecturis quidem numerem omnia, quae Wetſtenius in hac claſſe ponit. Lectionem quidem Jo. I. 28. ἐν Βηθαβαρᾶ, quam ille haud dubitanter pro vana Origenis conjectura e textu Joanneo exterminat, repoſito ἐν Βηθανίᾳ, non a conjiciendi levitate, ſed a librorum, etſi paucorum, auctoritate ductam exiſtimem, indicante, ut opinor, Origene ipſo, primo, quod tanta fiducia Bethabaram ſemper vocat, deinde, quod non *in omnibus libris* fuiſſe ait, ἐν Βηθανίᾳ, ſed ἐν σχεδὸν πᾶσι, *in propemodum omnibus*. Hic enim quaeram, quid fuerit in iis, quos excipit? Nam in aliquibus, etſi paucis, uno forte itemque altero, aliud, quam ἐν Βηθανίᾳ, fuit. Non credemus, eos paucos ἐν

Βηθαβαρᾶ habuiſſe, quando aliud, quod in iis fuerit, non tradit? Quorſum igitur addit, non neſcire ſe, in libris prope omnibus eſſe ἐν Βηθανίᾳ? Nempe excuſaturus ſe lectoribus in eo, quod in diligenda lectione multitudinem librorum negligat, cujus plerumque ratio habetur, niſi res & ratio, ut putabat in hoc loco, obſtent. Quare ſine dubitatione tribuemus Origenis recenſioni, quod veteres, ut eam ἀκριβῆ, ἀκριβεστέραν, *accuratam*, *ceterisque accuratiorem* fuiſſe putemus.

§. XXII.

In primo interpretis boni munere qualem ſe praeſtiterit Origenes, oſtendimus, effecimusque, ut opinamur, ut intelligi poſſet, rectiſſime Origenem virum κριτικώτατον, ut alios taceam, a Vitringa vocari, in praef. ad Eſ. Comm. In altero, quod cernitur in ſenſu verborum per grammaticas artes reperiendo, firmandoque, qualis fuerit, reſtat ut videamus. In quo genere primum idque egregium, etſi vulgo non ſatis animadverſum, documentum eadem illa, de quibus ante diximus, Hexapla praebent. Neque enim in iis hoc modo ſpectaſſe nobis videtur, ut textus Hebraici Graecique Alexandrini correctum exemplar praeſtaret, ſed ut etiam verborum intelligentiam juvaret. Ordinem verſionum Graecarum ſatis conſtat ita ab Origene deſcriptum fuiſſe, ut primum locum teneret, non, quae antiquiſſima eſſet, ſed quae Aquilam auctorem haberet: alterum Symmachi: tertium Alexandrina: quartum Theodotionis. Jam nihil dicam de eo, quod conſtat inter omnes, verſiones Commentarii Grammatici vel Scholiorum vim & uſum habere; unde fit, ut quatuor quaſi Commentariis textus Hebraicus ſtipatus fuerit: illud quis non videt, Aquilae verſionem, quae ita verbum de verbo exprimeret, ut & Judaeis valde probaretur, ceterisque longe praeferretur, & a Chriſtianis doctoribus, Hebraica ignorantibus, *Hebraica veritas* appellaretur vulgo, ejusque verba pro Hebraicis laudarentur, eam igitur verſionem *Gloſſarii* Hebraici, quod tum, quantum ſcio, nullum fuit, locum obtinuiſſe? ejus autem tanto melioris, quanto magis Aquila peritus linguae Hebraicae fuerat, ἀκρότατα πεπαιδευθεὶς τὴν Ἑβραΐδα διάλεκτον, *penitus doctus Hebraice*, ut ait Epiphanius de pond. & M. c. 15. Sed non

non ſtatim aſſequitur ſententiam ſcriptoris, qui verbum e verbo exprimere poteſt, praeſertim ſi linguae indole ſua ita diſcrepant, ut Orientales ab Occidentalibus disjunctas videmus. Itaque verſioni Aquilae, quae Judaeis forte, non mere Graecis, ad intelligendum prodeſſet, adjunxit proxime interpretationem Symmachi, quae ſenſum Hebraicorum bene Graece expresſerat, ut conſenſu tradunt veteres, nominatim Hieronymus, eo nomine mirifice laudans hanc verſionem, cum Júdaei, Graeci ſermonis ab Hebraico nimis abhorrentis puritate veritatem caeleſtem contaminari putantes, vehementer eam deteſtarentur. Nonne his duabus ergo verſionibus conjungendis prope justum grammaticae interpretationis Commentarium ſtudioſis ſacrarum literarum praeſtitisſe Origenem dicemus? Quod praeclare vidit idem ille, quem ante commemoravimus, Vitringa l. c. p. 4. qui reprehenſis veteribus Eſaiae Enarratoribus Graecis, Alexandrinam verſionem nimis ſecutis, & per eam a vera Prophetae ſententia abductis, *habuiſſe eos in manibus*, ait, *& coram oculis, praeſtantisſimas verſiones* (addit & tertiam Theodotionis, quae erat veluti media inter utramque, nec puritatem Graeci ſermonis nec Hebraicam proprietatem nimis retinens, & quaſi ex utraque ratione miſta & temperata) *ex quibus inter ſe collatis, absque ulla, vel majore peritia idiomatis Hebraici, facile potuiſſe dignoſcere veram Prophetae orationem:* quo loco etiam miratur, poſt renata feliciter literarum ſtudia, eſſe, qui verſionibus, earumque fragmentis non ſuum ſtatuant pretium: quod etiam ad Alexandrinam pertinet. Nam & haec in Hexaplis erat, quamquam, ut arbitramur, non tam, ut ex ea intelligerentur Hebraica, quamquam hoc quoque, verum cum magna cautione, de qua dicere hoc loco non eſt neceſſe, ſed ut in locis ejus, ab Hebraica veritate plane aberrantibus remedium esſet ex Aquila, ubi verbum de verbo exprimeret parum Graece, hoc eſt, obſcure, e Symmacho. Etenim, cum haec verſio in omnibus Eccleſiis Graecis esſet recepta, & in tanto honore verſaretur, ut prope parem Hebraicis libris auctoritatem obtineret, plerisque eam θεόπνευστον exiſtimare non dubitantibus, ab Origene in Hexaplis, ut alter textus authenticus, tractata eſt, cu-

cujus intelligentia, ſicut Hebraici exempli, ex Aquila & Symmacho peteretur ab his, qui Hebraica ignorarent. Ea commoditate quod non uſi ſunt in Commentariis Graeci, ut patet e Procopii in Eſaiam Commentario, qui eſt ex illis ductus, cauſſa, ut opinamur, haec fuit, quod Commentariis ſuis non Doctoribus, ſed univerſis prodeſſe cuperent, eamque ob causſam necesſe haberent, quod in verbis τῶν ό esſet interpretari, & cum iis ab ſententia veritatis Hebraicae aberrare, quod noſtri quoque non inutiliter ſaepe faciunt, qui verſionis Lutheri verba populo interpretantur.

§. XXIII.

Sufficere iſta poterant his, qui ipſi experiri ingenium doctrinamque in interpretando, & ſenſus ſacrorum V. T. librorum indagare vellent. Sed longius progreſſus eſt inexplebili juvandae ſacrarum literarum intelligentiae ſtudio, & indefeſſa laboris patientia. Nam & explicandorum librorum divinorum exempla proponere inſtituit, vel doctoribus profutura, vel populo. Non unum autem ἐξηγητικῶν genus commemorant Hieronymus, aliique veteres auctores. Nam Scholia, σημειώσεις, & Commentarios Origeni tribuunt. De quibus video dubitari, utrum duo opera ſint, tribus nominibus, ut Scholia & σημειώσεις de eodem opere accipiantur, an tria totidem nominibus appellata. Huetio quidem, cujus auctoritatem plerique ſequuntur, video placere, ut Scholia & σημειώσεις ejusdem operis nomina habeantur, Origenian. III. 2. p. 238. quae ratio magna veriſimilitudine commendatur, cum & σημειώσεων verbum de omni genere ἐξηγητικῶν, etiam de Commentariorum Tomis dicatur communiter, & Hieronymus Scholia pariter & σημειώσεις eodem *Excerptorum* verbo interpretetur, ut docet eodem loco Huetius. Sed tamen nobis aliquid dubitationis reſiduum eſt, e locis veterum ſcriptorum quibusdam, atque etiam librorum MStorum indiciis. Id cujusmodi ſit, paucis exponemus.

§. XXIV.

Primum video, Scholia quaedam Origenis commemorari, quae in marginibus ſacrorum Codicum

V 5 ſcripta

ſcripta eſſent. In nobiliſſimo ac vetuſtiſſimo libro, cujus ſupra mentio facta eſt (§. 18.) librarius notat, eum ſe deſcripſiſſe ab exemplo Apollinarii Abbatis: ejus autem ſubſcriptionem hanc fuiſſe, poſita ſubſcriptionis formula, docet, ut appareat, id ab exemplo Hexaplari ductum: & correctum ad Tetrapla Origenis, quae non modo ipſius Origenis manu correcta eſſent, ſed etiam, ἐσχολιογράφητο, *ſcholiis inſtructa* (Montefalc. praef. Hexapl. p. 10. 15.) ad extremum additis verbis hiſce: ὅθεν Εὐσέβιος ἐγὼ τὰ σχόλια παρέθηκα; Πάμφιλος καὶ Εὐσέβιος ἐδιωρθώσαντο. Unde patet, ut hoc obiter moneam, id exemplar fuiſſe olim Euſebii & Pamphili: niſi quis velit ſuſpicari, quia vix credibile videatur, exemplaria Euſebii & Pamphili in privatorum manibus fuiſſe, librarium e Codice Euſebiano hanc ſubſcriptionem temere in ſuum librum tranſtuliſſe: cujus generis plura exempla notarunt, qui libros veteres tractarunt: quamquam Pamphilus ea liberalitate & in ſacrarum literarum ſtudium animo fuit, ut tales codices, ſuo ſumtu & opera concinnatos, pluribus donaret. Ad Geneſ. XXXVI. 16. autem ipſe commemorans Potipharis nomen, ejus interpretationem ſe ait, παρατεθηκέναι τῇ λέξει, planius explicaturum poſtea; quod recte Montefalconius p. 18. intelligit de Scholio in Geneſeos margine, docens multa talia, inprimis ad Hebraicorum nominum ἑρμηνείαν pertinentia, in marginibus Codicum Origenianorum fuiſſe. Enimvero alia ſunt veterum loca, e quibus appareat, ea Scholia, quae *Excerpta* Latine vocat, *Commaticum* etiam *ſermonem* Hieronymus, & σημειώσεις, propria volumina explevisſe; nec de eo dubitavit Huetius, aut quisquam alius, quod ſciam, niſi quod reperi Henr. Valeſium de Critica p. 185. ſcholia illa in margine & σημειώσεις eadem facere: *Et ſcholia quidem Origenis ad latus ſ. ut vulgo dicitur, ad marginem oppoſita docet Adnotatio illa, quae in vetuſtiſſimo codice R. Marchalli legitur &c.* add. Simon. H. Crit. T. I. p. 392. b. Unde fit neceſſario, ut duo genera ſcholiorum Origenianorum ſtatuenda ſint, alterum perbreve, quod per margines Codd. biblicorum ſparſum, alterum quod & ipſum quidem breve, ſed altero tamen copioſius eſſet, quod σημειώσεων, *Excerptorum* nomine veniret. Σημειώσεις in Epiſtolam

lam Paulli ad Galatas decimum Stromatum librum explevisse, Hieronymus diſerte tradit in praef. Comm. in illam Epiſtolam.

§. X X V.

Σημειώσεων nomine Huetius diſputat, intelligi, quicquid ſcribendo adjiciatur, ut adnotationes, Commentarios: quam diſputatiunculam totam, nulla Huetii mentione, Theſauro Eccl. inſeruit Suicerus. Ea ratio etſi ſatis accurata non eſt, cum σημείωσις in iis etiam, quae adfert, locis, non adſcriptionem, ſed ſcripturam ſimpliciter ſignificet, ut in aliis SS. Patrum locis, velut ap. Epiphanium de Pond. & Menſ. c. 7. σημείωσις τοῦ ὀβελοῦ τοῦ τῇ λέξει παρακειμένου: tamen, ut non contemnam, certe in hac cauſſa arbitror potius intelligendum verbum e conſuetudine veterum Grammaticorum & Criticorum, qui Graecos Poëtas Scholiis & Commentariis grammaticis illuſtrarunt. Quos qui leviter deguſtavit, inprimis illum omnium principem Euſtathium, ignorare non poteſt, quam ſaepe occurrant iſta σημειωτέον, σημείωσαι, *tenendum*, *obſervandum*, *notandum eſt*, ut etiam in Schol. Ariſtoph. v. c. Ran. 1091. σημειωτέον, ὅτι πρὸς γενικὴν ἔταξε τὰ ἴσα, *animadvertendum*, ἴσα *conſtrui cum genitivo*. Eaque verba uſurpant, cum aliquid non admodum frequens occurrere admonent, cum hiſtorias ad intelligendum neceſſarias commemorant, verborum origines, vim, declarant &c. Grammaticorum conſuetudo fluxit ad ſcriptores Eccleſiaſticos, quos ſaepe obſervavi in diſputationibus quibuscunque, eodem modo illo verbo uti: ut Cyrillum Hieroſ. Catech. XVIII. p. 493. σημειωτέον δὲ, ὅτι τὸ νῦν ἐκκλησίασον (Levit. I. 15.) πρώτως ἐν ταῖς γραφαῖς εὕρηται &c. quod non adeo improbabile eſt, e σημειώσεσι Origenis ſumtum, e quibus quippe omnes in talibus pendebant. Atque etiam in eadem Catecheſi verbum ἐπισημαίνεσθαι ſic dixit p. 489. ἐξαιρέτως δὲ ἐπισημαίνεσθε, *illud inprimis notate*. Erant igitur σημειώσεις obſervationes & notae, maxime grammaticae, hiſtoricaeque, ad ſenſum grammaticum maxime vel explicandum vel illuſtrandum pertinentes, quales multas hodie virorum doctorum in libros S. maxime N. T. habemus. *Excerpta* quod vocavit Hieronymus non uno loco, non concoquunt viri quidam docti, ut H. Valeſius

ſius de Critica p. 172. 185. σημειώσεις, inquit, Hieronymus excerpta *interpretatur in praefatione Commentariorum in Eſaiam, & Ezechielem: Ego* notas *ſeu* adnotationes *malim vertere:* nec explicant vim vocis, quae & ipſa e Grammaticorum more ducta eſt: quorum Scholia fere conſtabant excerptis paſſim, & per Commentarium digeſtis obſervationibus & hiſtoriis: unde Euſtathius ſcholia ſua παρεκβολάς inſcripſit, hoc eſt, *Excerpta.* Quibus diſputandis illud arbitramur confectum, ut Scholia Origenis majora, ſeu σημειώσεις, Commentarium grammaticum in Codicem ſacrum fuiſſe, appareat.

§. XXVI.

Antequam de bonitate σημειώσεων dicamus, paucis lubet attingere, & ex iis, quae ante dicta ſunt, explicare quaeſtionem, quae a viris doctis agitata eſt, *an* Origenes *primus Commentarios in libros ſacros ſcripſerit?* quod Rhenanus, Sixtus Sen. Genebrardus, e noſtris Calixtus in Appar. Theol. p. 122. haud cunctanter affirmant, negantibus Tillemontio H. E. III. 328. & Huetio III. 2. init. Philonem, Theophilum Antiochenum, aliosque opponente; quorum judicium probat Buddeus, ὁ μακαρίτης in Iſagog. Hiſt. Theolog. p. 1372. Nec horum partes & ipſe ſequi abnuam, ſi univerſe de Commentariorum quocunque genere quaeratur. At ſi de genere Commentarii eo, quod proprie dicitur, hoc eſt, de grammatico & literali diſputetur, haud dubie in alteram partem pronunciem, quae Origeni hoc honoris tribuat, ut primus omnium id attigerit, & ejus exemplum aliis propoſuerit. Etenim, quicquid Commentariorum Origene antiquiorum vel fuit, vel commemoratur, id omne vel allegoricum fuit, velut Theophili, cujus nunc quoque Comm. in IV. Euangelia Latine extant Bibl. Max. Patr. T. II. P. II. ſi tamen ſunt Theophili, aut in explicandis vaticiniis, miſſa interpretatione grammatica, verſatum eſt, ut Melitonis, qui de Apocalypſi Joannea ſcripſit, ut Judae, qui de LXX. hebdomadibus Daniëlis. Nam Candidi, Appionis & Rhodonis in Hexaëmeron tractatus, quibus ſimiles poſterior Eccleſiae Chriſtianae aetas multos edidit, ne in Commentariis quidem numeraverim.

§. XXVII.

§. XXVII.

Quam bonae autem iſtae σημειώσεις fuerint, quamque bonus Interpres Origenes in genere grammatico fuerit, ex eo plane intelligi poſſe arbitramur, quod tota Interpretum literalium veterum quaſi familia ab Origene tanquam capite fluxit, & quod, quicquid in veteribus Commentariis, & vero etiam ceteris libris, eſt in eo genere boni, id maximam partem, ac prope omne ab Origene, & ex ejus σημειώσεσι venit. Quantam Origenes copiam diſcipulorum habuerit, nemo ignorat: in quibus non dubium eſt, quin plures fuerint, qui hanc interpretandi rationem, ab magiſtro acceptam, exercerent & propagarent: qualis inprimis fuit Theognoſtus, ab interpretandi ſtudio & dexteritate ἐξηγητὴς vocatus, (v. Phot. Cod. 106.) & Pierius, qui & ipſe criſin in libris S. exercuerat, unde Pierii *Codices* appellati, in ſchola Alexandrina ſucceſſor, ad quam undique confluebant, qui Eccleſiae operam bonam navare docendo cuperent, aut rerum ſacrarum juſtam ſcientiam expeterent. Euſebium, qui in Commentariis in Pſalmos & Eſaiam, literalem & allegoricam interpretationem miſcuit, ut res ipſa docet, illo integro, hujus autem fragmentis, a Montefalconio editis, Euſebium igitur ex Origene profeciſſe, nemo dubitabit, qui cogitet, quantopere Origenem admiratus ſit. Sed primum conſtat genus allegoricum repudiaſſe, & ſolum grammaticum ac literale tenuiſſe atque exercuiſſe Diodorum, Tarſi Epiſcopum, atque eam rationem diſcipulis tradidiſſe, eum autem omnia ſua ab Origene habuiſſe, h. e. ex ejus σημειώσεσι, diſcipulorum ejus princeps arguit Chryſoſtomus, qui & Codices Origenis in interpretando ſecutus eſt, & Origenis interpretationes: in quo video conſentire omnes, qui hanc partem rerum Chryſoſtomi attigerunt. Chryſoſtomus autem condiſcipulum habuit Theodorum Mopſueſtenum, quem ſola literali interpretatione ſtetiſſe, & diſciplina Diodori indicat, & in fragmentis Commentariorum ejus animadverſum eſt a viris doctis. Quantus autem ille Origenis admirator fuerit, nemo neſcit, qui Origenianarum turbarum hiſtoriam attigit. Ab Chryſoſtomo fere fluxit, quicquid eſt in Graecis, qui

poſt

poſt eum, in N. praeſertim T. ſcripſerunt, Iſidoro Peluſiota, Chryſoſtomi diſcipulo, cujus de interpretatione S. S. Epiſtolas valde laudatas habemus, Theodoreto, qui ſuos Commentarios etiam excerpta vocat e ſuperioribus, &, quoad in N. T. ſcripſit, Chryſoſtomi Epitomator recte dici poteſt, Theophylacto, cujus Commentarii in Codd. quibusdam ἐπιτομὴ inſcribuntur, toti, quod comparatione Commentarii in Epiſtolas Paulli cum eo, quem Chryſoſtomo debemus, intelligi poteſt, toti a Chryſoſtomo repetiti: quod dudum etiam de Oecumenii Commentariis, qui Scholiorum nomine Camerario & aliis interpretibus N. T. appellantur, obſervatum eſt: quamquam Eraſmo videbantur ex ipſis Origenianis Scholiis fluxiſſe, quod etiam Origenianarum opinionum in iis veſtigia deprehendiſſet. (ad Hebr. VII. 25.) Atque etiam Euthymii Zigabeni Commentarium in N. T. libros eſſe fere totum e Chryſoſtomo collectum, vel inſcriptio Graeca Codd. MSS. ap. Simonem Hiſt. Crit. T. III. p. 410. docet.

§. XXVIII.

Latini haud dubie grammaticam interpretationem ab Graecis accepere. In Latinis autem Interpretibus, qui literalem rationem ſecuti ſunt, longe princeps eſt Hieronymus: quem pleraque ab Origene habere, ut credamus, vel admiratio illa incredibilis facit, qua Origenianam ſacrarum literarum ſcientiam proſecutus eſt, ut ab initio oſtendimus. Accedunt indicia praefationum in Commentarios, inprimis in eum, qui eſt in Epiſtolam ad Galatas, in qua ſe Origenis Commentarios ſecutum dicit, non modo Tomos intelligens, ſed etiam σημειώσεις, ut ipſe docet, & conſenſus cum Chryſoſtomi interpretatione. Inter ceteros vix ulli memorabiles ſunt, in hoc genere, praeter Hilarium utrumque & Pelagium, qui a multis auctor Commentarii in Epiſtolas Paulli habetur, qui inter Hieronymi Opera editur. Et Pictavienſem quidem Hilarium ſua, & ad literalem ſenſum & ad allegoricum (nam & hunc adeo non ſpernit, ut etiam in eo perſequendo modum excedat) pertinentia, fere ex Origene ſumſiſſe, agnoſcunt omnes, qui ejus Commentarios excuſſere, ut Simon l. c. p. 127. 128. Fuerunt adeo, qui nihil

hil aliud eum feciſſe arguerent, quam ut Origenianos Commentarios Latinos faceret. Quamquam in Commentario in Matthaeum magis ſibi temperavit in compilando Origene, ut idem ille Simon animadvertit, demonſtrantque Monachi Benedictini in praefatione p. 598. tamen ſententias, quibus ſenſus verborum explicatur, ab Origene, ſive e Commentariis, ſive e σημειώσεσι ſumtas, nemo negaverit. Alter, Hilarius Diaconus, cui tribuunt viri docti Commentarium in Epiſtolas Paulli, qui inter Ambroſii Opera editur, quod tamen Petavius, de Hierarch. I. 12. & Oudinus in Comm. de ſcr. Eccl. non probant, quique etiam D. Blondello de Epiſc. & Presb. p. 59. aliisque auctor videtur Quaeſtionum in V. & N. T. quae inter Auguſtini Opera eduntur, is igitur melior eſt Pictavienſi in literali ratione, ut qui ceteris etiam propemodum omnibus ab Simone praefertur l. c. p. 134. Sed eum, in promtu eſt legentibus, hauſiſſe maximam ſuorum partem e Graecis, nec Simone negante, hoc eſt, vel ex Origene ipſo, vel ex iis, qui ex illo profeciſſent. De Pelagio denique rem probabilem facit forma operis, quae eſt Scholiorum rationi ſimilior, quam Commentariorum: unde & Caſſiodorus Lect. div. c. 8. *ſubtilisſima Scholia* vocat: praeſertim cum conſtet, Origenem inprimis magnam auctoritatem apud Pelagium & ejus aſſeclas obtinuiſſe, ut quem etiam *amaſium*, itemque *magiſtrum* Pelagianorum vocet Hieronymus, in Dialogis adverſus Pelagianos. Quicquid ſit, comparatio horum Scholiorum cum Chryſoſtomi in easdem Epiſtolas Homiliis docuit, in plerisque ea cum Chryſoſtomo conſentire: qui unde ſua habeat, ſupra oſtendimus.

§. XXIX.

Hac veluti inductione, ut Dialectici appellant, arbitror planum factum, quicquid vetuſtas boni habet inter interpretes S. librorum e genere literali, & quicquid eſt in iis boni, id vel prope totum fluxiſſe ab Origene, vel ſaltem initia ab Origenis libris habuiſſe. Vere igitur ſcriptor antiquus, neſcio quis, apud Suidam in Ὠριγένης p. 763. med. Καὶ ἁπλῶς πᾶσαν γραφὴν ἐκκλησιαστικὴν ὑπομνηνάμενος πλεῖστα ϗ ἀναρίθμητα καταλέλοιπεν, ὡς ἐξ ἐκείνου πάντας τοὺς μετέπειτα τῆς ἐκκλησίας διδασκά-

διδασκά-

δασκάλους καὶ ἀφορμὰς εἰληφέναι, ὡς ὁ Θεολόγος φάσκει Γρηγόριος· Ὠριγένης ἡ πάντων ἡμῶν ἀκόνη. *Et omnino omnem ſcripturam Eccleſiaſticam Commentariis illuſtrando, multos & innumeros reliquit libros, ut ab eo omnes qui poſt fuere Eccleſiae doctores adjumenta ſumſerint: unde bene Gregorius Theologus: Origenes eſt noſtrum omnium cos.* Quod Gregorii judicium ut de ſacrarum literarum interpretatione literali accipi debet, ita pariter huc pertinet alterum Hieronymi praef. Interpr. Nom. Hebr. qui eum *poſt Apoſtolos Eccleſiarum magiſtrum* vocat.

§. XXX.

Dicet aliquis: At quantum eſt totum illud boni, quod in Commentariis SS. Patrum reperitur? Non ego probem eos, qui nihil omnino novi in interpretatione ſacrorum librorum ferunt, ſed in omnibus ſtandum eſſe antiquitatis judicio contendunt: quae Calovii ſententia eſt in Bibliorum Illuſtr. praef. cauta illa quidem adverſus libidinem novandi, ſed eadem non admodum amica literis. Nam ſi ita eſſet, protinus abjiciendum foret linguarum omne ſtudium, & vulgatorum Commentariorum veterum auctoritate acquieſcendum: quo nihil ignaviae accommodatius, nihil revocandae barbariae opportunius. Sed profecto tamen non eſt exiguum ac tenue, quod ex illo Origeniano fonte, per Patrum Commentarios, veluti per rivos ad nos devenit, ut vulgo videtur iis, qui de Horatiano dicto, *in contrarium currunt.* Sua quidem aetate magnus Eraſmus, qui omnes SS. Patrum Commentarios excuſſerat ſumma diligentia, deque tali re optime poterat judicare, ad Jac. IV. 5. ſcripſit: *Et in hunc locum plauſtra onuſta interpretationibus inducunt Theologi recentiores, qui, ſi quando deſtituuntur Commentariis, quos nobis Rhetorici & Grammatici ſcriptores, ut iſti vocant, reliquerunt, tum denique ſui ſimiles ſunt.* Sed planius dicam. Habemus ejusdem Eraſmi Paraphraſin totius Novi Teſtamenti, verbis etiam, ut omnia iſtius viri, eleganter ſcriptam. In eam dico eſſe decerptum ac congeſtum, quicquid eſt boni in SS. Patrum Commentariis, diſputationibus etiam aliis, pertinens ad accurate intelligendos libros iſtos, quod nos Origenis reliquiis, Chryſoſtomo, & ceteris, quos ſupra commemora-

moravimus, comparandis, aliisque modis intelleximus. Hanc ſi quis, verſatus in recentiorum libris, legat, agnoſcat profecto, quam parum adjecerit illis horum conatus, immo quam non pauca recentiores deteriora fecerint. Niſi, dum iſta ſcripſimus, in magnis temporis anguſtiis concluſi, & multis aliis rebus diſtracti fuiſſemus, pluribus exemplis rem planam feciſſemus: itaque uno ſtudioſi erunt contenti. D. Paullus Rom. XII. 6. σωφροσύνην commendans Chriſtianis, etiam Prophetis praeceptum ſcribit: εἴ τις προφητείαν, κατ' ἀναλογίαν πίστεως. Hoc Origenes ſic interpretabatur, ut Paullus Prophetas jusſerit illo dono, quod pro magnitudine fidei ſuae accepiſſent, contentos eſſe: *ſi cui prophetiae donum contigit*, *proportione fidei*, (haec enim fides erat menſura χάριτος, divinitus conceſſa) *is vates eſto maneatque*, neque appetat alia aut majora. Videant ſtudioſi Origenis Comment. in Matth. p. 253. ed. Rothom. Jam quomodo haec interpretatio per omnes veteres Commentarios fluxerit, videamus paucis. Primum eodem modo accipit proximus Graecorum Chryſoſtomus ad hanc ep. homil. XXI. Ex hoc epitomatores Oecumenius & Theophylactus, ad h. l. inter Latinos Hilarius Diaconus & Pelagius in Scholiis, & ceteri Patres SS. omnes, quicunque locum attigere. Idque ſecuti etiam ſunt Latini interpretes veteres. Nam is, qui Italicus dicitur, quo uſus eſt Hilarius Diaconus, vertit *ſecundum operationem fidei*, ſenſum magis quam verbum exprimens: quem autem Vulgatum vocamus, *ſecundum rationem f.* quod fruſtra, ut alia, correxit in ſua verſione Beza, *proportione:* nam *ſecundum rationem* idem eſt, forma loquendi Mathematicorum, e quorum diſciplina κατ' ἀναλογίαν ſumtum eſt. Ecce is, quem dixi, Eraſmus pariter interpretatur in Paraphraſi *pro modo fidei*. Sed poſteaquam B. Lutherus ἀναλογίας verbum ſemel in verſione Germanica de ſimilitudine acceperat, tritior ille in Philoſophorum quam Mathematicorum ſcholis, noſtrorum Dogmaticorum & Aſceticorum libros invaſit omnes nova interpretatio de typo quodam doctrinae, quem ſane Philoſophorum more non male ἀναλογίαν πίστεως voces: quae, ſi antiquitas audienda eſt, probari non poteſt. Sed nos non judicamus jam, ſed narramus, & ſtudioſis veteres Commentarios commen-

damus. Ex quo fit, ut nobis quoque fatendum ſit, Hermeneuticen librorum ſacrorum legitimam, Origeni, veluti parenti ſuo, plurimum debere, eumque, ſi ſuis temporibus magnus & admirabilis viſus fuit in allegorica ratione, nobis non minorem in grammatico genere videri debere.

§. XXXI.

At multa librorum divinorum loca prave interpretatum Origenem tradunt veteres. Epiphanius quidem, Hexaplaris operis mirificus laudator, tamen eundem injuria adfeciſſe orbem terrarum dicit, κακῶς δογματίσας τὰ περὶ πίστεως, καὶ τὰ πλεῖστα τῆς γραφῆς κακῶς φράσας, *multa de fide prave ſtatuendo & plurima Scripturae S. loca prave interpretando*, (de pond. & menſ. c. 7.) Sed vereor, ut ea vituperatio ad Scholiorum ſeu σημειώσεων opus pertineat, quamquam id ab vitiis purum nequaquam defendam fuiſſe. Mihi quidem & Epiphanii, & ceterorum, paria de Origene pronuntiantium, oratio referenda videtur maxime ad opiniones ipſius de dogmatibus Theologicis, ad quas confirmandas ac defendendas ille ita abuſus erat locis Scripturae, ut iis vim facere videretur, colligendo & velut exprimendo ex iis, quae nullo modo ineſſent, pro perpetua omnium haereticorum conſuetudine. Ὅσα περὶ πίστεως ἐδογμάτισε, inquit vetus auctor ap. Suidam, τῶν πάντων ἀτοπώτερα εὑρίσκεται, ceteris omnibus valde laudatis. Enimvero ea interpretatio rerum fuit, non verborum, dogmatica & veluti dialectica, non grammatica, ſicut prope omnium, quicunque ſacros libros interpretando pervertiſſe dicuntur. Illi ipſi, a quibus Petrus dicit torqueri τὰ δυσνόητα Paullina, aliasque Scripturas, res profecto torquebant potius quam verba: velut ii, qui negabant, mortuos in vitam redituros. Etenim non negabant, diſerte traditum ab Chriſto de reditu mortuorum in vitam, nec grammatica interpretatione aliud quid elicere tentabant: ſed rem intelligi non poſſe diſputabant, eamque ob cauſſam ἀνάστασιν de re dudum praeterita accipiendam eſſe: quod erat male ſuper ea re philoſophantium, non verba grammatice interpretantium deliramentum. Quod ſi quis malit ad allegorias rem trahere: ne ſic quidem grammatici interpretis laus Origeni eripietur. Nam & allegoriae

ſunt

ſunt rerum potius quam verborum, nec allegoria quaeritur ante, quam ſenſus verborum per grammaticas artes ſit repertus. In ipſis allegoricis Origenis Commentariis multae ſunt grammaticae interpretationes: omninoque in allegoriis iſtis non ſerio res acta eſt, niſi hactenus, ut ea commenta ad οἰκοδομὴν profutura crederentur, ut ſupra dictum. Neque tamen is ego ſum, qui negem, nimis longe allegoriarum ſtudio progreſſum eſſe Origenem, cum nonnullis in locis nullum niſi allegoricum ſenſum agnoſceret, ut e Philocaliae c. 1. intelligitur. Sed ad eam ſtultitiam ſenex demum, & poſt Grammatica in ſacros libros opera veniſſe videtur, quae, ut obſcurat gloriam Origenis, ceteris in S. Codicem meritis partam, ita non extinguit omnem, nec impedit, quo minus ab eo ſacrorum librorum grammatice interpretandorum initium in Eccleſia Chriſtiana, idque valde egregium, & utiliſſimum factum fuiſſe dicamus; id quod hac diſputatione planum factum ſperamus.

JO. AUGUSTUS ERNESTI DATHIO SUO.

Cum Tu incenſus aemulatione laudis ejus, quam Zemiſchius Tuus idemque meus, diſceptanda noſtra, de difficultate grammaticae Interpretationis, Diatriba tulerat, oſtendiſſes, Te quoque a me produci cupere in eum locum, in quo talis Tibi laudis parandae copia daretur: exiſtimavi, non alienum fore, neque a conjunctione animorum, quae Tibi cum illo intercedit, neque a ratione ſtudiorum Tuorum, ſi Origenis in grammaticam librorum ſacrorum interpretationem merita diſceptanda proponerem. Nam & conjunctionem ea res habet cum argumento diſputationis nuperae, & petita eſt e mediis literis, in quibus adhuc induſtria Tua inprimis elaboravit. Etenim poſteaquam, poſitis in Academia Vitembergenſi Philoſophiae & Theologiae tirociniis, ante hos duos annos a B. Parente Tuo, eodemque Socero meo Venerando, in hanc noſtram Academiam miſſus es, & Tua ſponte, & me hortante, hoc maxime egiſti, ut utriusque Codicis ſacri interpretationi, quoad ab accurata ſcientia linguarum & literarum ducitur, & hiſtoriae eccleſiaſticae, vacares, denique etiam ſtilum & linguam ſcribendo Latine ac diſſerendo exerceres. In quibus rebus ita mihi ſtudium induſtriamque probaſti, ut mihi multo, quam ante neceſſitudinis cauſſa fueras, carior in dies factus ſis. Capies ex ea re fructum non poenitendum, primum laudis, deinde vero hunc, ut egregiam atque utilem operam rei literarum ſacrorumque publicae navare poſſis, qui eſt honeſto animo omnium ſtudiorum maximus & jucundiſſimus fructus. Et laudis quidem initia quaedam dabit hujus Diatribes promta & accurata defenſio; bene autem jam de re publica merendi aditum poſt paucos dies patefacient honores, quos Tibi Ampliſſ. Philoſophorum Ordo decrevit. Ii ut Tibi & Academiae, h. e. ſtudioſis bonarum artium, bene feliciterque eveniant, vehementer opto. Perge modo, doctisſime Dathi animoque meo carisſime, ſtrenue ea, quam inſtitiſti, via: patitur enim Tua humanitas, ut in hac gratulatione dicam, quae Parentem Tuum, ſi viveret, dicturum ſcio: difficili illa quidem & longa, eamque ob cauſſam non admodum trita, ſed recta tamen, & ſola ducente eo, quo Tuus Te animus & vota mea vocant.

Sed

Sed quando Te inprimis ſacrorum in templis diſciplinae deſtinaſti, nobis autem jam de Origene diſputatio futura eſt, ſaepe fac veniat Tibi in mentem, quod de Origene traditum ab antiquis auctoribus, nunquam ſine animi motu, vel legi, vel cogitavi. Cum enim Hieroſolyma veniſſet aliquando, collegium ſacerdotum ab eo, ut presbytero, & homine docto, & S. Scripturae interprete, inter ipſa ſacra petiit, ut aliquid pro concione diceret. Primum recuſat: ad extremum impetrant. Surrexit igitur; ſedebat enim, de more, in conſpectu populi, cum toto ſacerdotum collegio, una cum populo, & ſua & exempli cauſſa, canente & precante: ſurrexit, inquam, & e Codice ſibi porrecto pronunciavit haec verba: Peccatori vero dixit Deus, cur tu enarras jura mea, & teſtamentum meum in os tuum aſſumis? *Sed ubi clauſo libro conſedit, verba facturus, tanta repente lacrimarum vis prorupit, ut verbum proloqui non poſſet, tota ſimul concione in lacrimas effuſa. Non ea vita Origenis fuerat, ut ei ſcelerum & gravium vitiorum in mentem venire poſſet, quae ei nemo ex inimicisſimis exprobravit, ſed animus reverentia Dei oraculorumque divinorum plenus, & indignitatis ſuae ſenſu percitus, conſpicuum ſe per pias lacrimas fecit. Si autem vir tantus, tanta virtute praeditus, tamen tantopere commotus eſt animo, cum Dei & Chriſti vice populus alloquendus eſſet: quo animo eſſe debebunt, qui omnem aetatem in vitiis turpisſimis conſumſere, qui, ut ita dicam, vocem, linguamque Chriſti, animum pectusque Diaboli habent, os plenum fidei & ſanctitatis, cor aeſtuans cupiditatibus omnibus, ſuperbia & arrogantia, odio, invidia, avaritia? Te quidem, mi Dathi, primum paternae diſciplinae ſeveritate ac ſanctitate adverſus inſidias vitiorum juvenilium ita praeminutum ſcio exiſſe domo paterna, ita Te adhuc intemeratum ab contagione vitiorum ſervaſſe, quorum ſarcina permulti nimis urgentur, cum ſacerdotium ſuſcipiunt, ut plane confidam, in Te habiturum Eccleſiam aliquando doctorem, qui non minus exempli ſanctitate, quam doctrinae copia, ſe inſignem faciat. Quod ſi mihi vita propagata fuerit eo, ut ipſe ſpectator eſſe posſim & teſtis harum virtutum Tuarum, in Eccleſia explicandarum, non minus laetabor quam pater indulgentisſimus quisque, atque non religionis minus & virtutis quam filii amantisſimus, laetari posſit. Vale.*

SPECIMEN CASTIGATIONUM IN JO. JAC. WETSTENII EDITIONEM N. TESTAMENTI PROLUSIO ACADEMICA AD SACRARUM LITERARUM STUDIOSOS.

Quicunque inde a magno Eraſmo Graecos N. T. libros ita ediderunt, ut vel Latinae veteris verſionis auctoritatem ſubinde repudiarent, quod ab illo ipſo Eraſmo, rarius fortaſſe quam debebat, factum eſt, vel a ſuperiorum editionum lectione interdum, veterum librorum, ut videri volebant, auctoritate commoti, recederent; iis omnibus tanta invidia, ac prope dicam infamia ſubeunda fuit, ut vix credibile ſit, aliquem eſſe poſſe ita obfirmato ad omnes omnium ſermones animo, qui ſimile quid tentare audeat, nec dubitet ſe tanto discrimini offerre. Illi ipſi, qui nihil, niſi quod dudum ante editum eſſet, proderent, ſi modo non unius ſe editionis auctoritati adſtringerent, ſed, quod in quaque optimum videretur, ſequi ſe profiterentur, ut

ut Bengelius ὁ μακαρίτης fecit, aut in variis tantum lectionibus undique congerendis dijudicandisque laborarent, magnam invidiam effugere non potuerunt. Sed iis, qui ante Jo. Jac. Wetſtenium in eo genere elaborarunt, omnibus hoc contigit, ut paullatim deflagraret invidia, & qua laude vivi frui non potuisſent, ea potirentur mortui. Nemo jam offenditur textu Erasmi aut Bezae, etiamſi ille ſubinde plus juſto tribuit & Codicibus ſuis, & verſioni Latinae, etiam contra Graecos libros, quod fieri non debebat, hic autem e corruptiſſimis Codicibus ſuis, atque adeo de mera conjectura ſua, id quod nullo modo ferri poteſt, quaedam, contra omnes libros veteres, in textum induxit. Millio nemo hodie facile audeat moleſtus eſſe ob collectas tot varias lectiones, poſteaquam Pfaffius, V. Cel. mirandum eſſe pronunciavit, in tanta literarum luce quemquam doctum ea effutire poſſe, quae contra variarum lectionum colligendarum ſtudium dicta & ſcripta ſint, Bengelius autem, rarae nuper & ſanctitatis & doctrinae Theologus, a Millio Commune Eccleſiae inaeſtimabili beneficio adfectum eſſe, App. Cr. p. 442. Hunc autem ipſum Bengelium, ante paucos annos reprehenſionibus multorum vexatum, nunc a praeclaris Theologis video vehementer laudari. Tanta vis eſt temporis vel conſuetudinis potius ad molliendam rerum quarumque offenſionem, & quam inſolentia & novitas iis adfert invidiam, eam detrahit obruitque audiendi uſurpandique aſſiduitas & conſuetudo

At vehementer vereor, ut idem unquam contingat Wetſtenio, qui nuper eosdem libros cum varietate lectionis edidit: adeo multis locis commiſit, ut, ſi nihil aliud, certe opinionibus quibusdam ſuis, maximae Chriſtianorum parti merito improbatis, velificatus eſſe, nobisque divinitatis Chriſti argumenta, contra jus & fas, eripere voluiſſe videatur. De quo opere, mihi non alienum viſum eſt, hoc tempore quaedam vobiſcum, Commilitones Humaniſſimi, diſputare, ut, quale ſit, quam longe remotum a perfectione, quam multae caſtigationis indigens, velut e ſpecimine quodam judicare poſſitis, atque ita lectionibus iis, quas in Epiſtolas Apoſtolicas per hunc an-

num, Deo adjuvante, habiturus ſum, proludere. Et quoniam, quid in parte operis ea, quae Epiſtolas illas continet, peccatum ſit, demonſtrandi copia dabitur in iſtis ipſis Lectionibus; Actorum Apoſtolicorum librum delegi, in quem ſpecimina caſtigationum proponerem.

Atque ut etiam aliquid de inſtituto univerſo dicam, mihi videtur Vir doctiſſimus, melius, & ad utilitatem communem accommodatius facturus fuiſſe, ſi a novae editionis conſilio ſe prorſus abſtrahi ſiviſſet per eos, qui ei tot impedimenta tamdiu objecere. Sane conſtat inter eos, qui hanc nobiliſſimam tractandorum ſacrorum librorum partem attigere, Milliano operi multa ad perfectionem deeſſe, multa, quae caſtigatione indigeant, ineſſe, idque e Prolegomenis clarum eſt, Millium agnoviſſe ipſum. Multi Codices non ab ipſo collati, multi ab hominibus parum idoneis, parumque accurate, lectiones verſionum Orientalium fere e verſionibus Latinis decerptae, multa lectionum nomine temere poſita, alia contra, commemoratione digniora, praetermiſſa, loca Patrum Eccl. nimis vage, aut perperam indicata, in iisque ipſis non optimi ubique libri conſulti. Optabile utique erat, ut exiſterent viri periti talium rerum, qui hoc laboris, utilis magis quam grati, ſuſciperent, ut iſta paullatim vel ſupplerent, vel corrigerent, ſi forte tandem aliquando aliquid perfecti poſſet effici: ſed non item optabile, ut quicunque aliquot Codices accurate excuſſerint, novas lectiones repererint, aut aliud quid ex iſtis generibus, quae poſuimus, praeſtiterint, ſtatim novae editionis conſilium capiant. Non ſunt ea jam tempora, quibus ſumtus, in literarum inſtrumentis comparandis faciendi, augeri nimis debeant, cum vix parvis & mediocribus ſufficiamus, praeſertim hoc in genere, tam parum populari, & ad rem familiarem minus, ut nunc eſt, fructuoſo. Multos Codices accuratiſſime ipſe, interdum bis cum editis Wetſtenius contulit. Agnoſco gratus & vehementer laudo. Verſiones ipſas inſpexit, Patrum loca diligentius indicavit. Si ita eſt, quod tamen non omnino concedo, rem bonam & laudabilem fecit. In notis porro de verbis & formis loquendi quibusdam,

etiam de rebus quaedam non vulgaria & egregia e Graecis inprimis Judaicisque libris attulit. Fateor, & fruar libens. At quorſum haec in iſtam farraginem rerum vulgarium & inutilium conjiciuntur, ut aegre agnoſcantur? Quare non iſta Codd. collatorum excerpta, iſtae Millianae editionis correctiones ſeparatim potius eduntur, quas parvus utique libellus & valde parabilis capiat? Quid? ſi jam alius extiterit, qui ceteros Codd. quosdam accuratius excerpat, qui Vaticanum, Guelferbytanum Euangeliarium, qui Bergerianum Codicem, qui Askeanum, qui alios nondum collatos: qui, quod reliquum eſt vagarum citationum in locis Patrum, quod peccatum eſt in lectionibus verſionum, (& reliqua ſunt profecto non nimis pauca) corrigat; quod ignoratum ac praetermiſſum eſt de conjecturis virorum doctorum ſuper locis obſcuris, aut poſtea acceſſerit, addat? An iterum duobus talibus voluminibus beabimur? Immo vero ſeparatim ſua quisque proferat, donec nihil librorum reliquum ſit, quod non excuſſum penitus, nihil quod non correctum diligentiſſime emendatumque ſit, & tum demum aliquis hoc munere beet eruditos homines atque adeo Eccleſiam Chriſtianam, ut in unum conferat omnia, efficiatque, qualem cogitare animo & optare nunc licet, non niſi poſt multos annos ſperare, editionem perfectam omnibus numeris & abſolutam. Sed haec de univerſo operis Wetſteniani inſtituto ſufficiant: ad id quod oſtendi me facturum, veniamus.

In *Variis Lectionibus* duo ſpectari ſolent: primum in colligendo diligentia & fides, in judicando deinde & deligendo dexteritas, atque etiam quaedam cum omnibus aliorum libris, in quibus nulla nobis niſi utendi fruendi poteſtas eſſe poteſt, tum maxime divinis debita modeſtia. In utraque autem parte non ubique ſatisfacit Wetſtenius. Id ſi ei accidit tantum incuria quadam ejusmodi, a qua imbecillitati humanae non ſatis cautum eſt natura, praeſertim in hoc genere critico, quod tam multis parvis rebus conſtat, quae facile diligentiam vel patientiſſimi hominis fatigant, vel oculatiſſimi effugiunt, eſtque ſaepenumero tam lubricum, ut vix vitare lapſum queas,

veniam dabimus lubentes petemusque viciſſim. Sed hoc ex iis judicabitur, quae in utroque genere a nobis mox proferentur.

Jam primum diligentia in congerendo Variarum Lectionum apparatu duabus in rebus cernitur: quarum prima eſt, ſi Codices Graecos, quorum copia data ſit, & verſiones antiquas ſcriptaque Patrum, inprimis Graecorum, perite & accurate cum vulgato conferas: altera, ſi, cum ipſe conferendi poteſtatem non habeas, & alii jam contulerint, eorum labore recte & cum judicio utare, non temere omittens, quae illi obſervarint, nec nimis credulus, ubi examinandi facultas ſit, ſuppetentibus libris, unde illi ſumſerint, velut verſionum & Patrum. Et in Graecis quidem Codd. cum exemplis editis comparandis diligentiam fidemque ut in dubium vocem, longe abſum: immo vero facile ei conceſſerim, longe diligentius eum eſſe in eo negotio verſatum, quam ſuperiores: in quo tamen magis temporum quam hominis bonum agnoſco. Nam ſuperioribus ſeculis, id quod in praefatione ad Tacitum diſputavi, nimis ſe negligentes in Codd. priſcis utendis viri docti vulgo praebuere: cum vel alienis oculis uterentur, vel in locis modo iis inſpicerent Codices, ubi in vulgato haererent. Qua re factum eſt, ut multa praeterirent, ut poſteris moleſtam neceſſitatem revocandae comparationis relinquerent. Melius hodie & aliorum uſibus & poſteritatis commoditati conſulitur, hac quaſi lege inducta, ut in Codicibus excutiendis nihil, quamvis tenue, quamvis vitioſum, negligatur: qua re omnis ultra conferendi neceſſitas tollitur. Huic legi neceſſario parendum erat Wetſtenio, ſi ullo modo probari doctis vellet: nec adeo mirandum, ſi multa e multis dudum cognitis Codd. protulit, quae antea latuerant omnes, quae etiam in copioſiſſimis illis Millii Excerptis fruſtra quaeras. In ceteris generibus autem non eandem ubique diligentiam adhibuiſſe, ut aliis in libris, ita & in Actis aliquot locis obſervavi, quorum quaedam ſpeciminis cauſſa adponam. C. I. 18. notat, quosdam legere πρηϑεὶς vel πρηνὴς, teſte J. C. Wolfio. Parum accurate ab utroque factum: a Wolfio, quod lectores iſtis *quibusdam* contentos eſſe juſſit:

a Wetſtenio, quod iſto teſte in tali opere acquievit. Non indagare oportuit, quinam eſſent iſti *quidam*, quaque re inducti iſta ſtatuerent? Poterant rem docere Theophylactus, Oecumenius, toties ipſi commemorati, & hinc Grabius in Spicil. Patr. & haeret. I. II. & III. Sec. P. II. p. 231. qui credit, auctores opinionis a Papia traditae de interitu Judae legiſſe in iſto loco πρηϑεὶς pro πρηνής: quod de ipſo Papia videtur Caſaubono, non probante Jac. Gronovio de Morte Jud. p. 177. Wolfius autem ſua hauſit vel e Gerhardi Harmonia, qui ſimilia ſine nomine tradit, vel e Gronovii verbis l. c. *ut Gerhardus etiam teſtetur, quosdam ſuſpicari, eſſe πρηςὰς vel πρηϑεὶς.* Sed in eodem verſu non notavit, dignum autem erat notatu, Laurentium Sifanum ad Theophylactum in Acta in margine notare, antiquiſſimum exemplum, quo uſus ſit, pro ἐλάκησε habuiſſe ἐλάκισε; quod eſſet a λακίζω, verbo bono, ducto a λακὶς, nec tamen vulgato praeferendum, quod etiam ſignificat, & Ariſtoph. tuetur Nub. 409. ubi διαλακήσασα (διαλακίσασα metrum ibi reſpuit) Scholia interpretantur διαῤῥαγεῖσα· λακὶς γὰρ τὸ σχίσμα. Atqui in Proleg. ad Act. p. 454. diſerte tradit, illud Theophylacti exemplum, quod per Sifanum Coloniae curatum eſt, cum editione recepta accurate ſe contuliſſe. C. II. 9. commemorat conjecturas Er. Schmidii aliorumque recentiorum nomen Ἰουδαίαν tentantium. Quid erat, quare negligeret Tertulliani & Auguſtini lectionem *Armeniam*, quam non ut de conjectura, ſed ut e libris hauſtam ponunt, dudum Millio & Bengelio notatam? quare non, Ἰουδαίαν abeſſe in exemplaribus Theophylacti? C. VII. 9. ad λιβερτίνων notat, Bezae, I. Clerico & Jac. Gothofredo placere λιβυςίνων. Bene. Poterat addere magnum plagiarium (*), Fr. Spanhemium, Miſc. III. 2. 17. Tom. II. p. 320. Sed multo po-

(*) Ne miretur quis hoc ἐπίθετον claro nomini additum, aut ne nimis iſti homini fidant ſtudioſi, ut veteranos etiam facere video, ſaepiſſime in plagio manifeſto deprehendi Spanhemium. Simon Bibl. Crit. T. I. p. 326. dixit, hunc Spanhemium in Elencho Controverſiarum in Capite de Graecis & Orientalibus omnia compilaſſe ſine judicio ex auctoribus,

potius debebat commemorare, verſione Armenica hanc lectionem confirmari: quod poterat diſcere e Whiſtoniorum praef. ad Moſis Chorenenſis Hiſtoriam Armen. p. XVIII. qui in ejus MS. ſic clare diſtincteque legi teſtantur. Nam quod a Wolfio etiam Oecumenius ejus rationis auctor citatur, id falſum vel inſpectio Oecumenii arguit. C. XV. 10. ad verba: νῦν οὖν τί πειράζετε θεὸν ἐπιθεῖναι ζυγὸν &c. tradit, Bezae & Bengelio (in Gnom.) placere, vocem θεὸν omitti. Quanto gravior futura erat Hieronymi neutiquam tacenda auctoritas, qui hoc ipſum verbum in Comm. in Ep. ad Galat. V. 1. omittit: ita verba citans: *quid tentatis*, inquit, *imponere jugum &c.* quod notatum Bengelio, ſupina negligentia praetermiſſum eſt. Quamquam ne hoc quidem teſtimonio probabilitas accedit conjecturae, a linguae rationibus alienae. C. XIX. 27. in verbis οὐ μόνον δὲ τοῦτο κινδυνεύει ἡμῖν τὸ μέρος εἰς ἀπολεγμὸν ἐλθεῖν. &c. primum e Cod. Barocciano notat ἡμῶν pro ἡμῖν, quam ſcripturam peperit v. 25. praecedens ἡμῶν, ſicut ibi lectio quorundam librorum ἡμῖν e verſu 27. quam prorſus repudiat ratio recta loquendi & articulus ἡ additus ſubſtantivo, vel conſtructionis conformatio cum ſequente: deinde addit, eam lectionem probari Grotio. Quomodo? an Grotius excerpta Codicis Barocc. habuit? Nequaquam: ſed ita legiſſe putabat Syrum & Arabem, quod notaſſe conveniebat. C. XXI. 3. ad ἀναφανέντες δὲ τὴν Κύπρον, cum omnia vitia librorum ſcriptorum & edd. ponat, etiam τῆς Κώ-

πρου

ribus, quos de hoc argumento legerat. Hoc judicium iniquiſſimum judicat Buddeus Iſag. Hiſt. Theol. p. 1145. a. nimis favens huic generi hominum. At ego permulta in ejus operibus loca reperi, ubi legis Fabiae de plagio manifeſte reus tenetur, nominatim in diſſ. de Euangeliſtis, Apoſtolis, ubi Fr. Burmannum compilavit, cum ne ſemel quidem nominet; ut taceam emendationes, quas Jac. Gothofredo & aliis ſublegit, nullo nominato, ut etiam in hac, de qua ſermo eſt, lectione fecit l. c. ubi ad verbum prope exſcribit Jac. Gothofredum, nec dignatur nominare. Sed ſedulo faciunt alii, ut illum pari fraude ulciſcantur.

πρου ex ed. Colinaei, praetermittit lectionem ἀναφανέντος τῆς Κύπρου, quamquam vitioſam, tamen repertam in libris, ut teſtatur idem ille, quem ſupra laudavi, Sifanus, atque Beza, unde notarat etiam Boiſius in Collat. ad h. l. C. XXIII. 23. allata lectione δεξιοβόλους, pro δεξιολάβους, e Cod. Alex. addit: *Codex teſte Eraſmo.* Enimvero Eraſmi verba ita ambigua ſunt, ut ex iis male, certe parum tuto, colligas aliquid de iſta lectione. Et haec fere mihi recens allatum librum perluſtranti occurrerunt; ſed plura forte reperiſſem, ſi accuratiſſime excutiendi omnia otium fuiſſet. Sed in hoc genere haud dubie faciles habiturus eſt multos, qui minui potius variantium lectionum numerum, quam augeri velint: nec minus, ut opinor, in altero, de quo nunc monebimus.

Lectionibus notatis e Codd. Verſſ. & PP. addidit conjecturas Virorum doctorum. Hoc quidem non modo ferendum eſt, ſed nonnullis etiam gratum fore putamus: ſuppeditant enim materiam diſputandi & refellendi iis, qui, quod ipſi bene dicant, non admodum habent, ut fit. Probo etiam judicium viri docti p. 858. cum *ſibi* ex omni earum, quas attulerit, numero, *vix unam atque alteram ſe utcunque probaſſe*, oſtendit. Sed diligentiam in eo negotio tripliciter deſidero. Primum quod loca, unde ſumſit, non, cum opus eſſet, indicavit, eaque re plerisque examinandi facultatem ademit: praeſertim cum, ſecundo, rationes conjecturarum nullas addiderit (*), quod nec neceſſarium erat, ſi fontes indicaſſet, ut in Mangaeo fecit, cujus conjecturas ita ponit, ut ad Phi-

(*) Animadverſione digna eſt conjectura Bentleji, neſcio ubi propoſita, ad XV. 20. 29. ubi vult pro πορνείας, in quo ſe tantopere torquent interpretes, legi χοιρείας, *porcine carne.* Ego notavi locum notabilem Juliani, e quo colorem aliquem accipere poteſt ea conjectura. Is eſt in Epiſt. 63. ubi ſcribit Chriſtianos ita tenaces eſſe inſtitutorum ſuorum, ut libenter ultimam famem & inopiam ſuſtineant, ὑείων ὅπως μὴ γεύσαιντο μήτε πνικτοῦ: quibus verbis ad h. l. reſpexiſſe videri poſſit.

Philonem prolatas dicat, in quo homine tamen minus neceſſarium erat, quam in Bentlejo, Hemſterhuſio τοῦ πάνυ, & aliis, quorum multa ſcripta extant. Illud autem haud dubie parum diligentis collectoris eſt, quod nec ejusdem hominis ex eodem libro omnes conjecturas attulit, ut Mangaei ad Philonem c. XVII. 4. pro προσεκληρώθησαν tentantis, προσεκολλήθησαν, temere, (v. Weſſel. V. C. Ep. ad Venemam p. 12.) ut omnia alia: nihil enim in conjecturis vanius iſto homine & audacius, ut eſt nunc Britannorum ingenium, qui ſcilicet Graece docti inprimis, & prae ceteris Europaeis videri volunt, cum plerumque tirocinia linguae non teneant, ut propediem inſigni ad ſtuporem exemplo docebo, & hinc conjecturarum frequentia ad Criticae facultatis laudem contendunt: quam pravitatem utinam non imitari inciperent noſtrates quidam! Idem ei accidit in Marklando, & ipſo quidem ad conjecturas proniori, ſed, ut ille ait, aliter catuli olent, aliter ſues. Nam cum ex ejus Conjecturis in Lyſiam ed. Taylori V. C. attulerit quasdam ad N. T. pertinentes, alias omiſit, velut quod XVII. 11. pro εὐγενέστεροι legi mavult εὐμενέστεροι: ibid. v. 4. ὡς ἐπὶ Θεσσαλίαν pro ἐπὶ τὴν θάλασσαν, quae conjectura ſaltem aliquam ſpeciem habet e Scholio Cod. Bezae Cantabr. ad v. ſq. quod non neglexit Wetſtenius afferre: παρῆλθεν δὲ τὴν Θεσσαλίαν, ἐκωλύθη γὰρ εἰς αὐτοὺς κηρύξαι τὸν λόγον. Atque etiam reperi, ubi falſo alicui tribueretur conjectura, velut ad Act. XXVII. 14. Bengelius dicitur probare conjecturam εὐρακύλων pro εὐροκλύδων: qui ab ea eſt alieniſſimus.

Millium jure reprehendit Wetſtenius T. I. p. 175. quod loca Patrum parum accurate indicaverit: quod eſt hodie certum indicium auctorum non inſpectorum, & hominis temere alius indicio & teſtimonio freti. Ergo hoc vitium prorſus vitavit Wetſtenius? Non profecto. Et loca quidem male citantis exempla non occurrerunt, nec libuit indagare: at vagae citationes crebrae ſunt, cum aut ſolam auctoris nomen ponitur, ſine libri indicio, quod ſemper eſt vitioſum tum, cum non vel e Commentariis ad librum quemque laudantur lectiones, vel ex eo, cujus unum tantum li-

librum habemus, aut liber ſimpliciter ponitur, non locus libri, per paginarum numeros & editionis nomen, expreſſus; unde magna moleſtia creatur quaerere locum & excutere volenti. Sed de hoc poſteriori vitio jam queſtum vidimus, haec ipſa dum ſcripſimus, Baumgartium, exquiſitae copioſaeque doctrinae Theologum, in Vindiciis vocis θεὸς 1 Tim. III. 16. ſuperiori menſe editis, nosque ipſi mox exemplo quodam docebimus. Et haec de prima parte, h. e. de diligentia in congerenda Lectionum varietate hactenus. Sequitur gravior pars, cum de uſu iſtius varietatis quaeritur, de judicio & delectu, in quo multo major caſtigandi materia occurrit.

Sed cum in hoc genere permulta ſint, quae merito reprehendantur; tamen quia ad univerſum opus pertinent, non hic a nobis commemorabuntur: & ſunt forte jam dicta ab aliis. Satis habebimus, exemplis aliquot demonſtraſſe, in judicando nec ſatis acutum ubique eſſe, quod ferendum tamen, nec ſatis integrum, ſed nimis tribuentem opinionibus ſuis, & hinc pervertere lectionem vulgatam conantem. In quo genere inſigne maxime exemplum eſt, quod Act. XX. 28. pro ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, haud dubitanter corrigit & in textum recipi vult κυρίου, conatu, etiam ſi ſucceſſerit, vaniſſimo, ut demonſtrabimus, & a Criticae artis legibus alieno. Equidem miratus ſaepe ſum inconſtantiam viri doctiſſimi, qui, cum videretur ſic inſtituiſſe, ut lectiones cum ſuis auctoribus nude poneret, rariſſime, interpoſito judicio ſuo, veluti liberum peritis arbitrium relicturus, admonens quid Grotius, quid Millius, quid Bengelius, quid alii probarent, non quid ipſe, cum ſaepe non modo materia diſputandi, h. e. ponderandi lectiones varias, eſſet, ſed etiam res & ratio diſputationem talem poſtularet, tamen in omnibus propemodum locis, quibus divinitas J. C. nititur, vel in lectionis varietate diſputat ea, quibus nobis eripiat, quantum in ipſo eſt, ut Act. XX. 28. 1 Tim. III. 16. &c. vel in notis ſpargit aliquid, quo vim iis ſuam adimat, ut affectatio quaedam & cupiditas facile animadvertatur. Sed nullo loco prope dicam magis iſtam affectationem eminere, quam in eo, quem vin-

vindicare nobis eſt in animo. Ea diſputatio erit eiusmodi, ut primum oſtendamus, ſi vel maxime Codicibus Graecis, verſionibus, teſtimoniisque Patrum conficeretur, veram lectionem eſſe ἐκκλησίαν κυρίου, tamen nihil lucrari divinitatis Chriſti adverſarios, defenſores nullam jacturam facere, atque ea ipſa re nobis viam patefaciamus ad alteram partem, qua vocem θεοῦ Lucae, librorum veterum ſcriptorumque auctoritatibus, aſſeramus, & argumenta Wetſtenii convellamus.

Concedamus igitur paullulum, fingamusque, ipſam Lucae manum eſſe, ut cum magnis Criticis loquar, ἐκκλησίαν Κυρίου. Quid fiet? Nempe *nomen Dei*, ait, p. 596. med. *ſemper de Patre*, Κυρίου, *de Chriſto* dicitur. Falſum, ut mox videbimus. Quid amplius? Perit ſcilicet argumentum pro divinitate Chriſti. Κύριος enim, (hoc ſic exiſtimari clarum eſt) minus eſt verbo θεοῦ, atque honoris tantum cauſſa dicitur. O! ſerum ſtudiorum! Quanquam video etiam noſtros, orthodoxos illos, fere ſic exiſtimare de κυρίου verbo. Calovius quidem in h. l. vindicando contra Grotium, cui lectio Κυρίου vel Χριστοῦ non diſplicebat, nihil aliud contendit, niſi θεοῦ verbum eſſe genuinum, & hinc divinitatem Chriſti aſſerit. Ego vero Κυρίου vocem non modo non minorem, ſed parem, ac, prope dicam, majorem vim habere contendo. Id ſic intelligite, Humaniſſimi Commilitones, & ſimul illud, quod ſaepe dico in Lectionibus, bonum interpretem N. T. debere ubique videre, verbum quodque utrum bene Graeco an Hebraico ſenſu dicatur, quaerere ſubinde, quod verbum Hebraicum ſcriptoris divini obverſatum fuerit animo, idque quam vim habeat, non e Lexico Hebraico triobolari, nec e verſionibus Latinis pueriliter ad verbum factis, quas nimis amplectitur interpretum ignavum & indoctum vulgus, ſed longe aliis, quos demonſtrare ſoleo, e fontibus haurire: innumerabiles ineptas controverſias, ſtultas interpretationes natas eſſe in Eccleſia Graeca & Latina, atque etiamnum vulgo fieri, ex eo, quod quae verba ex Hebraica conſuetudine capienda erant, e bene Graeca, aut Latina, accipiebantur, ut hodie vulgus ordinis Theologici e vernacula interpretatur. Vox

Κυρίȣ ſcriptoribus Hebraizantibus dupliciter dicitur, primum honoris habendi cauſſa, ut Graecis δεσπότης, reſpondetque Hebraico אדוני, quod & de hominibus dicitur in compellationibus inprimis: atque ſic licet accipere, cum dicitur Κύριος Ἰησȣ̃ς &c. deinde pro nomine veri Dei, exprimens vocem יהוה, ducta conſuetudine e Graeca V. T. verſione, in qua prope perpetuo κύριος interpretantur proprium illud veri Dei nomen, θεὸς rarius quidem, at aliquot tamen locis. Unde effici videtis primum illud, κυρίȣ nomen ſi dicatur de Chriſto ſimpliciter, ut de Patre, ſine adjunctione nominis proprii Ἰησȣ̃ vel Χριςȣ̃, indicare veram, & aeternam immutabilemque divinitatem, atque ex iis adeo locis, ſi non gravius ac certius, at aeque certum & efficax argumentum duci, quam ex iis, in quibus θεὸς vocatur, in quo verbo ſatis conſtat ab omni aevo calumniatos eſſe adverſarios divinitatis Chriſti, cum in voce יהוה nulla talis calumnia locum habere poſſit. Hinc adeo factum eſt, primum, ut vox κύριος, eo modo dicta, a ſcriptoribus ſacris cum verbo θεὸς promiſcue diceretur, eadem vi ac poteſtate, deinde, ut a librariis in Codd. a Patribus Graecis & Latinis, in afferendis teſtimoniis librorum ſacrorum, permutarentur pro ſynonymis. Harum rerum documenta ecce Vobis e ſolis Lucae Actis ſat multa & idonea, ſed per lancem ſaturam & ex ordine capitum. VI. 6. XIII. 7. 44. XVIII. 11. ὁ λόγος τȣ̃ θεȣ̃, eſt idem qui & λόγος Κυρίȣ, VIII. 25. XIV. 94. in Epiſtolis Paulli interdum & λόγος Χριςȣ̃, *doctrina Chriſtiana.* Qui VIII. 22. θεὸς dicitur, v. 23. κύριος vocatur, ubi notabile eſt pro θεὸς legi κύριος in Mſſ. antiquioribus iisdem, quibus XX. 28. & expreſſum eſſe non modo in verſione Syr. poſteriori, ut illic, ſed etiam Coptica, multisque Patrum locis, & tamen nihil tentari, ſalvam in textu relinqui vocem θεὸς a Wetſtenio. IX. 13. φόβος τȣ̃ κυρίȣ eſt haud dubie יראה יהוה, commodeque adfert Wetſtenius in nota locum e Chald. Paraphr. Gen. V. 22. *ambulavit Enochus in timore Dei:* ſed ibi ſermo eſt de Chriſto. XIII. 47. ὅτως γὰρ ἐντέταλται ἡμῖν ὁ κύριος· locus ſubjectus e Propheta clarum facit, exprimi nomen Jovae. XV. 19. τὰ ἔθνη ἐπιςρέφοντα ἐπὶ τὸν θεὸν, ſunt *accedentes ad Jeſum*, & pro eadem forma alias eſt ἐπὶ

τὸν κύριον. XVI. 15. πιστὴ τῷ κυρίῳ eſt τῷ Θεῷ, ut habet Cod. Cantabrig. & verſio Aethiop. Sed iſte κύριος, iſte Θεὸς eſt Jeſus: *ſi me veram Chriſtianam putatis.* XVI. 34. πεπιστευκὼς τῷ Θεῷ, nil differt ab eo, qui dicitur πιστεύειν τῷ Κυρίῳ XVIII. 8. vel, ut alibi, εἰς Κύριον Ἰη. Χρ. eſtque is Θεὸς Chriſtus. Nihil autem clarius eſt locis XVIII. 24. 26. In illo eſt ὁδὸς τοῦ Κυρίου de religione Chriſtiana, mox τὰ περὶ τοῦ Κυρίου, in hoc ἡ τοῦ Θεοῦ ὁδός: quae ſynonymice dicta qui neget, nihil in interpretando ſit neceſſe eſt. Quid XIX. 8. ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, non eſt regnum Chriſti? ut & alibi vocatur, pro quo tres Codd. exhibent κυρίου. XXI. 19. Paullus narrat, quae fecerit ὁ Θεὸς ἐν τοῖς ἔθνεσι &c. Chriſtiani autem iis auditis, ἐδόξαζον τὸν κύριον. Θεὸν & Κύριον eundem eſſe, quis non videt? Quis eſt autem ille Θεὸς, quis κύριος? Nempe Jeſus Chriſtus ex Marc. XVI. extr. Cum igitur Κύριος non minorem vim habeat voce Θεοῦ, atque adeo ex Hebraismo prope majorem, non eſt mirum, ſi, ut ante dixi, & a librariis, & ab interpretibus, & a Patribus Eccl. inter ſe perpetuo permutantur. In iſtis exemplis quidem, quae attulimus, prope omnibus, in variis lectionibus alterum reperitur Θεὸς, ubi in textu κύριος eſt, & vice verſa. Atque adeo XXI. 19. tanta eſt multitudo librorum, ſcriptorum & editorum, verſionum, Patrum, pro κύριον exhibentium Θεὸν, ut etiam Millius & Bengelius hoc praeferendum putent. Nec tamen ſecutus eſt eorum judicium Wetſtenius. Adde locis iſtis VII. 33. ubi pro Κύριος reperitur Θεός. X. 33. ubi pro τοῦ Θεοῦ reperitur & κυρίου, uti XV. 18. probante ibi & Bengelio. XXVII. 23. & contra XII. 11. illud pro κύριος, itemque XVII. 27. ubi in verbis ζητεῖν τὸν Κύριον, Codd. duodecim Θεὸν exprimunt, verſiones Lat. Syrae, Copt. Aeth. Chryſoſtomus & Oecumenius: probant Grotius, Millius & Bengelius, me non adſtipulante, nec Wetſtenio; denique XXVIII. 15. pro Θεῷ in Mſſ. quatuor eſt Χριστῷ, quae eſt gloſſa interpretantium, quod eſſet in textu. Haec conſideranti fortaſſe veniat in mentem illud Ciceronis ad Memmium: *nec cur ille tantopere contendat video, nec cur tu repugnes:* adeo nec ille, ſi Κύριος recipitur, quaeſtum facit, nec nos amittimus quicquam, ſed ſalva manet divinitas Jeſu Chriſti, etiamſi Κύριος probetur. Enimvero

vero in hac Critica ratione non tam quaeritur, an altera lectio eundem vel meliorem ſenſum habeat, ſed an majori auctoritate nitatur: & rurſus, quo quis animo Κύριος praelatum velit, refert. Videamus igitur, quibus argumentis nobis hanc neceſſitatem impoſitum eat Wetſtenius, ut in poſterum ἐκκλησίαν κυρίου legamus, non Θεοῦ.

Primum autem argumentum ducitur a teſtimoniis veterum librorum, h. e. Mſſ. Verſſ. & PP. MSS. Codices pro verbo κυρίου decem laudat: in his antiquiſſimos Alexandrinum, Ephremi, Cantabr. & Laudianum, quos tamen ipſe ad Latinam verſionem correctos, & interpolatos judicat: alterum autem ait in quatuor ad ſummum Codd. repertum, quorum nullus antiquus, aut antiquo proximus ſit. Enimvero etiamſi vox ea ſola tantum in quatuor libris reperta eſt, tamen eſt κυρίου Θεοῦ, κυρίου καὶ Θεοῦ, Θεοῦ καὶ κυρίου in duobus & triginta, in his Codice perantiquo Card. Paſſionei. Iſti non numerabuntur? Certe tam pro Θεοῦ quam κυρίου ſtant. Alterutrum a librariis eſſe convenit. Quaeritur, utrum? Wetſtenio placet Θεοῦ: ſcilicet, quia magis adverſari putavit opinioni cuidam ſuae (*). At nobis κυρίου: non quia aliud, aut quia minus bona lectio; ſed quia res & ratio ſuadet. Beza, Millius, & Bengelius verbum κυρίου pro gloſſa habent, adſcripta, ut eſſet explicatio Θεοῦ adverſus Anthropomorphitas. Non arbitror neceſſarium eſſe, ob ante dicta, de ſolenni permutatione librariorum, ubi nulla gloſſae neceſſitas. Wetſtenius Θεὸν mavult eſſe gloſſam: quod multo minus concedi poteſt. Quis enim haeſiſſet in κυρίου? Nec ullam rationem & cauſſam talis gloſſae ponendae affert. Sed ſi eſt Θεοῦ potius a librariis, quam κυρίου,

dicam

(*) Ei quantum obſequatur, etiam hoc exemplo obiter notabimus. Ad Rom. IX. 5. p. 65. affert locum Euſ. H. E. VIII. 11. ὅλην Χριστιανῶν πολίχνην ὑφάψαντες, κατέφλεξαν αὐτοὺς, τὸν ἐπὶ πάντα Θεὸν Χριστὸν ἐπιβοωμένους. Addit manifeſtum eſſe, vocem Χριστὸν eſſe ab interpolatore. Hoc eſt plane abſolutum decretum. Cur non potius Θεὸν additum dicit? ſi tamen alterum additum. Nam Niceph. VII. 10. qui Euſebium compilavit, habet Χριστὸν ἐπιβοῶν. Et narratio Nicephori arguit Chriſti nomen abeſſe non poſſe.

dicam ex eo fonte fluxiſſe, quo dixi. Iſtum Κύριον eſſe Deum ſciebant & credebant. Itaque, dum negligentius deſcribunt, θεȣ̃ pro κυρίȣ ponunt. Sed non eſt a tali manu vox θεȣ̃, verum a Luca. Eſt lex Critica raro fallens, e duabus lectionibus eſſe praeferendam, quae durior videatur, ſi cetera paria ſint. At lectio κυρίȣ nil duri habebat praeſertim apud eos, qui Hebraica neſcirent; contra mentio ſanguinis poſt nomen dei durior cuidam videri poterat, praeſertim quo tempore adverſus Theopaſchitas diſputabatur. Quod ſi quamvis liberales eſſe adverſus eum velimus, cui hoc non ſatisfaciat, tamen illud ſaltem ſequetur, parem eſſe utriusque auctoritatem, nec jus fuiſſe Wetſtenio alteram κυρίȣ praeferendi alteri θεȣ̃, & in textum inferendi.

Jam, quod ad verſiones attinet veteres, pro κυρίȣ affertur margo Syrae poſterioris, Copticus Interpres & Armenus. Nos vero opponimus margini textum, Coptico & Armeno Latinum, haud paullo gravioris auctoritatis, & Aethiopem apud Millium. Nam de Copticae & Armenicae verſionis origine & auctoritate tam incerta ſunt omnia, diffidentibus inter ſe doctiſſimis viris, ut eae cum Latina comparari nullo modo poſſint. E Patribus autem unum numerem Chryſoſtomum, cujus Commentarius ad h. l. laudatur pro κυρίȣ, propter eam, quam dixi, frequentem confuſionem κυρίȣ & θεȣ̃ in citationibus. Sed hic ipſe Chryſoſtomus ſi habuit Codicem, in quo eſſet Κυρίȣ, ille Codex tamen unus numerandus eſt: & poteſt in Chryſoſtomo quoque illa confuſio a librariis extitiſſe. Suſpicatus ſum aliquando, lectionem κυρίȣ eſſe e Codd. Origenis, qui hanc lectionem alteri, cum Codd. diſcreparent, potuit praeferre. In Verſionibus Armenica & Coptica animadverterunt viri docti dudum Origenianas emendationes: v. Wetſtenium in Proleg. T. I. p. 110. 111. Chryſoſtomus autem totus pendet ex Origene. Didymus Alex. e quo & ipſo haec lectio laudatur, Origeni ad errores usque fuit deditus: Euſebium autem in Bibliotheca Caeſareenſi Origenianis Codd. uſum, quis neſcit, qui ad Eſ. XXXV. 9. ſimiliter hunc locum protulit. Sed hoc utcunque quis acceperit, haud in magno poſuerim diſcrimine.

Illud agam potius, ut tandem excutiam loca illa P. P. quibus magnopere confidit Wetſtenius, quod ex iis intelligi poſſe putat αἷμα θεοῦ in libris divinis non fuiſſe. Primus eſt *Origenis* c. Celſum VII. p. 342. in quo negat, aut Prophetas V. T. praedixiſſe, aut Chriſtianorum quemque dicere, mortuam eſſe veritatem, viam, panem coeleſtem, vitam, aut θεὸν λόγον. Ei loco ſimillima ſunt e ceteris, quae proferuntur, *Neſtorii* apud Cyrillum & in Actis Eph. item *Theodoreti* in Dial. III. in quibus negatur dici poſſe θάνατος θεοῦ λόγου, & ſimilia. Haec videlicet putat, dici non potuiſſe, ſi in loco controverſo θεοῦ legiſſent. Sed Vir doctus non aſſecutus eſt mentem veram illorum teſtimoniorum, quam reſpondentes ad locum Athanaſii, una declarabimus ex eodem Athanaſio. *Athanaſii* locum, qui ei haud dubie capitalis viſus eſt, affert hunc: οὐδαμοῦ δὲ αἷμα θεοῦ καθ' ἡμᾶς παραδεδώκασι γραφαί. Ἀρειανῶν τὰ τοιαῦτα τολμήματα. Eum citat e libro c. *Apollinar.* Primum duo feruntur Athanaſii contra Apollinarium libelli, alter *de ſalutari adventu Chriſti*, alter *de Incarnatione Domini.* Ubi igitur quaeram? Eſt autem in illo, qui eſt *de Salut. A. D.* T. I. p. 645. ed. Pariſ. 1627. & ab Montefalconio vocatur liber II. adv. Apoll. in cujus editione locus eſt T. II. pag. 951. Hunc locum, non dicam mala fide protuliſſe, quod pronum erat & probabile dicere: ſed non ex ipſo libro ſumſiſſe, non ipſum ibi inſpexiſſe, ſed ex alio recentiori, qui neſcio an mala fide laudaverat, exſcripſiſſe, dico. Enimvero erat tanti inſpicere locum diligenter, & editiones optimas conſulere, in quibus ita locus exhibetur, ut appareat, fruſtra huc conferri. Editio ergo Pariſienſis ſic exhibet: οὐδαμοῦ αἷμα τοῦ θεοῦ κ. ἡ. π. αἱ γραφαὶ, ἢ θεὸν διὰ σαρκὸς παθόντα καὶ ἀναστάντα. Ἀρειανῶν τ. τ. τ. Videtis hic media verba omiſſa, quae ſi examinaſſet intelligenter, h. e. ſi ſatis verſatus in ſcriptis ad controverſias Arianorum, Apollinariſtarum & ſimilium acceſſiſſet, vel ſolos iſtos Athanaſii c. Apoll. libros perlegiſſet attente, ſtatim vitium deprehendiſſet. Nam θεὸν διὰ σαρκὸς (aut ἐν σαρκὶ) παθόντα nemo non orthodoxorum dixit. Negabant, θεὸν λόγον paſſum aut mortuum ſimpliciter dici, ſed cum adjunctione naturae humanae, cujus πάθη pro ſuis ducat, propter

 ἕνωσιν

ἕνωσιν ὑποστατικήν. Atque id didiciſſet, ſi Montefalconianae editionis exemplum inſpexiſſet, quae locum ſic exhibet, ut pro καθ' ἡμᾶς exhibeat e Cod. Segueriano δίχα σαρκὸς, poſt relinquat διὰ σαρκός. Non probo hic κρίσιν Montefalconii. Verborum καθ' ἡμᾶς plane nullam rationem ducit, eaque lectio ipſum plane latuiſſe videtur. Ait enim editos habere αἷμα τοῦ θεοῦ διὰ σαρκὸς. pro quo δίχα σ. reponit. Feram hoc. Sed mox relinquit διὰ σαρκός, etſi Nannius verterat *circa carnem*, eoque correctionem indicaverat. Igitur aut utroque loco legendum δίχα σαρκὸς, aut ſaltem poſteriori loco. Id clarum eſt e ſequentibus, & aliis multis Athanaſii locis: ſic enim pergit: αἱ δὲ ἅγιαι γραφαὶ ἐν σαρκὶ θεοῦ καὶ σαρκὸς θεοῦ ἀνθρώπου γενομένου, αἷμα, καὶ πάθος, καὶ ἀνάστασιν κηρύττουσι σώματος θεοῦ &c. Et ſimiliter aliis locis loquitur. His autem verbis totum Wetſtenii argumentum convellitur. Nam diſerte Athanaſius, (ſi quidem auctor eſt: nam dubitari a nonnullis video) teſtatur, αἷμα θεοῦ in ſacris libris occurrere, ſed ſanguinem, quem Deus in ſuo corpore habuerit. Ex hac igitur ratione & cetera loca de Deo Verbo non mortuo &c. ſunt capienda, quae ſic intellecta nihil proſunt Wetſtenio. *Deus ſanguine ſuo redemit Eccleſiam*, non quem divinitas habebat: eſt enim incorporea: ſed, qui in corpore erat, quod ſuum fecerat conjunctione, ἐνσαρκώσει.

Sequitur locus *Chryſoſtomi* ex hom. I. in Acta, in quo laudat Apoſtolorum συγκατάβασιν, quod in ſermonibus ad Judaeos Gentileſque raram divinitatis Chriſti mentionem fecerint, ſed multam humanitatis, cum Athenis etiam hominem tantum vocarit Paulus. Hunc locum cum legerem in iis, quae prodeſſent cauſſae Wetſtenii, vehementer ejus acumen deſideravi: nec ullo modo potui intelligere, quomodo ſibi perſuadere potuerit, ei loco vim ullam ineſſe. Primum, ſi ὀλίγα περὶ θεότητος Chriſti dixerunt: an etiam nihil? Annon hic locus noſter in iſtis ὀλίγοις eſſe poteſt? Deinde, quod maximum eſt, an hic Paulus cum Judaeis loquitur, aut Gentilibus? Immo cum Chriſtianis, cum Presbyteris Eccleſiae Epheſinae: in quorum numero nemo fuit, quin plane cognita haberet religionis Chriſtia-

nae

nae dogmata omnia, qui tali συγκαταβάσει non indigerent. De loco *Neſtorii* ex parte jam dictum. Sed illa etiam verba conſideranda ſunt : ὅταν ἡ θεία γραφὴ μέλλῃ λέγειν ἢ γέννησιν τοῦ Χριστοῦ, τὴν ἐκ τῆς μακαρίας παρθένου, ἢ θάνατον, οὐδαμῶς φαίνεται τιθεῖσα θεὸς, ἀλλ' ἢ Χριστὸς, ἢ υἱὸς, ἢ Κύριος: quibus ſimilia cetera. In his primum in verbo κύριος apparet inſcitia Hebraismi ejus, de quo ante dixi: deinde error manifeſtus, oblatus a cupiditate ſententiae defendendae, aut memoriae imbecillitate. Qui hic θεὸς vocatur, mox in altero ejus loco eſt θεὸς λόγος. Non ſuccurrebat homini illud ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο: nec θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, quod tum in libris fuiſſe, nemo, niſi valde cupidus, dubitabit, poſt egregiam Baumgartii V. Cel. demonſtrationem. Sed in hoc genere omni tempore lapſi ſunt Theologi, atque etiamnum labuntur : ſive infirmitate memoriae, ſive, quod aliis libris, ut Controverſiarum, Concionum popularium, Schediasmatibus, Compendiisque legendis, plus temporis multi tribuunt, quam libris ſacris. Itaque nulli argumento minus tribuo, quam ei, quod a ſilentio Theologorum veterum, veluti in nobili loco Joanneo, ducitur. Atque etiamſi facilis eſſe velim adverſus Neſtorium, & quemcunque alium e veteribus, qui talia ſcripſit, qualia ſunt etiam in ceteris locis a Wetſtenio prolatis, quae ſeparatim excutere neceſſe non putamus, tamen omnia accipienda contendam ex illa Athanaſiana formula, de qua ſupra dictum eſt. Denique etiam fervor diſputationis adverſus Fullonem, Apollinarium & Theopaſchitas fecit, ut talia interdum proferrent, quae ad veritatem diligentius exacta probari non poſſent: neque ea ullo modo hoc nobis dant juris, ut propterea nomen θεοῦ in loco Lucae ſuſpectum habere, nedum tollere, poſſimus.

Diu nos tenuit loci unius caſtigatio. Itaque pauca alia adjungere licebit, & ea quoque e genere Critico. Nam Commentarium nunc non attingemus. C. XVII. 25. in textum recipi vult non paucorum ſane librorum cum ſcriptorum, tum editorum: διδοὺς πᾶσι ζωὴν, καὶ πνοὴν κατὰ πάντα. Non dicam, & alteram καὶ τὰ πάντα non minus multorum librorum auctoritate niti, in his antiquiſſimorum, quos ad XX. 28. vulgatae deeſſe

urgebat: ſed illam lectionem ſenſum commodum non habere. Ego quidem, quid ſit διδόναι ζωὴν πᾶσι καὶ πνοὴν κατὰ πάντα, non poſſum aſſequi. Enimvero in criſi legitima non modo librorum, ſed etiam ſenſus ratio haberi debet: & ut nulla lectio, quamvis bonum ſenſum habens, probari poteſt ſine libris bonis, ſic nec libri boni in diſſenſu valere ſine bono ſenſu poſſunt. Ac video provocari ad ὁ Joſ. XXII. 2. Sed ibi longe alia res eſt. Verba ſunt: ὑπηκούσατε τῆς φωνῆς μου κατὰ πάντα, ὅσα ἐνετείλατο ἡμῖν. Sic. Vat. & Alex. Codd. Ed. Ald. habet καὶ τὰ πάντα. Sed haec lectio repudiatur merito, quia nullus commodus ſenſus exiſtit, niſi κατὰ legatur, ut hic niſi καὶ τὰ πάντα.

Neque felicius res viro proceſſit verſu ſequente, ubi in textu vult exprimi ὁρίσας προστεταγμένους καιρούς, non προτεταγμένους, confiſus non modo libris, ſed etiam linguae rationibus. Προτάσσω, inquit, *eſt primo loco, in fronte pono: quod huic loco non convenit.* Non comparabo inter ſe libros veteres, qui pro utraque lectione ſtant, nec editos, quorum fides a veteribus pendet, cum per ſe nullam vim habeant. Nec de verſionibus dicam, quae utrique lectioni favent. Si demonſtravero, falſum eſſe, quod de verbi προτάσσω ſenſu dixit Wetſtenius, ſumtum e Lexicis, res erit confecta. Senſus & contextus requirunt, *tempus certum ac definitum*, ante quod, aut poſt quod quid evenire non poſſit. Id dici Graece προστεταγμένον καιρὸν credam, cum exemplis demonſtrabitur, quae copioſus in rebus non obſcuris Commentarius nulla affert: ſed exempla talia nuſpiam ſunt, nec unquam proferentur. Aliud eſſet, ſi ſermo foret de tempore homini alicui praefinito, quo quid faceret. Nempe praepoſitio πρὸ obfuit viro docto, ut aliis in multis aliis verbis. Nihil enim eſt fallacius praepoſitionibus quibusdam in verbis compoſitis, praeſertim cum Lexica vulgaria omnia ab ea parte ſint vitioſiſſima. Wetſtenio pariter fraudi fuit ἀνὰ in verbo ἀναπείθειν ad XVIII. 13. ut aliis in ἀνασταυρεῖν, quorum illud ſaepe pro ſimplici, hoc ſemper ponitur. Προτεταγμένος καιρὸς eſt τεταγμένος, quod Cod. Coiſlinianus a prima manu habet. 2 Macc. VIII. 36. ſunt προτεταγμένοι νόμοι, in omnibus, quod ſciam, libris: nam in ed. L. Boſii fruſtra e Cod. Alex. lauda-

datur προσέταγμ. Symmachus autem Pſ. LIX. 9. מחקק, vertit προστάσσων.

Neque ſatisfacit mihi C. XXIV. 19. ubi vult in textu eſſe, οὓς δεῖ παρεῖναι ἐπὶ σοῦ, καὶ κατηγορεῖν, εἴ τι ἔχοιεν πρός με: non ἔδει: pro quo tamen & ipſo multi libri, verſiones veteres prope omnes ſtant. In quo errat haud dubie cum Bengelio, qui ſubinde libros ſequitur e lege ſua, nihil penſi habens linguae rationem atque naturam. Etenim, qui habet aures ſatis adſuetas Graecae linguae, facile ſentiat, ſi δεῖ verum ſit, ſequi debere ἔχουσιν. Itaque cum omnes libri conſtanter exhibeant ἔχοιεν, in eoque nulla dubitatio moveatur, ἔδει verum ſit neceſſe eſt. Sed in tam parvis rebus facile aliquid negligitur, niſi valde attentus ſis, a quibus tamen interdum res magnae pendent.

Haec ſpeciminis cauſſa proponere Vobis volui, non, ut reprehendendo & accuſando invidiam viro doctiſſimo poſt fata facerem, aut gloriolam mihi quaererem, a quo & natura & mores mei abhorrent, ſed ut intelligeretis, quam non facile ſit de Opere Wetſteniano bene judicare, aut eo recte uti. Multarum literarum, multae lectionis, diuturnaeque & obſervationis & exercitationis criticae hoc negotium eſt. Quo magis mirum eſt, eos quam acerrime de hoc libro, deque toto illo genere ſcribendi judicare, qui ea ſtudia, unde bene de talibus libris judicandi facultas petenda erat, neglexere per omnem aetatem, aut tantum leviter attigerunt. Illud etiam hoc exemplo admoniti intelligetis, quam neceſſarium ſit ei, qui aliquando Theologi & ſacrarum literarum interpretis nomen implere velit, in tempore cogitare de praeſidiis comparandis, quibus ad eam facultatem perveniri poſſit; ſine qua nemo interpretis talis laudem tueatur. Nam ut nemo inter librorum humanorum, Graecorum Latinorumque, interpretes locum obtinere poteſt, qui non ſit ab arte critica bene inſtructus, ut, quid in librorum ſcriptorum editorumque exemplis rectum vitioſumque ſit, legitime judicare poſſit: ſic nec ſacrorum librorum idoneus interpres eſſe ullo modo ſine illo judicio poteſt. Quo magis confido, hanc meam diſputatiunculam Vos incitaturam, ut ſtudium veſtrum ad omne genus literarum cognoſcendum percipien-

dumque adjungatis, quod ad ea praeſidia comparanda vim aliquam poſſit habere. Ea praeſidia quae ſint, vel a libris vel a diſciplinis literarum, ſatis arbitror a me eſſe demonſtratum in Lectionibus ſuperioris ſemeſtris, cum traditis Novi Teſtamenti recte interpretandi praeceptis, non e vulgaribus hermeneuticis libellis, ſed a longo uſu ductis, omnem apparatum librorum diſciplinarumque exponerem, quo inſtructum eſſe bonum interpretem oporteret, & cujusque generis verum uſum certis & perſpicuis praeceptis demonſtrarem. Sed quia in omni genere doctrinae minimum eſt in praeceptis, maximum, & prope dicam omnia, in uſu & exercitatione, quae ſaepe ſine praeceptis plurimum, praecpta ſine illa nunquam valuerunt, ſtatui facere, quod ab initio pollicitus ſum, ut Vos jam velut in rem praeſentem deducam, &, ut ante praecipiendo, ſic nunc agendo doceam in Graecis Novi Teſtamenti libris interpretandis accurate utiliterque verſari, h. e. ita, ut & criſin legitimam modeſte exercere, & ſenſum verum per Graecarum & Hebraicarum omniumque humaniorum literarum auxilia ſolerter indagare, & ſic veritatis coeleſtis vel explicandae vel defendendae rationem reperire diſcatis. Ei rei quoniam accommodatiſſimas ante uſu cognovi *Epiſtolas Apoſtolicas*, eas potiſſimum delegi, in quibus interpretandis hujus anni operam conſumerem. In quo non puto mihi opus eſſe, ut Vos multis verbis ad audiendum alliciam: cum ſuperiori ſemeſtri, primum ad ea quae ante dixi, praecepta, deinde vero ad Lectiones in Hiſtoriam Paſſionis Dominicae tanta frequentia confluxeritis, ut facile viderim, ſtudium recte intelligendarum ſacrarum literarum vel maxime in hac Academia vigere.

DE

TEMPLO HERODIS M.

AD AGGAEI II. 10. ET JOSEPH. A. I. XV. EXTR.

C. D.

Vere profecto & eleganter Siculus ille Diodorus Lib. I. init. in ceteris hiſtoriae laudibus etiam hoc ponit, ut eam quandam quaſi *metropolin univerſae Philoſophiae* appellet, non modo hujus, quae hodie vulgo dicitur, ſed ejus, quae omni rerum divinarum humanarumque, omnium magnarum diſciplinarum ſcientia continetur. Nam profecto nulla propemodum eſt doctrina, quae, ſi ſe ſatis norit, aut grata eſſe velit, non cogatur fateri, ſe hiſtoriae non modo commoda & ornamenta plurima, ſed vitam adeo ipſam debere, eique quaſi colonico quodam jure obſtrictam teneri. Scilicet, ut hoc ſe debere quondam coloniae exiſtimabant metropoli quaeque ſuae, ut eam parentis in modum revererentur, & colerent, cui omnia ſe debere ſcirent, legatos quotannis in eam mitterent, ſacra ibi facturos, Pontifices ab ea acciperent, ejus Legatis primum in conventibus publicis locum tribuerent, &, ſi quando aliam coloniam vellent deducere, ejus ducem ab illa peterent (*): ſic diſci-

(*) Vid. collecta Valeſ. ad Excerpt. Peireſc. p. 8. unde repetiere Hudſ. ad Thucyd. I. 25. Spanh. de U. & P. N. Diſſ. IX. 3.

diſciplinae eae, quae maxime ab hiſtoria derivatae ſunt, debent primum agnoſcere origines ſuas; non ſe αὐτόχθονας, ut quondam Athenienſes, h. e. a nulla alia ortas, ex ſe natas, jactare; non arrogantes & improbos homines imitari, quos cum fortuna divitiis, honoribus, longe ſupra parentes extulit, pudere parentum incipit, ut eos agnoſcere nolint; ejus porro veluti ſacra, leges, conſervare, ea duce in rebus magnis uti. Atque id adeo debent facere ſtudioſius, cum experientia ſatis docuerit, omnes illas diſciplinas ad interitum ruere, cum primum ea vincula, quibus hiſtoriae, matri, adſtrictae ſint, rumpere, & ſe ἀμήτορας facere coeperint. Nam profecto omnis illa barbaries, qua diſciplinae omnes per tot ſecula obſcuratae atque deletae jacuerunt, nulla alia ex re nata eſt, quam e contemtu hiſtoriae, earumque linguarum, quarum ſcientia continetur. Quid? cum tandem pertaeſum eſſet tenebrarum illarum, & orto lucis deſiderio, barbariei depellendae cupido injecta eſſet hominibus, nonne ab hiſtoria petenda auxilia fuerunt, faciendumque id, quod coloniae quondam feciſſent, ut, cum ignis ſacer, qui e metropoli adlatus in Prytaneo arderet, caſu quodam eſſet extinctus, non aliunde, quam e Prytaneo metropoleos ſuae repeteretur. Quo magis arbitror eſſe eorum, qui bonis literis docendis tuendisque praeſint, in tempore imbuere animos juvenum iis opinionibus, ut de natura diſciplinarum omnium recte ſentiant, exiſtimentque, in iis ſine hiſtoria, multisque literis effici praeclari nihil poſſe.

Sed hiſtoria, quam majorum diſciplinarum ſtudioſis atque magiſtris commendatam eſſe volumus, plurimum refert, quomodo vel diſcatur, vel tradatur. Neque enim nos commendamus juventuti, aut tradimus eam, quae inſit in commemoratione rerum, in vulgaribus libellis obviarum, quae mulierculis aptior eſt, quam eruditis hominibus, neque opus magiſtro erudito habet; ſed quae per linguarum ſcientiam e fontibus ipſis ducta ſit, & rurſus ad ipſos fontes adducat, amore ipſorum injecto, & facultate ex iis hauriendi adjuta. Quod fit, cum aliis rebus, tum diligen-

gentia explanandae conſuetudinis loquendi, qua hiſtorici in rebus tradendis utuntur. Id niſi fit, aut coeca fide arripient a quolibet narrata, aut difficultatibus quibusdam irretiti, ſe expedire nullo modo poterunt. Ejus rei cum permulta exempla ſunt, tum etiam illud, cujus memoria mihi renovata eſt nuper, cum in Tacito recenſendo ad illuſtrem illum locum de rebus Judaicis, temploque Hieroſolymitano venisſem, in eoque ſubinde Joſephus comparandus eſſet, itemque ante paucos dies, cum hiſtoriae catholicae elementa enarrans, ad locum de inſtaurato per Zorobabelem templo delatus, oſtenderem, quanta vis adverſus Judaeos eſſet in noto Aggaei vaticinio. Scilicet, magna difficultas oblata eſt permultis in loco Joſephi, de Herodis M. munificentia adverſus templum Hieroſolymitanum; quem, admirandum eſt, quam interdum vexent, qui eum aut conſentaneum vaticinio Aggaei, de templo ſecundo, efficere velint, aut ab eo diſcrepare ſibi perſuaſerint. Nam alii aut partem tantum aedificatam ſtatuunt, aut inſtaurationem & exornationem tantum majorem factam eſſe, praeſertim in interiori parte, quae היכל Hebraeis dicitur, veriti, ne non alterum templum relinquatur, ſi omnia, inprimisque היכל, deſtructa dicantur: alii, Graece doctiores, cum videant, non ſatis commode ita intelligi Joſephum poſſe, aut fidem ejus in hac quoque parte dubiam faciunt, aut, ſi eo non deſcendunt, tamen, dum conciliare eum cum Aggaeo conantur, ſe laborare indicant. Omnino ſupra ceteros infelix ſcriptor eſt Joſephus, praeter meritum ſuum, cum ob elegantiam ſit optima fortuna digniſſimus. Perpauci ſunt, qui eum uno tenore juſta cum diligentia legant: pauciores, qui tantum Hebraice, Graece, Latineque (nam has tres linguas teneri, recte volebat Caſaubonus) ſciant, ut eum ſatis intelligere poſſint, ne ex eorum quidem numero, qui vel maxime propter diſciplinae ſuae profeſſionem, debebant. Ceterum, ut de quoque ejus loco quaeſtio aut controverſia incidit, ita quisque, inſpecto illo loco, vel e verſione, vel, ſi plus ſapiat, e Graecis, ope Lexici triobolaris adjutus, fortiter de eo in utramvis partem judicat. Quamquam in hoc ſe conſolari

ſolari poſſit Joſephus, ipſorum ſacrorum librorum fortuna, qui non aliter vulgo ab iis tractantur, qui eorum ſe interpretes ferunt. Ego quidem ſpero, me hac ſcriptiuncula effecturum, primo, ut nemo dubitare poſſit, Herodem templum totum a fundamentis aedificaſſe, deſtructo per partes vetere: deinde, ut appareat, ex conſuetudine loquendi hiſtorica, omninoque populari, templum illud nihilominus ſecundum & fuiſſe, & recte appellatum eſſe.

Ac primum ſtudioſos velim animadvertere, Joſephum diſtinguere perpetuo νεὼν τοῦ Θεοῦ, ſeu ναὸν, & περίβολον. Ναὸς eſt aedes, היכל, τὸ τέμενος vel τεμένισμα alias vocatur, eoque ſenſu id verbum plerumque & in libris ſacris dicitur. Περίβολος, quem male Latinus interpres *ambitum* interpretatur, paullo melius interdum *ſeptum*, cujus quippe uſum praeſtabant οἱ περίβολοι, fuit *porticus*, *baſilica*, אולם, πρόναον Joſephus aliquo loco vocat interiorem: eratque triplex, ut docet Joſephus: unus extremo ἱεροῦ fine: alter, qui peregrinos arceret, tertius intra quem ara & ναὸς, qui & πρόναος dicitur, prohiberetque aditu omnes, qui ſacerdotes non esſent. Horum περιβόλων ratio & uſus debet cognitus eſſe, ſi nolis falſa imaginari in multis N. T. locis, ubi & ipſi ἱεροῦ nomine veniunt, ſicut apud Joſephum quoque interiores ita appellantur XV. 11. 5. Nempe in his περιβόλοις non modo erant στοαὶ, in quibus ſtare homines, precandi cauſſa, diſſerere inter ſe de rebus divinis, etiam docere periti ſolerent; ſed etiam oeci multi & magni, in quibus Doctores legis erudirent diſcipulos, ſcholasque haberent: idque inprimis intelligendum de medio. In tali oeco Chriſtum inter Doctores reperere parentes, Chriſtus ipſe, quamquam & in porticibus (ſicut Graeci philoſophi in porticibus Gymnaſiorum) docuit, Apoſtoli, Chriſto in coelum ſublato, precandi cauſſa conventus egere, Spiritum Sanctum, die Pentecoſtes coelo miſſum accepere, &c. (*) Tales oeci etiam apud Graecos ναοῖς adjuncti: qualis fuit ille Jovis Olympii ὀπισθόδομος, in quo Herodotus

(*) Videant tirones, & quibus opus eſt, Lud. de Dieu Critic. Sacr. ad Actor. I. 13.

tus hiſtoriam ſuam primum publicavit, auctore Luciano (*), in quo rhetores oſtentaturi eloquentiam declamabant, tradente eodem (**). Sed hoc obiter dictum ſit.

Jam clare tradit Joſephus, aedificationem ad ναὸν & ad περιβόλους pertinuiſſe: & hos quidem abſolutos annis octo, illum anno uno & dimidio: ſanctitatis autem, quae eſſet τοῦ ναοῦ, eam rationem habitam ab Herode, ut ipſe, quamvis aedificator, non ingrederetur locum, dum fieret opus, operis autem uteretur in eo exſtruendo ſolis ſacerdotibus, διδάξας τοὺς μὲν οἰκοδόμους, τοὺς ἑτέρους δὲ τέκτονας, jubens diſcere artes, quibus aedificatio conſtat. At quomodo ναὸν aedificavit? (nam hunc omnium minime volunt totum dirutum, vano quodam, ut videbimus, timore). Id haud ambigue docet Joſephus: καταλύσας τὸ πᾶν ἔργον, *deſtructo toto aedificio;* ne fundamentis quidem relictis: ἀνελὼν τοὺς ἀρχαίους θεμελίους, καὶ καταβαλόμενος τοὺς ἑτέρους, *revulſis antiquis fundamentis, & aliis poſitis.* An haec ullo modo per conſuetudinem perpetuam loquendi Graecorum aliter intelligi poſſunt, quam volumus? Nam fundamentis revulſis & ſublatis, priſtinum aedificium ſtare per rerum naturam non poteſt, ad quae eruenda ne pervenire quidem, niſi deſtructo ante aedificio, licet. Καταβολὴ autem θεμελίων nunquam aliter, niſi de aedificii plane novi initiis dicitur, unde & in ſacris libris de κτίσει κόσμου ea ſolemnis formula eſt. Atque etiam de ipſa aedificatione utitur verbo ἐγείρειν: quod ex uſu Graecorum conſtante, & analogia omnium linguarum, de novo aedificio dicitur. Nam & Hebraeis קום eo ſenſu in Piel uſurpatur, Eſai. LXI. 4. & in Hiphil, Eſ. XXXIV. 13. & Latinis *ſurgere* non niſi nova aedificia dicuntur, ut in illo de Carthagine Virgiliano, *O! fortunatos, quorum jam moenia ſurgunt*, ſexcentiſque locis aliis. Nec verbum κατασκευάσασθαι, in eadem re uſurpatum, aliam vim poteſt habere: quod de plane novo opere dici, tum aliis innumeris locis debet conſtare, tum notiſſimo illo de

(*) In Aëtione c. 1.
(**) In Peregrin. c. 32. ubi vid. notam Moſis Solani.

de arcae Noachicae aedificatione, Ebr. IX. 7. κατεσκεύασε κιβωτόν. Denique, ſi Herodes tantum auctis fundamentis aliquid aedi addere voluiſſet, ad priorem altitudinem: nam ita capiunt quidam verba Herodis de ſexaginta cubitis, templo ad Salomoneam altitudinis menſuram deficientibus, quos ſe additurum dicit: quale illud aedificium futurum fuiſſet? Non hoc fuiſſet ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ?

At quid fiet vaticinio Aggaei, in quo Chriſtus inducitur praeſentia ſua illuſtraturus templum alterum, quod ab reditu Judaeorum e Chaldaea inſtitutum eſt? Non ita efficietur templum tertium, ut nonnulli, non modo e Judaeis, ſed etiam Chriſtianis voluere, ad nihilumque redigetur argumentum, quod ex eo loco adverſus Judaeorum pertinaciam depromitur? Hoc videntur exiſtimaſſe, qui fidem Flavianae traditionis in dubium vocarunt: quo maxime ſolemne eſt multis deſcendere in Joſepho, cum ſe expedire neſciunt: quos recte repudiavere Cellarius, Croſius, Basnagius. Sed ille timor, ne ita pugnet cum Aggaeo Joſephus, idoneis remediis depelletur. Primum igitur animadvertendum eſt, id quod jam Grotius monuit, ad Matth. XXIV. init. non ex ruinis, hoſtiliter vaſtato ſuperiori templo, nec totum eodem tempore, ſed per partes, dirutum, & reſtitutum eſſe; deinde habitam rationem, ut is, qui ἐνδελεχισμὸς a Graeco interprete Danielis dicitur, quaſi tu perennitatem ſacrificiorum dicas, non interrumperetur, uti magnus Scaliger animadvertit, in immortalis de Emend. Tempp. operis Lib. VI. (cujus libri ſexti lectionem ſoleo commendare ſtudioſis, ut remedium multorum errorum, quibus vulgus tenetur) idque commode poterat fieri, cum ara, in qua victimae adolerentur, eſſet ſub dio, media inter ναὸν & intimum ἄδυτον, nec ad ipſam deſtructio ceterorum quicquam pertineret. Sed illud relinquebatur, ut oſtenderent viri magni, haec ſufficere, ut, in conſuetudine loquendi populari, templum ita deſtructum reſtitutumque a priori non diſtingueretur, ſed nomine atque appellatione cum eo confunderetur: id quod nobis efficiendum ſumſimus. Ei rei autem non modo hoc prodeſt, animadverſum il-

lud

lud jam aliis, quod Judaei ipſi, inque his Joſephus, alterum templum, non tertium a Tito vaſtatum dicunt, ſed etiam, quod exempla ſimilia e ſcriptoribus antiquis proferri poſſunt. Hujus generis illud eſt, quod apud Tacitum H. III. 24. Antonius, dux Flavianarum partium, tertiae legionis milites admonet, *ut ſub M. Antonio Parthos, ſub Corbulone Armenios, nuper Sarmatas pepuliſſent.* Si haec ad vivum reſecare quis velit, non ita fuere. Etenim ex iis, qui ſub Antonio adverſus Parthos bellaverant, nemo dudum ſuperfuerat. Sed quia legio tertia nunquam neque tota caeſa, neque ignominiae cauſſa diſſoluta, & dein tota ſimul nova facta fuerat, ſine ullius offenſione aut reprehenſione, ne admirante quidem quoquam aut haerente, tunc quoque tertianis tribuebantur, quae olim ſub Antonio duce facta fuerant. Hieroſolyma bina tantum fuiſſe ſatis convenit, & *altera* eſſe a Tito everſa. Atqui eo tempore, quo eſt deleta urbs, non credibile eſt, ullam reliquam domum fuiſſe ex iis, quae ſtatim ab reditu Judaeorum aedificatae fuerant? Altera Roma ſemper dicta eſt, quae poſt Gallicum incendium fuit, etſi nulla e priſcis aedibus reſidua. Fert enim hoc perpetua omnium linguarum ratio, ut, quae paullatim, & per partes, cum nulla ante hoſtili aut incendii vi deleta ſint, inſtaurentur, non diſtinguantur ab iis, quae ante fuerint, ſed pro iisdem habeantur. Navis ea, qua Theſeus Cretam vectus erat, ad Minotaurum tollendum, ſalvusque redierat cum ſuis, conſervata erat ab Athenienſibus, usque ad Demetrii Phalerei tempora, dicebaturque eſſe eadem, qua Theſeus uſus fuiſſet. At qualis illa erat, quomodo ſervata? Nempe, vetere usque materia exemta, & nova immiſſa; ut Demetrii quidem aetate ne feſtuca quidem ex illa vetere reſtaret. Et tamen vulgo omnes Theſei navem dicebant. Soli Philoſophi, argutias captantes, ut ſolent, dubitationem movere, & ne hi quidem ſerio, aut conſenſu; vulgari conſuetudine loquendi plus valente dialecticorum vanitate, popularem loquendi rationem ad ſcholae ſubtilitates revocantium. ὥστε τοῖς φιλοσόφοις, inquit Plutarchus (*); εἰς τὸν

(*) In Theſeo p. 10.

τὸν αὐξόμενον λόγον ἀμφιδοξούμενον παράδειγμα τὸ πλοῖον εἶναι, τῶν μὲν, ὡς τὸ αὐτὸ, τῶν δὲ, ὡς οὐ τὸ αὐτὸ διαμένει, λεγόντων.

Sed erunt, qui haec ſibi non ſatisfacere dicant, in hac certe cauſſa, propter verba Hebraica הבית הזה האחרון, in quibus triplex ה efficiat demonſtrationem ἀκριβῆ, quae quaſi digito facta, non ſinat aliud, quam illud ipſum, quod Aggaeus ob oculos habuerit, aedificium intelligere. Verum huic difficultati admodum facile eſt occurrere. Primum, vulgare illud de vi τῆς ה praeceptum non agnoſco: nec poterunt agnoſcere, qui vel leviter attendent. Hoc ipſo Aggaei loco totum diſſolvitur. Etenim, ſi iſta vis eſt ejus literae, dicant mihi magni Grammatici, quomodo Aggaeus templum Salomoneum, quod ante tot annos incendio abſumtum fuerat, vocare potuerit & ipſum הבית הזה. *Quis eſt veſtrum*, inquit, *qui viderit* הבית הזה בכבודו הראשון. Deinde audire velim, quidnam per domum hancce intellexerit Vates, quid iſtis verbis demonſtraverit? Aedem haud dubie, היכל. Ita enim dicunt. At iſtam aedem Chriſtus non potuit ſua praeſentia illuſtrare. Etenim, cum ſacerdos non eſſet, per legem Moſaicam, quam ille non neglexit, (etenim non impune tuliſſet) ingredi in aedem ipſam non potuit, neque unquam in ea fuit: ſed tantum in exterioribus περιβόλοις. Hoc eſt templum, haec eſt domus, quam docendo illuſtriorem vetere reddidit: ut ſaepe miratus ſim, quare difficiles ſint non nulli in concedendo, ναὸν a fundamentis aedificatum eſſe, ubi Chriſtus nunquam fuit, faciles in externis partibus templi, quae ſedes propria gloriae ejus fuit, quam Chriſti praeſentia & ſapientia templo ſecundo attulit. Cur non & has tantum magnificentius exornatas pugnant, ut illud ה, jactatam vim ſuam obtineat. At הבית vocat, οἶκον, quod de aede, non de περιβόλοις intelligendum videtur. Immo nihil impedit, e conſuetudine ſacrarum literarum. Cum Chriſtus numularios & victimarum venditores ejiceret templo, ab iis, querebatur, οἶκον προσευχῆς converſum in ſpeluncam latronum. At iſti homines deverſabantur in porticibus, quae tamen, quia ſervire precibus, quas pro ſe quisque

que faceret, & ſimilibus rebus, ad ſacra pertinentibus, debebant, ac ſolebant, recte οἶκος προσευχῆς vocantur, & vel maxime intelliguntur.

His breviter diſputatis, arbitror planum factum, quod propoſuimus, nihil eſſe inter Joſephum & Aggaeum diſſenſionis: & Chriſtum tamen in altero templo docuiſſe, etſi ab Herode totum novum factum ſit.

EXERCITATIONUM FLAVIANARUM PRIMA

DE

FONTIBUS ARCHAEOLOGIAE.

EXERCITATIONUM FLAVIANARUM

PRAEFATIO

DE INSTITUTI RATIONE.

Magnum fuit ingenium *Joſephi*, magna divinarum humanarumque rerum ſcientia, Hebraicis Graecisque literis comparata, & multis ac praeclaris libris ad intelligentis poſteritatis memoriam prodita. Nam & in ſacrarum literarum interpretatione & intelligentia, quam unam eruditionem Judaei noverant, plurimum ſtudii collocarat (A. XX. 11. 2.) natus genere ſacerdotali, cujus erat proprium, ſacrarum literarum ſcientiam appetere: & Hebraicis literis adjunxerat Graecarum artium omnium ac literarum, inprimis hiſtoriae, ſtudium acerrimum, nihil veritus invidiam popularium, qui Graecam doctrinam, & bene Graece dicendi ac ſcribendi facultatem & uſum, pro re haud dubie impia, & a vera religione aliena, repudiabant ac damnabant. Adeo antiquum eſt elegantis eruditionis cum ſuperſtitioſorum ſtupore & ignorantia certamen! Qua in re quanto cum ingenio, quan-

quantaque ſollertia verſatus ſit, permultae res perſpicue declarant. Nam ut cetera doctrinae veſtigia mittam, per Antiquitates, Bellum Judaicum, & adverſus Apionem libros ſparſa, quibus perſequendis viri magni, Scaliger, aliique, etiam veritati ſacrarum literarum lucis aliquid attulere: nemo primum fuit, qui hiſtorici boni officium, & hiſtoriae certae cognoſcendae ſigna melius perſpexerit & declararit: deinde antiquiſſimam rerum humanarum & Hebraicarum hiſtoriam e libris Hebraicis hauſtam explicavit ex arte Graecorum, & ſermone Graeco ita puro, & cum verbis ſingulis, tum toto habitu & forma ſua, eleganti, ut, ſi paucos Atticos exceperis, ceteros, in his praeſtantiſſimos, vel aequarit vel ſuperarit. Quae res quantum ingenii deſiderarit, quam fuerit difficilis, intelligent, qui periculum facere conentur, docuerunt, quicunque ex Hebraico aliquid interpretari bene Latine, aut Germanice ſunt auſi, nullo dum exorto, quem nos quidem ſciamus, qui vel imperitis, vel ſatis peritis utriusque linguae ſatisfacere potuerit (*).

Hunc nos ſcriptorem multos ante annos coepimus cognoſcere, cum, perceptis inſtitutione & exercitatione neceſſaria iis, quae olim tirocinia Theologiae putabantur, nunc ſola Theologum creduntur efficere ab his, qui nihil aliud agunt, aut agere poſſunt, h. e. dogmatum vel ſubtiliter tironibus in ſcholis, vel populariter in templis explicandorum ſcientia, ad ea nos contuliſſemus, quae majora eſſent, h. e. ad ſacrorum librorum, veterum Eccleſiae Doctorum & hiſtoriae Eccleſ. intelligentiam pertinerent, haberentque majorem cum ceteris ſtudiis noſtris, paullo poſt etiam muneribus, conjunctionem. Nam ut in libris humanis an-

(*) Nec id ignoravit *Joſephus*, unde ejus in hoc genere gloria A. XX. 11, 2. λέγω δὲ θαρρήσας - - ὅτι μηδεὶς ἂν ἕτερος ἠδυνήθη θελήσας, μήτε Ἰουδαῖος, μήτε ἀλλόφυλος, τὴν πραγματείαν ταύτην οὕτως ἀκριβῶς εἰς Ἕλληνας ἐξενεγκεῖν: i. e. *dico audacter, neminem alium, neque Judaeum, neque externum, hoc argumentum ita accurate Graecis literis deſcribere potuiſſe.*

antiquis boni interpretes omnia excutienda putant, quae ex iis quocunque modo originem duxere, aut eorum interpretationem qualemcunque continent: ſic exiſtimabam, *Joſephi Antiquitates*, cum aliis de cauſſis, tum propterea mihi legendas eſſe, ut eas, qua parte e libris ſacris hauſtae eſſent, cum his compararem. Luculenta ſcriptoris bona ita ſtatim pepulere animum, ut etiam adamarem hominem, ejusque opera mihi accurate legenda & relegenda putarem. Hoc agendo, & ſingula verba, & vero etiam res examinando, & denique familiaritatem aliquam cum eo ſcriptore contrahendo, animadverti, & in verbis contextus, etiam Havercampiani, multa adhuc eſſe vitioſa, quae vel e libris, vel e *Joſepho* ipſo, vel ex iis, quos *Joſephum* inprimis in verbis & loquendi formis imitatum eſſe cognoveram, vel ingenio denique corrigenda eſſent, & corrigi a me poſſe ſperarem: & in rebus quaedam accuratius explanari ac diſputari, vel illuſtrari poſſe. Exiſtimabam etiam, quaedam capita rerum conſtitui poſſe, ad quae revocari utiliter posſent, quae per opus ſparſa, lectores fere fallerent, plerisque ac prope omnibus, ut fit in libris magnis per ignaviam horum temporum, tales libros, non ut legerent, habentibus, ſed ut per occaſiones quasdam temere oblatas inſpicerent, *zum nachſchlagen*; denique quaeſtiones quasdam univerſas ad *Joſephi* opus archaeologicum proponi poſſe, quas accurate diſputare profuerit. Hujus rei cum ante paucos annos mentio eſſet a me facta in ſermone cum *Deylingio* noſtro, τῷ μακαρίτῃ, vehementer ille me coepit hortari, ut eam rem agerem ſerio: rem eſſe dignam ingenio & doctrina noſtra, (ita ille ajebat) qua accurate agenda etiam non parum laudis conſequi poſſem: ſibi autem placere, ut non per Commentarii modum, aut per novam editionem *Joſephi*, ſed per Exercitationum Academicarum formam ederentur, quae a me obſervata atque illuſtrata eſſent. Sed tum nondum matura res videbatur: & alia erant, quae me ſatis occupatum tenerent. Nunc quidem, niſi mihi nimis blandior, res eo adducta videtur, ut initium harum Exercitationum fieri poſſit: quas, Deo bene juvante, per occaſiones Academicas proferemus.

Erit igitur nobis res ita deſcripta, ut primum de capitibus quibusdam univerſis, iisque gravioribus, diſputemus, ut de Fontibus Antiquitatum Flavianarum, de Interpolationibus, de Dogmatibus, & iis quibus orthodoxia antiqua Judaica & Chriſtiana firmatur, ſimilibusque: deinde corrupta & vitioſa & obſcuriora vel corrigamus vel illuſtremus. Sed quoniam haec poſterior pars critica non ſatis apta eſt Exercitationibus talibus: vel quia perpauci hanc partem eruditionis attigerunt, cujus neceſſitatem & praeſtantiam quia non capiunt, vel reformidant eam temere, vel imperite contemnunt: vel quia eſt aridior natura & tenuior, fatigatque lectores etiam non alienos ab arte noſtra: placuit eam conjungere cum quaeſtionibus univerſis[b], hoc modo, ut ſingulis Exercitationibus aliquam Caſtigationis criticae partem ſubjiceremus, atque ita paullatim doctorum hominum de correctionibus noſtris judicia cognoſceremus.

EXER-

EXERCITATIO PRIMA DE FONTIBUS ARCHAEOLOGIAE.

§. I.

Unde autem magis conveniat initium ducere harum diſputationum, quam a fontibus, ex quibus hauſiſſe ſua *Joſephum* credibile ſit? praeſertim cum, hoc capite bene explicato, graves de fide *Joſephi*, de integritate operis, & aliae quaeſtiones faciliorem explicationem ſint habiturae. Nam fides ſcriptorum in rebus, quae ante ipſorum tempora geſtae ſunt, tota pendet ex monumentis iis, quorum auctoritatem ſunt ſecuti, in eoque, ſi accurate loqui velimus, magis judicium & elegantia in delectu auctorum cernitur, quam fides: unde accurati ſcriptores in talibus auctoribus commemorandis ſubinde etiam fontes indicant, e quibus hauſerint; quod *Joſephum* feciſſe in commemoranda *Strabonis* auctoritate (XIV. 8. 3.) reperimus: & ſi quid ſordium eſt in rivis a puro & liquido fonte ductis, id videtur, ſi alia conveniant, nec aut inſcitia in intelligendo, aut malignitas in explicando conſpicua ſit, aliunde adfuſum eſſe. Itaque periti homines, & hiſtoricorum bene

ne tractandorum intelligentes, in talibus ſcriptoribus hoc primum vident, ut fontes indagent, e quibus res maxime repetierit quisque, iisque cognitis, magnum ſibi adjumentum acceſſiſſe putant ad judicandum, interdum etiam, ubi ipſos fontes adire licet, ad corrigendum. Sed quos quisque ſecutus ſit auctores, duobus modis intelligitur, vel ipſius ſcriptoris profeſſione; in quo plerumque nulla difficultas relinquitur: vel rerum indiciis & conjectura: in quo multa lectione & acri judicio opus eſſe, per ſe intelligitur, niſi quis, id quod accidere poteſt, caſu quodam & fortuna ad fontes deducitur. In *Joſepho* quidem utraque ratione utendum eſt. Sed in eo prior quoque illa habet difficultatem non parvam: propterea, quod profeſſioni ejus res ſatis convenire non videntur. Itaque nobis haec diſputatio erit bipartita. Nam primum *de profeſſione Joſephi* agemus, & de auctoribus iis, quos vel in univerſa hiſtoria ſecutum ſe dicat, vel quorum teſtimoniis ſingulis in rebus utitur: deinde ad *conjecturalem rationem* deſcendemus, & vel doctorum hominum opiniones examinabimus, vel noſtras proponemus.

§. II.

Ac *prima* quidem & capitalis *Joſephi profeſſio* haec eſt, ut ſe dicat *hauſiſſe omnia e libris ſacris*, ea fide, ut nihil nec detraxerit, nec addiderit, (Prooem 2. 3.) ne καλλωπισμȣ̃ quidem cauſſa (A. IV. 8. 4.) cujus ſtudio transverſus agi optimus quisque ſcriptor ſolet: quanquam hoc poſterius ad leges modo Moſis, non ad univerſam hiſtoriam pertinere, & locus ipſe profesſionis, & res arguit, ut ſuo loco demonſtrabimus. Sed haec profeſſio triplicem habet dubitationem. Nam primo dubitari video, *utrum ex Hebraico exemplo ſumſerit ſua, an e Graeco*, quod Alexandrinum uſurpamus: deinde, *utrum e ſolis iis, quos noſtra conſuetudo ſacros divinosque appellat*, hauſerit, an etiam ex aliis: denique *an incorrupta fide*, quae in fontibus repererit, in rivos ſuos derivarit. Haec igitur tria nobis hoc tempore diſputanda ſumſimus, ſed quam poſſemus, ſalva perſpicuitate rei, breviſſime. Neque enim juſtum de his rebus Commentarium ſcribere inſtituimus, ſed obſervationes, & admonitiones quasdam univerſas proponere, quibus quis adjutus in ea cauſſa dijudicanda recte

poſſit

poſſit verſari. Nam vulgo plerosque de ea re cum magna inſcitia & ſcribere & loqui videmus, qui vel nunquam *Joſephi* opus totum accurate perlegerunt (unde enim tanta hominibus legendi patientia venerit, circa libellos vulgares & ſchediasmata diſcurrere ſolitis) vel Graece & Hebraice vix mediocriter docti ſunt, vel denique, id quod plerisque vix in mentem venerit ad eam rem neceſſarium putare, nullum uſum tractandorum bonorum hiſtoricorum habent: ſine quibus rebus inſolens atque impudens eſt, ullam ſibi in ea cauſſa judicii partem arrogare. De ſingulis locis ſeparatim ſuo tempore, volente Deo, agemus.

§. III.

Utrum igitur Graecam interpretationem conſuluit Joſephus, an Hebraicum archetypum? Video ſane plerosque, qui hanc quaeſtionem attigere, in illam partem pronunciaſſe, atque id ita perſuaſum eſſe vulgo, ut perpaucis de eo dubitare in mentem veniat. Sed nobis, re ſaepe cogitata, & excuſſis locis omnibus, e quibus ea res debet judicari, magis inclinat animus in alteram partem, ut Hebraicum exemplum ante oculos *Joſephum* habuiſſe, & ſequi voluiſſe putemus. Cujus ſententiae nobis reddendam eſſe rationem videmus, & quidem dupliciter, primum e profeſſionis Flavianae verbis, deinde e rebus ipſis. Ex Hebraicis igitur libris quod ſe duxiſſe hiſtoriam Judaicam ait Joſephus, id habet ſane aliquam ambiguitatem, quod hoc nomen & ab auctorum gente & ab ſermonis genere trahere libri poſſunt: nec quicquam impedit, quo minus ex Hebraicis libris hauſiſſe dicatur, qui e libris divinis quocunque ſermone expreſſis hauſerit. Sed verba etiam *Joſephi* ſunt ea, ut facile appareat, libros intelligi eos, qui Hebraicis literis ſint ac verbis ſcripti. Ait igitur, ſe cunctatum eſſe ab initio in hoc opere ſuſcipiendo, quod abhorrens viſum eſſet, id argumentum illigare linguae externae ac peregrinae: ſed ſibi deinde placuiſſe, imitari *Eleazarum*, qui, petente *Ptolemaeo*, Legem Moſis Graecam facere non dubitarit. In quo ipſa argumenti concluſio docet, *Joſephum* ex Hebraice ſcriptis libris Graeci operis materiam repetiiſſe. In fine autem operis (XX. 11. 1) negat, Graecorum quemquam poſſe tale opus ſcribere. Quam

aliam

aliam ob cauſſam, quam propter linguae Hebraicae ignorantiam? Quanquam video id etiam convenire in verſionem Graecam, quam ſatis intelligere, & inde talem operis materiam petere Hebraice indoctus non poteſt: tamen multo magis ad contextum Hebraicum pertinet. Sed ſibi hoc concedere omnes populares, ait, ſe literarum patriarum ſcientia excellere: Ἐγὼ ὡμολογουμένην παρὰ τῶν ὁμοεθνῶν, πλεῖστον αὐτῶν κατὰ τὴν ἐπιχώριον παιδείαν διαφέρειν. Sed *domeſticae diſciplinae* opponit Ἑλληνικὰ γράμματα, *linguam Graecam*, grammatica ſubtilitate perceptam: unde ἐπιχώριον παιδείαν linguae Hebraicae & Codicis Hebraici intelligentiam intelligere neceſſe eſt. Quo loco etiam refelluntur, qui *Joſephum* Hebraice doctum fuiſſe negant, ut vidit *Relandus*. In eruditiſſimo autem & lectu digniſſimo contra *Apionem* opere (I. §. 8.) de libris ſacris diſſerens, cum eorum venerationem, ait, eſſe tantam, ut poſt tot ſecula nemo ſuſtinuerit, aliquid vel addere, vel detrahere, vel transponere, non profecto alios quam Hebraicos intelligere poteſt: ut plane appareat, *Joſephum* in libris ſacris appellandis ſemper Hebraica exempla, non Graeca, ſignificare.

§. IV.

Sed quoniam in omni tali demonſtratione res efficaciores ſunt verbis, praeſertim auctorum de ſe: nos quoque rebus potius & factis *Joſephi*, quam verbis pugnabimus in aſſerenda ſententia noſtra, refellendisque iis, qui *Joſephum* Hebraice indoctum, e verſione Alexandrina pendere, re non ſatis cognita, pronunciarunt. Dico primum, *Joſephum non poſſe Graecam verſionem ſecutum eſſe, quod haud dubie pluribus in locis cum Hebraicis exemplis conſentit contra Graeca*: ut I. 3. 5. in corvo ex arca emiſſo: II. 7. 4. in numero capitum familiae Jacobi, quae cum eo in Aegyptum deſcendit: VII. 13. 2. in numero ſeptenario annorum pro ternario: VIII. 10. 1. in numero copiarum &c. Etenim in iis locis fateantur neceſſe eſt, qui ſecus exiſtiment, aut verſionem Graecam nunc corruptam eſſe, aut *Joſephi* lectionem. Si illud defendant, tota iſtius verſionis auctoritas concidit. Ac ſi illis licet in his locis corruptam exiſtimare, nobis pari jure licet, eam illis potius corruptam & interpolatam antiquiſſimis

tempo-

temporibus affirmare, quibus ab Hebraicis exemplis diſcrepat. Sin hoc malint, nobis pariter dant jus ſtatuendi, Joſephum vitiatum eſſe in locis ab Hebraica lectione diverſis. Eſt enim par & ſimillima utraque ratio. Sed cum nolint, ut opinor, tot corruptelarum arguere Graecos Codices ſacrorum librorum: illud profecto nobis concedant neceſſe eſt, in iſtis locis, quae ſunt non pauca, *Joſephum* conſuluiſſe exempla Hebraica, ſimilia his, quae nos uſurpamus. Quod videntur velle *Pezronius* (Antiquité du tems c. 5. p. m. 53.) & alii, qui Hebraicum exemplum ſecutum eſſe *Joſephum* concedunt, ceterum nondum corruptum a Judaeis, eamque ob cauſſam exemplis Graecis magis conveniens. In quo non vident, quod de librorum Hebraicorum per Judaeos corruptione dicunt, id non modo omni veriſimilitudine carere, ſed antiquitatis teſtimoniis repugnare. Qua religione uſi fuerint Judaei, in Codicum ſacrorum integritate conſervanda e Judaeis teſtis graviſſimus eſt *Joſephus*, cujus teſtimonium e primo c. Apionem modo protulimus; e Chriſtianis autem *Origenes*, primus Hebraice doctus inter Eccleſiae Chriſtianae doctores, isque longe poſterior iſtis quinquaginta ab exciſo templo Judaico annis, quibus Codices Hebraicos corruptos volunt, qui (ad African. p. 16. B.) Hebraica exemplaria καθαρὰ καὶ μηδὲν πλάσμα ἔχοντα dicit. Non igitur clarum eſt, ſine omni teſte & auctore idoneo ſumi, quod de tanta re, de corruptione Hebraicorum librorum jactatur (*) nullamque ejus rei rationem ſubeſſe, quam ut temere arrepta de Graecis libris opinio defendi poſſit. Enimvero hoc eſt hariolari, non judicare, & optare, non demonſtrare: quod eſt a ſubtilitate diſputandi alieniſſimum.

§. V.

Geminum huic atque adeo gravius illud eſt, *quod Joſephus locis multis diſſentit a Graeca verſione ſententiis*,

(*) v. de PP. conſenſu a *Pezronio* jactato *Martianaeum* in defenſ. text. Hebr. c. 3. §. 5. p. 168. quem illa Origenis verba praeterierunt: quamquam ſi Patribus Hebraice indoctis & verſioni Graecae θεοπνευστίαν tribuentibus tale quid excidit, id pro nihilo duci debere clarum eſt.

tiis, & quidem ita, ut aut melius conſentiant cum Hebraica veritate, aut certe ſint ejusmodi, ut appareat, eas ex Hebraicorum, non autem Graecorum in verſione Alexandrina verborum interpretatione natas eſſe. Aliquot exemplis defungi licet. Abel dicitur munus Deo tuliſſe de primitiis pecudum ſuarum & מֵחֶלְבֵהֶן. Graecus interpretatur ἀπὸ τῶν στεάτων: at *Joſephus* γάλα libatum Deo tradit. Ea interpretatio deterior eſt Alexandrina, non tam quod lexica tradunt חָלָב eſſe *lac*, non חֵלֶב, nam in utroque verbo eſt pinguedinis ſignificatio, & in verſione τῶν ό quoque duobus locis חֵלֶב per γάλα exprimitur: Pſ. CXIX. 70. Ezech. XXXIV. 10. hoc loco etiam recte: ſed quia forma orationis *adipem* potius deſiderare videtur. Sed tamen perſpicuum eſt, *Joſepho*, ſi Graecum exemplar ante oculos habebat, de lacte in mentem venire nullo modo potuiſſe. Exod. VIII. 12. ſ. Alexandrini כִּנִּים accipiunt σκνίφας *culices*: at *Joſephus* φθεῖρας fuiſſe dicit: rectius, ut doctis viris placet. Sed eos non dediſſet, ſi σκνίφας in fontibus ſuis reperiſſet, aut σκνίπας, ut boni libri habent, non vocabulum Hebraicum. Nec profecto Graecorum exemplorum κύριος καταφυγή μου, ſed יְהוָה נִסִּי Exod. XVII. 15. ante oculos habuit, cum Θεὸν Νικαῖον faceret: quod eſt & Hebraici verbi analogiae, & rei magis conſentiens. Quid? V. 1. 14. cum dicit, Ainitas non potuiſſe ἀμύνειν αὐτοῖς ὑπὸ μονώσεως, *non potuiſſe vi ſe defendere ob inopiam copiarum*, utrum e Graeco eſſe dicemus (Joſ. VIII. 20.) οὐκ ἔτι εἶχον ποῦ φύγωσιν ὧδε καὶ ὧδε: an ex Hebraico לֹא־הָיָה בָהֶם יָדַיִם לָנוּס הֵנָּה וָהֵנָּה. An porro IX. 4. 5. ei in mentem venire poterat ex Alexandrinorum βασιλεῦσι τῶν Χετταίων facere τῶν νήσων, *inſularum*? Non clarum eſt, eum expreſſiſſe כתים pro חתים, ut notavit jam *Bochartus* in Phaleg. III. 5. quod vel habuit in Codice ſuo, vel reponendum putavit, quod nulli tum Chettaeorum, populi dudum exciſi, reges eſſent. Item ibid. 6. 4. unde *Jeſabelem* potuit inducere ſtantem

tem ἐπὶ τοῦ πύργου, ſi τὴν θυρίδα τῶν ὁ habuit in exemplo ſuo. Nam ex חַלּוֹן quomodo eruerit, tamen aliqua ratio intelligi poteſt, ex θυρὶς nulla. Et ſunt alia his ſimilia.

§. V I.

Atque etiam, ſi nec Hebraicum librum habebat, nec Hebraicum intelligebat ſermonem, hoc eſt, genium & indolem propriam, qua diſcrepat a Graeca, (quod ego puto plus & majus eſſe in linguae intelligentia, quam etymologias ad grammaticam ſubtilitatem exactas) quomodo potuit ille verſionis Alexandrinae tot Hebraiſmos, longe abhorrentes a lingua Graeca, quos nec *Xenophon*, nec *Iſocrates*, nec, ſi Grammaticum malis, *Ariſtarchus* intellexiſſet, quomodo ergo tam bene potuit intelligere, ut eorum ſenſum bene Graece exprimeret? quod ab eo factum in multis reperiet, quicunque legerit, & patebit ex his, quae in capite de ſtilo ſ. genere ſcribendi Flaviano dicentur. Profecto, qui hoc fieri potuiſſe, aut poſſe dicat ab eo, qui non idem ſit Hebraice & Graece inprimis doctus, is nihil in ullo genere linguae intelligat neceſſe eſt. Sumat mihi aliquis in manus aliquam ex iſtis ineptis, & ad verbum e puerili lexico factis verſionibus Graeci alicujus ſcriptoris, & res ab illo ſcriptore traditas exprimat bene Latine, & ad Graeci ſermonis ſenſum, ſi nec Graecum archetypon habeat, nec Graeca intelligat. Si hoc poterit, etiam *Joſephum* e verſione Graeca, ſine Hebraico exemplo, & Hebraicae linguae ſcientia, bene Graece Hebraiſmos exprimere potuiſſe concedam. Sed id quilibet fieri nullo modo poſſe, non plane harum rerum rudis, fatebitur. Unde fit, ut nullo modo ignorantia Hebraici ſermonis *Joſephum* adigere potuerit, ut ſibi e Graecis exemplis hauriendum putaret.

§. V I I.

Neque illud leve argumentum noſtrae ſententiae putamus, quod non in eo honore verſio Graeca fuit inter Judaeos in Palaeſtina natos educatosque, & Phariſaicae h. e. ſeveriori diſciplinae deditos, qualem *Joſephum* fuiſſe nemo ignorat, qui iſta vel leviter curat, ut credibile ſit, *Joſephum*, non dico eam praepo-

 ſuiſſe

ſuiſſe Hebraicis exemplis, quae a pueris intelligere ſtuduerat, & quorum copia Theologo, nobili genere nato, & in re lauta agenti, deeſſe non poterat, ſed omnino ea uti voluiſſe, niſi forte eo modo, quo Graeci libri doctus interpres conſulat ſubinde ejus verſionem Latinam aliquam qualemcunque. Nam Judaeis Palaeſtinis, & ultra degentibus, quam vel inviſa vel contemta iſta verſio fuerit, ſatis demonſtratum eſt a viris doctis. vid. v. c. *Hottinger.* Theſ. Philol. p. 334. *Buxtorf.* Synag. Jud. c. 30. Nec id eſt recentiorum Judaeorum figmentum, ut *Morino* videtur, etiam Judaeos veteres omnes verſionis iſtius admiratores ſibi pares efficere cupienti, in Exerc. Bibl. p. 371. Nam Judaei non ita adſueti Graecis moribus, ut Alexandrini, Graeca omnia oderant, non modo communi adverſus omnes גוים odio, ſed etiam praecipuo quodam, ab memoria injuriarum, ab Graecis Aegypti Syriaeque regibus acceptarum. Veriſſime *Caſaubonus* (Exercit. ad Annal. Bar. II. n. 19.) *putare, germanos Judaeos, in Judaea commorantes, verſione Graeca eſſe uſos, hoc vero nihil eſt aliud, niſi rerum Judaicarum craſſam ignorantiam palam facere.* Atque ego non ignoro, *Joſepho* hoc odium mitigatum eſſe potuiſſe, primum ab ſtudio Graecarum literarum, deinde a vita diu Romae, ubi Graecus ſermo in magno pretio erat, acta, effectumque, ut hunc ſermonem, propter elegantiam, etiam patrio, ab iſta Graeca elegantia remotiſſimo, & Graecorum aeſtimatione barbaro, praeferret. Enimvero quo magis *Joſephus* amavit, & calluit litteras Graecas e lectione omnium bonorum ſcriptorum, & ipſe conſecutus erat, ut optime Graece loqueretur & ſcriberet, eo magis credibile eſt, eum contemſiſſe verſionem, quae nec pura nec elegans eſſet. Neque, ſi verſionem librorum Hebraicorum non bene Graecam contemſit, propterea ipſam linguam Hebraicam, & libros Hebraice ſcriptos ſpreviſſe conſequens eſt. Non placent mihi libri Latini, pleni Germanismorum: non tamen bene Germanice ſcripta contemno, aut ipſam linguam patriam.

§. VIII.

Neque vero eſt, quod quis dicat, de induſtria *Joſephum* uſum eſſe Graeco potius Codice, quam Hebraico,

braico, quod in iis locis tum viveret, quibus Hebraici libri non legerentur, ſed Graeca exempla eſſent in manibus Judaeorum: propter quam cauſſam etiam Euangeliſtas & Apoſtolos in proferendis V. T. verbis Graecam verſionem potius, quam Hebraicum ἀρχέτυπον ſecutos eſſe, viri quidam docti exiſtiment. Etenim *Joſephus* hos libros non Judaeis ſcripſit, ſed Graecis: cujus rei ipſum auctorem habemus in prooemio, cum dicit, ſe imitatum eſſe *Eleazarum*, qui non dubitarit, regem Graecum impertire lege Judaica per verſionem ejus Graecam. Sicut ergo illa verſio non in Judaeorum, ſed Graecorum gratiam facta eſt, ſic *Joſephus* rerum Judaicarum ſcientia non Judaeos, ſed Graecos impertire voluit, nec quoscunque, ſed eruditos, qui librum tali modo ſcriptum intelligere poſſent, inprimisque *Epaphroditum*, a quo ad hoc opus ſcribendum maxime impulſus fuerat, cui maxime gratificari volebat. Ac Judaeis quomodo comparari hoc opus potuit, quibus id etiam inviſum eſſe debuit, quod res ſacras nollent Graeco ſermone, inprimisque elegante explicari, ſive ut illi putabant, pollui ac profanari (XX. 11. 1.) atque, id quod caput rei eſt, intelligi non potuit. Sicut enim noſtri homines, qui libellos Latinos vulgares, de rebus ſibi notis, ſemi-Germanice ſcriptos, intelligunt vulgo, non propterea *Livium*, & *Tacitum*, ſimilesque bene Latine & exquiſite ſcriptos libros intelligunt, nec qui Novum Teſtamentum Graecum, per ſubſidia lexicorum, & analogiam Chriſtianae doctrinae, quantum ad religionis Chriſtianae ſcientiam ſatis eſt, intelligit, idem *Thucydidem*, *Xenophontem*, *Polybium* & *Dionyſium* intelligit: ita Judaei, qui de rebus vitae vulgaris Graece loquentes aſſequebantur, nec minus de rebus ſacris ſemi-Hebraice vel loquentes vel ſcribentes, propterea, quod aut verbis Graecis animo ſubjiciebant formas Hebraicas, aut Hebraizantium formarum intelligentiam ex inſtitutione puerili tenebant, non ſtatim intelligebant, quae *Joſephus* de rebus Judaicis exquiſita Graeci ſermonis elegantia ſcripſerat. Itaque & quos de Bello Judaico ſcripſit libros, dicit ille quidem, ſe popularium ſuorum multis vendidiſſe, ſed quibus? τῆς Ἑλληνικῆς σοφίας μετεσχηκόσι, *literarum Graecarum peri-*

tis, ut *Julio Archelao*, *Herodi*, & *Agrippae* regi. c. *Apion. L. I.* §. 9.

§. IX.

Sed haec omnia, dicat aliquis, debilitari & refelli illo *Joſephi* cum verſione Graeca in tam multis rebus conſenſu. Eſt illa profecto dubitatio non levis, ſi quis eam vulgari trutina pendat, audiatque illam tantam multitudinem clarorum hominum, qui in ea re conſentiant. Sed nobis non deeſt, quod ei dubitationi opponamus. In iis, qui iſta dicunt, pleroſque video eſſe doctos quidem in ſuo genere homines, ſed quos nemo dicat ab criticae rei ſcientia & uſu ita inſtructos, ut de antiquis Graecis libris ſatis perite judicare, h. e. quid ibi genuinum, quid ſpurium, quid integrum, quid corruptum, & his ſimilia videre poſſint: quod profecto nemo poteſt, qui non in libris antiquis ad ἀκρίβειαν Grammaticorum exigendis, cum libris antiquis ſcriptis & editis comparandis, diu accurateque verſatus eſt. Nimis autem homines iſtius generis proclives ſunt, propter qualemcunque ſimilitudinem res pro iisdem habere, nec iis in mentem venit cogitare, an aliquid vitii inſit, aut quae iſtius ſimilitudinis cauſſae eſſe poſſint praeter eam, quae ipſis prima in mentem venerat. Nec mirum ita judicari in homine Judaico, cum ita judicent in ſcriptoribus divinis. Sunt loca in N. T. e Vetere commemorata, quae iisdem verbis ſunt in Graecis V. T. exemplis. Ergo Spiritus S. iſta ſumſit e verſione illa Graeca. Belliſſima concluſio. Enimvero, ſi quis ſummae locorum omnium detrahat, primum ea, quae ſunt diverſa, & vel preſſius ad Hebraicum exemplum expreſſa, quod maxime fit in libris eorum, qui inter Graecos non ſunt verſati, ut Johannis, vel ab utrisque exemplis, Hebraicis Graecisque, diverſa, deinde, quae plane ad verbum Hebraica exprimunt, in quibus vertendis quisque ſua ſponte conſentiat cum verſione Alexandrina, etiam nunquam lecta aut inſpecta, parvae reliquiae fuerint: & in his ipſis reſtet dubitare, annon exempla τῶν ό ſubinde ad N. T. lectionem conformata a librariis Chriſtianis inter deſcribendum fuerint, quod nullo modo abhorret. Sed haec diſputatio alius eſt loci. De *Joſepho* videamus.

§. X.

§. X.

Eum igitur eſſe non modo in libris ſcriptis, ſed etiam in editis admodum interpolatum, id quidem propria diſputatione ſpero me, & librorum ſcriptorum documentis, & rerum argumentis, ita planum facturum, ut non verear, ne quis vel mediocri in talibus judicio praeditus de eo dubitare poſſit. Ex ea diſputatione nunc illam modo partem praelibabimus, quae interpolationem, quae quidem ad res pertineat, e verſione Alexandrina demonſtrabit, & quidem ſic, ut & univerſo argumento utamur, & exemplo uno, ſed capitali. In formis loquendi interpolatum eſſe ex eadem verſione, diſputatiuncula de ſtilo *Joſephi*, ex Hebraismorum in eo veſtigiis mox docebit. Argumentum igitur univerſum hoc eſt, ſi non certum, ut in tali re, at probabile admodum. *Joſephus* maxime olim lectus fuit a Chriſtianis Graecis doctioribus, iisque in magno pretio habitus, ut ſatis conſtat e laudibus, quibus eum inde a *Juſtino* prope omnes Eccleſiae Graecae doctores extollunt. Atque etiam exempla *Joſephi* Graeca omnia, quae manuſcripta extant, a Chriſtianis librariis eſſe, id ipſum nemo dubitabit: cum antiquiſſimorum aetas non ſuperet illud tempus, quo tota Graecia, tum Europaea tum Aſiatica Chriſtiana facta eſt. Sed illi ipſi Graeci Chriſtiani uſurpabant verſionem Graecam librorum ſacrorum: quam, quia Hebraica exempla nec habebant, nec intelligebant, θεόπνευστον, & fallere neſciam putabant. In quo haud pauci, ſed ex iis omnes, qui Hebraica ignorabant, eo progreſſi ſunt, ut Judaeos Codicem Hebraicum corrupiſſe ſtultiſſime affirmarent, ut docent loca in eam ſententiam a novis Hebraici Codicis contemtoribus, *Morino*, *Voſſio*, *Pezronioque* ſtulte, h. e. fruſtra prolata, ſtultius probata. *Hieronymum* quidem ſatis conſtat, etiam inviſum inter Graecos Latinosque, & pro Judaeo ſermonibus Clericorum infamatum fuiſſe, quod Hebraicis exemplis aliquid tribueret, & inde verſionem Latinam corrigere tentaſſet. Nec id incredibile debet cuiquam videri, cum tempore eo, quo Graeca N. T. exempla prolata ſunt, aliquis Concionator extiterit, qui illum Graecum textum pro haeretico libro, & ejus editorem pro haud dubie haeretico & atheo apud populum proſcinderet: denique nunc etiam inter Romanae Eccleſiae docto-

res ſint, qui Latinam N. T. verſionem integriorem Graeco textu, & hunc ex illa corrigendum clament, idque magno opere docere moliatur *Joſ. Blanchinus.* Quorſum iſta? Ut intelligatur, non modo non incredibile, ſed etiam probabile eſſe, Chriſtianos doctores in margine, & vero etiam monachos, dum libros *Joſephi* deſcriberent, quae diſcreparent a verſione Graeca, ad eam correxiſſe, ut *Joſephum* in concordiam cum ea redigerent. Id ferebat etiam iſtius aetatis conſuetudo. Nam primo quis neſcit hodie, Novi Teſtamenti libros Graecos ab iis, qui veteri Latinae verſioni multum tribuerent, antiquiſſimis temporibus ad hanc interpolatos innumeris prope locis & mutatos fuiſſe? Qui deinde in Patrum Eccleſiae Latinae ſcriptis accurate & critica diligentia verſati ſunt, animadverterunt, monachos, *Hieronymo* ſuperiores, Patrum libros, dum deſcriberent, ſaepiſſime in locis biblicis, ad novam *Hieronymi* verſionem correxiſſe, eoque incertam atque inanem feciſſe eorum operam, qui veterem Latinam verſionem, quam Italicam vulgo appellant, ex ſcriptis PP. illorum reſtituere voluerunt. Illi ipſi denique, qui Patrum Latinorum libros primi typographorum formulis ediderunt, hoc ſubinde auſi deprehenduntur, ut eos in verbis divinorum librorum mutarent ad vulgatae verſionis exempla, quibus ipſi uterentur.

§. X I.

Sed occurrat nobis fortaſſe aliquis ſic, ut dicat, rationem noſtram eſſe ejusmodi, ut in omnibus ad Graecam verſionem correctum *Joſephum*, ſequatur: quod non eſſe, rem ipſam indicare. Nobis autem non videtur difficile, hanc dubitationem diluere. Quicunque olim auſi ſunt, libros interpolationibus maculare, nunquam ita vel diligentes vel conſtantes fuere, ut omnia interpolarent ad opinionem ſuam & corrumperent. Non ita male agitur cum veritate, ut fraus ſatis & omni ex parte callida & tecta ſit adverſus curioſos oculos, nec quaedam ſui veſtigia praebeat, quibus deprehendi arguique poſſit. In N. T. Codicibus ad Latinam verſionem refictis tamen quaedam intacta ab iſta corruptela manſere: nec ii, qui Patrum ſcripta ad Hieronymianam verſionem correxere, aut omnia mutarunt, aut omnes eadem. Quod pari ratione in *Joſepho* factum

factum videtur. Nam & in iis, quae conſentiunt Graecae verſioni, quidam libri diſſentiunt, & lectionem Hebraicis exemplis conſentientem habent: cujus generis quaedam etiam a *Bernardo*, & *Hudſono* animadverſa & reſtituta ſunt: & in iis, quae in libris editis habemus diverſa a Graecae verſionis lectione, libri quidam ſcripti praeferunt Graecam lectionem. Res ergo ſic ſe videtur habere. Nemo unquam interpolatorum hoc laboris in ſe ſuſcepit, ut totum *Joſephi* contextum accurate cum Graeca verſione compararet, & omnia inde corrigeret, quae ab ea differrent: ſed ut cuique in legendo aut deſcribendo in memoriam venit lectio verſionis illius, praeſertim in numeris, ita correxit. In quo fieri non potuit, quin multa tranſiret & intacta relinqueret. Quod ſi quis in eo concedendo ſe difficilem praebere velit, (quod neminem arbitramur facturum, qui tractandis libris antiquis interpolatorum ingenia & conſuetudinem cognovit) malitque tenere hoc, ut *Joſephum* ipſum dicat eſſe ſecutum Graecae verſionis auctoritatem, eum rogamus, ut nobis dicat, unde tandem lectiones illae conſentaneae Hebraicae veritati, & diverſae a Graecis exemplis, in libros ſcriptos venerint, cum ſatis conſtet, illis temporibus, quibus Codices ſcripti ſunt, neminem Graecorum Hebraica exempla legiſſe, aut legere adeo & inde corrigere *Joſephum* potuiſſe: unde adeo ſcriptor Hennebergici Codicis I. 3. 3. olfecerit Hebraicam Chronologiam inde ab origine hominum ad Noachicum diluvium, ut in Codicem referret 1656. (quamquam ille habet 1056. neglectis ἑξακισχιλίοις) non ſummam, quae Graecorum librorum numeris conficitur? quomodo librarii omnes, A. VIII. 3. 1. & c. Apion. I. 2. in numerum Hebraico Codici conſentientem inciderint?

§. XII.

Omnium autem maxime videntur hoc egiſſe interpolatores, ut *Joſephi* Chronologiam, praeſertim in intervallo eo, quod ab origine rerum ad diluvium Noachicum effluxit, & ab Semo usque ad Abrahami natales, cum Graeca verſione in concordiam redigerent. Nam ea diverſitas, ſane grandis, feriebat oculos nimis, nec latere quemquam, vel negligenter *Joſephi* opus legentem, poterat. Eam igitur mihi perſuaſi a *Joſepho*

 ductam

ductam fuiſſe e libris Hebraicis, & a Chriſtianis e verſione Alexandrina mutatam. Id argumento, ut mihi quidem videtur, brevi illo quidem, ſed perſpicuo docebo. Et quoniam in priori & *Joſephum* & Codices ſcriptos, ut modo diximus, quamquam unum non optimum, indices interpolationis habemus, alterius *Joſepho* uni indicium delegabimus. Hujus igitur intervalli ſumma e libris Hebraicis colligitur annorum CCXCII. quam ſummam pariter habent *Joſephi* ſcripti & editi omnes, I. 6. 5. indignantibus, qui ſummam majorem & magis conſentaneam Graecae verſioni mallent. Sed quoniam capita numerorum, quibus ducendis ſumma naſcitur, magis conſentiunt numeris Alexandrinis, ſummamque majorem multo efficiunt, *Bernardus*, *Voſſius*, aliique putabant, ſummam illam eſſe ab interpolatore, *Joſephum* conſentientem efficere conanti Hebraicae traditioni. Ego contra, ut non repetam id, quod ante dictum eſt, intelligi non poſſe, qua divinatione interpolator Hebraicum numerum aſſecutus ſit, dico, clarum eſſe, partes numeri majoris interpolatione auctas eſſe e τοῖς ό, additis ad ſingulos numeros inde ab Arphaxado καὶ ἑκατοστὸν, vel πρὸς τοῖς ἑκατόν. Ea autem eſſe addita, ſummam contra veram & incorruptam eſſe, ſic intelligitur. *Joſephus*, abſoluto majorum Abrahami Catalogo, c. 6. rediens ad Abrahamum, mentionem Abrahami, ait, factam a *Beroſo*, cum diceret, apud Chaldaeos fuiſſe virum ſanctum, magnum, & rerum caeleſtium peritum, & quidem δεκάτῃ γενεᾷ μετὰ τὸν κατακλυσμὸν, *decima poſt diluvium aetate.* Jam ſive genuinus ille *Beroſus* eſt, ſive, ut quibusdam placet, a *Joſepho* confictus: illud quidem patet inde, *Joſephum* dediſſe annorum CCXCII. ſummam. Nam γενεὰς ſi triginta annis aeſtimamus, quem eſſe maxime uſitatum hiſtoricis antiquis modulum, dudum obſervavere viri docti, efficiuntur anni CCC. qui iſtis CCXCII egregie conſentiunt.

§. XIII.

Quo loco libet admirari doctiſſimorum virorum in ſententia temere ſuſcepta pertinaciam, & ab ejus amore prope coecitatem, atque ſimul exemplo perſpicuo admonere ſtudioſos, ut videant, quantam caliginem ingeniis etiam acutiſſimis offundat opinionum, quas ſemel imbibe-

biberint, retinendarum defendendarumque ſtudium, diſcantque diffidere ſibi, & in opinionibus, praeſertim novis, omnia ſuſpecta habere. Cum ſemel doctis quibusdam viris ſtatutum eſſet, verſionem V. T. Graecam ejusque Chronologiam praeferre libris Hebraicis, eorumque rationibus, nihil tam falſum & incredibile fuit, quod non temere vel fingerent, vel crederent, nihil tam perſpicuum, quod eos non fugeret. Neceſſe erat, ut aut Hebraicus codex aut Graecus corruptus & interpolatus eſſet: Hebraicum malebant. Quaerebatur quando, & a quibus, & quibus de cauſſis? De tempore videbant, id ante Chriſti tempora, immo ante templum exciſum factum eſſe non poſſe: Adriani porro temporibus, cum *Aquila* novam verſionem Graecam fecit, Codicem Hebraicum talem fuiſſe, qualem nunc habemus, fatente *Voſſio* ipſo. Quid ergo? intra illos quinquaginta annos factam corruptionem ſumebant. Quis eſt ejus tantae rei teſtis? Quidam Chriſtiani ſcriptores veteres? Qui? qui verſionem Graecam temere crederent θεόπνευστον, qui Hebraice neſcirent, & Hebraicum codicem numquam vidiſſent vel legere potuiſſent. Talibus teſtibus in alia cauſſa nemo credat: at ipſi credunt. Qui autem corruperunt? Judaei? qui omni tempore tanta religione uſi fuiſſent adverſus libros ſacros, ut citius perirent, quam literam vel detraherent, vel adderent, auctore etiam *Joſepho*, quem ipſi illi viri admirantur. Quam hoc non credibile, repente tantam animorum commutationem eſſe factam? tamen creditur. Qua de cauſſa? ut tempora mundi contraherentur, & Chriſtum nondum venire potuiſſe, defendere poſſent. Quis eſt ejus rei auctor? nemo. Cur non citius hoc in mentem Judaeis venit, ſed poſt tot demum annos? neſciunt. Cur non nunc poſt tot ſecula rurſus corrumpunt, & numeros minores faciunt? nihil habent, quod dicant. Quomodo autem in omnes Codices illa interpolatio tanto conſenſu venit? tres ad ſummum Codices tum fuerunt? Quo teſte aut argumento hiſtorico hoc ſumitur? nullo. Fictum eſt totum hoc manifeſte: tamen pro re certa creditur. Quid? de *Joſepho* quid ſtatuunt? Hebraice norat, Hebraico libro uſus eſt: bene. At ille modo cum Hebraico Codice, modo cum Graeca verſione

conſentit? Interpolatus eſt & corruptus. Hoc quoque verum. A quibus? A Judaeis an Chriſtianis? Non a Judaeis: nullum ejus rei argumentum, omnia contra. Ergo a Chriſtianis. Qua de cauſſa? Ut eum Hebraicis libris conſentaneum efficerent. At illi verſionem Graecam Hebraicis libris praeferebant, ut ipſi contendunt, nec hos legerant, aut viderant, & Hebraicos libros a Judaeis corruptos credebant, ut ipſi docent? Si de Latina *Joſephi* verſione quaereretur, haberet ea ratio aliquam tamen ſpeciem. Poterat Latina *Hieronymi* verſio, ad Hebraicum textum facta, poſtquam auctoritatem nacta eſt, librarios impellere, ut *Joſephum* ei conſentientem reddere vellent. At Graecis librariis, qui verſioni Graecae adſueti eſſent, Hebraicum textum ignorarent, quomodo potuit tale quid in mentem venire? Sed nihil horum iſtis viris in mentem venit, prae cupiditate opinionis ſuae defendendae. Atque etiam, id quod mirandum eſt, iis, qui rectius de Hebraicis exemplis ſtatuunt, easdem tenebras objicit opinio, de *Joſepho* verſionem Graecam ſecuto. Nam & *Bernardus* Hennebergici Codicis ſcriptorem (§. 11.) numerum intervalli ab origine mundi ad diluvium Noachicum ex Hebraico codice ſumſiſſe mavult fingere, quam ad verum deduci. *Relandus* porro ad A. VIII. 3. 1. cum τρισχίλια conſtanter legatur in omnibus libris, idemque numerus ſit *c. Apion.* I. 2. tamen non tangitur ſuſpicione ulla, ceteros potius *Joſephi* I. 3. 3. numeros corruptos eſſe, ſed τετρακισχίλια corrigendum putat cum *Voſſio* Chronol. S. p. 112. Intervallum ab diluvio ad Abrahamum omnes libri *Joſephi* finiunt CCXCII. annis ad rationem Codicis Hebraici, & abeſt Cainan πᾶν ὁ. Tamen non venit *Bernardo*, *Relando*, aut alii in mentem, numeros praecedentes potius corruptos eſſe ad eum, quem diximus, modum (§. 12.) qui eſt credibilis, quia iſti numeri ſinguli fere ſunt in verſione Graeca, non numerus ſummae. Immo διακόσιοι corrupti ſunt, ajunt, facti e χιλίοις καὶ ἑκατὸν, prorſus ut placet *Voſſio* l. c. p. 109. Quare? quia Hebraicis libris conſentientem efficere numerum librarii voluerunt. At ſi tamen hoc voluerunt, quod iis in mentem venire, propter ea, quae diximus, non potuit, cur non eos numeros,

qui

qui praecedunt, qui in Hebraico Codice omnes aliter ſunt, Codici Hebraico conſentientes efficere, & ἑκατὸν πρὸς τοῖς delere maluerunt, ſed ſolam ſummam, quae in libris Hebraicis nuſpiam eſt? Si quis mihi ad haec reſpondere poteſt, quod ſit probabile, & ingeniis hominum, & rerum talium naturae conſentaneum, litem perdam libens. Sunt ea autem perſpicua & in promtu poſita, ut cujuslibet oculos ferire debuiſſe videantur. Sed opinio ſemel arrepta & probata de *Joſepho*, quam dixi, non ſivit praeſtantiſſimos viros iſta videre.

§. XIV.

Satis diu nos tenuit primus quaeſtionis propoſitae locus: & vel ſic nonnulla ſupererant: ſed nobis ad cetera fuit properandum. Nam e tribus, quae propoſuimus, alterum erat, ut quaereretur: *utrum e ſolis his libris hauſerit Joſephus, quos nos ſacros dicimus, an etiam ex aliis?* Eſt ita manifeſtum, multa eſſe in *Joſephi* Antiquitatibus, qua parte tempora complectuntur ſacris libris illuſtrata, quorum nihil ſit in noſtris libris ſacris Hebraicis, ut id ne admonere quidem neceſſe ſit. Ea quin voluerit videri e ſacris libris hauſisſe, dubitari non poteſt. Etenim, ni ita eſſet, dixiſſet utique, a quibus auctoribus haberet, ut in nonnullis aliis fecit. Hic neque a diſputatione inſtituta, neque ab utilitate ſtudioſorum alienum videtur, breviter praemonere, qui modus olim hiſtoriae ſcribendae fuerit. Qui ergo hiſtoriam ſcribebant viri inſignes, inde a *Thucydidis* tempore, qui primus exemplum hiſtoriae bene ſcribendae prodidit, hi ubi verſabantur in rebus ante ſuam aetatem geſtis, primum auctores circumſpiciebant & monumenta publica, quorum fidem recte ſequerentur, e legibus fidei judicandae, de quibus hic dicere nihil attinet. Hos igitur, quoad ſequebantur auctores, nihil admonebant, unde profeciſſent: rem a peritis, a quibus judicari volebant, per ſe intelligi, & fidem ſuam non perpetuis auctorum commemorationibus, ſed e re ipſa, & ſcribendi ratione cognoſci debere putabant. At ubi dubitatio aliqua idonea incidebat, ubi diſſenſus auctorum occurrebat, ubi certi nihil ſe habere putabant, tum vero auctores commemorabant, comparabant, judicabant. Hoc ita eſſe, nemo poteſt dubitare, qui veteres illos praeclaros hiſtoricos legit

accu-

accurate. Ac neſcio, an rectius feciſſent noſtri, ſi in eo manſiſſent, uti magni illi viri, qui poſt renatas literas ſe ad ſcribendas res contulere, *Buchanani*, *Bembi*, *Sleidani*, *Thuani* fecere, nec illam inanem auctorum commemorandorum vanitatem adſciviſſent, qua plus nimio decipiuntur, qui temere credunt. Hanc ergo rationem, clarum eſt, *Joſephum*, qui, ut ſupra dixi, praeclaros Graecorum hiſtoricos, etiam Romae *Livium*, legendo cognoverat, & imitari volebat, ſequi voluiſſe, & cum ſemel profeſſus eſſet, e quibus fontibus hauſiſſet, nihil amplius monendum duxiſſe. In quo ille nihil peccavit adverſus leges hiſtoriae ſcribendae: ſed in judicio auctorum & fontium, & rerum, quas inde decerperet, videtur peccaſſe. Id quale ſit, jam ediſſerendum videtur, pro praeſentis diſputationis ratione.

§. X V.

Librorum ſacrorum nomen ſi apud *Joſephum* iiſdem, quibus apud nos, finibus circumſcriptum eſt, pertinetque ad eos modo, quos nos θεοπνεύστους habemus Hebraicos libros, nimis impudens ac prope inſanus fuerit *Joſephus* neceſſe eſt, qui omnia ſua ſe ex iis hauſiſſe jactaverit, in quibus tam multa ſunt, quorum vix veſtigium ullum in iſtis noſtris Hebraicis libris impreſſum reperitur. Ego autem mihi perſuadere non poſſum, *Joſephum*, in quo tam multae virtutes ingenii animique laudentur merito, eo dementiae progreſſum fuiſſe. Quid ergo? Nempe ita mihi perſuaſum eſt, ut credam, *Joſephum* eo nomine non modo hos noſtros, ſed etiam alios intelligere, quorum ad nos nihil pervenerit. Libros ſacros apud Judaeos non modo eos appellatos credibile eſt, qui in Canone eſſent eorum, quos normam fidei & vitae totius Deus voluiſſet, ſed etiam alios, quos Apocryphos dixit antiquitas Chriſtiana. Apocryphorum autem duo genera, & apud Judaeos, & apud Chriſtianos in Chriſtianae religionis principiis, fuere: quorum alterum a viris θεοπνεύστοις ortum fuit, alterum mere humanum, ſed a claris inter Judaeos Chriſtianosque viris profectum. Nam ἀπόκρυφοι libri, ut bene demonſtrat *Olearius* noſter (ad Matth. Obſ. 8.) non θεοπνεύστοις, ſed κανονικοῖς opponuntur, neque tam ab ignoratione originis *occulti* dicuntur, quam quod in vul-

gus

gus non noti erant, nec pro divinis publice legebantur, ut Canonici, ſed fere ἐν ἀρχείοις, & gazophylaciis, & ſcriniis doctorum ſervabantur, patebantque adeo doctis modo hominibus. Θεοπνεύστους porro libros in V. T. extitiſſe, non relatos in Canonem, qui incendio utriusque templi perierint, & librorum divinorum indiciis ſcimus (v. *Olear.* l. c. & add. *Vitring.* Proleg. Comm. in Eſ. p. m. 3. b.) & eſt iſte locus ſatis, quamquam non ſatis conſtanter ab omnibus, diſputatus, per occaſionem rerum in N. T. e γραφαῖς ἁγίαις commemoratarum, quarum veſtigium in noſtris Hebraicis γραφαῖς ἁγίαις nullum extat. v. *Spanhem.* Dub. Euang. p. II. p. 585. *L. Capell.* ad Ebr. XII. 21. *Deylingium* Obſ. S. P. I. p. 197. 214. P. II. Obſ. XXXVI. 16. XLVII. 23. 28. Nec omnes omnium Apoſtolorum Epiſtolas conſervatas eſſe, ſed interiſſe quasdam, nec relatas in Canonem, non incredibile videtur praeclaris Theologis: etiam *Calovio* concedente, quam primam Paullus ad Corinthios ſcripſerit, memoratam 1 Cor. V. 9. periiſſe. Enimvero *Joſephi* tempore θεοπνεύστους libros extitiſſe, diverſos a Canonicis, ut video placere nonnullis in illa diſputatione, mihi quidem non licet credere per ipſum *Joſephum*, teſtem ſane in illa cauſſa graviſſimum, qui de fide hiſtoriae Judaicae adverſus *Apionem* diſputans I. 8. hos modo noſtros Canonicos *recte divinos credi* tradit: quod quale ſit ipſe declarat (§. 7.) nempe profectos a prophetis, qui κατὰ τὴν ἐπίπνοιαν τὴν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, *inſpiratione divina*, didicerint, quae in literas referrent. Illud autem credam, libros extitiſſe antiquos, hiſtoricos etiam, quales ſunt, quos nos Maccabaicos vocamus, quorum eſſet auctoritas, non illa quidem par divinis iſtis, ſed tamen talis, qualis eſſe humanorum poteſt. Et talia forte intelligit X. 10. 6. ἀρχαῖα βιβλία, Ἑβραίων βίβλους. Nec incredibile eſt, in eos quocunque modo defluxiſſe aliquid ex iſtis, qui olim fuerant, libris θεοπνεύστοις. Hos igitur nihil vetabat adhibere *Joſephum*, & inde decerpere, quae ab doctiſſimo quoque gentis ſuae probarentur, & nemini eſſent ſuſpecta: & eam, quam dixi, ob cauſſam ea e libris ſacris hauſta dicere. In quo ille vel imitabatur doctiſſimos populares, vel imitatores poſtea habuit. Nam quae, ut hoc utar, narrat de conſilio, quod Bilea-

leamus dederit Balaco, de corrumpendis per feminas Iſraëlitis, ea *Philo* ante tradiderat, & probabat noſter *Deylingius* Obſ. P. III. p. 116. & in Paraphraſibus Chaldaicis pariter reperiuntur admixta, quorum nihil eſt in libris divinis, velut diſputatio Caini & Abelis, cujus mentio etiam apud *Philon. quod deterior inſidietur meliori, init.* Quae ego profecto mihi non perſuadere poſſum, ut ab iſtis conficta putem, ſed e libris antiquis, & inter Judaeos probatis ſumta, & vulgo inter Judaeos credita exiſtimo.

§. XVI.

In his igitur ſi *Joſephus* peccavit, & admiſcuit quaedem non probanda, non ille malae fidei reus agendus videtur, ſed ἀκρισίᾳ quadam lapſus eſt, quae cui non interdum officit? Quamquam enim & ingenio judicioque magno fuit, & Graecis literis praeclare excultus: tamen iis temporibus vixit, quibus nondum Critica ars ita exculta & perfecta eſſet, ut & de libris univerſis, & ſingularum rerum fide accurate ſubtiliterque judicare in promtu eſſet, cum nunc etiam oppido pauci ſint, qui in hoc genere aliquid poſſint. Veteres illi Chriſtianae Eccleſiae doctores, in quibus ſane multi doctiſſimi homines fuere, quam multa ſibi obtrudi paſſi ſunt, tamquam ab Sibyllis, Apoſtolis, & viris Apoſtolicis profecta, quae Critici poſthaec omnia conficta docuerunt. In his ipſis autem, quis neſcit, eſſe, ut Ignatianas Epiſtolas, quorum αὐθεντίαν ne nunc quidem ſibi eripi etiam docti quidam homines, ſive aſuetudine credendi ac defendendi, ſive alia qua cupiditate incenſi, patiantur. Poſt renatas literas cum ſcripta Patrum Eccl. per typographorum formulas in lucem proferrentur, quam multa tributa ſunt iis, quorum non eſſent, & ab iis, qui ea ederent, deceptis per Codicum titulos opinionemque vulgarem, & ab ceteris? Etiam doctiſſimi Eccleſiae noſtrae Theologi, *Chemnitius* & *Gerhardus*, in laudatiſſimis Examinis Conc. Trid. & Confeſſionis Catholicae operibus ſubinde proferunt quaedam ſub nominibus eorum, quibus ea nemo peritior hodie tribuerit. Atque etiam in rebus ipſis hiſtoricis, quam multa, temere tradita, vulgo temere omni tempore credita ſunt? Quam multa etiam invitis Theologis hiſtoricisque eripuit magnus *Scaliger*, in emen-

emendati temporis quarto, & Animadverſionibus Euſebianis, & alia alii? Quid igitur mirum, ſi quid ejusmodi *Joſepho*, Judaeo, illa aetate, in libris denique rebusque gentis ſuae accidit? Nam diligentiam tamen in ea re quamdam viri animadvertere licet, diſcernentis ea, quae e recentioribus, aut non ſatis probatis libris petita eſſent, ab ceteris, plane ut Graecos Latinosque hiſtoricos facere ante diximus: velut in iis, quae de lege *Moſis* apud regem *Ptolemaeum* Graece converſa commemorat, non ſimpliciter, ut alia, ſed ſub *Ariſteae* nomine, cujus liber de ea re pro genuino circumferebatur: quem ſi ipſe cum iis, quae tradit, genuinum putavit, quid eum accuſamus in eo, quod cum Chriſtianis doctoribus antiquis omnibus commune habet? quod cum tot eruditiſſimis, & in re critica exercitatis viris?

§. XVII.

Reſtat tertia diſputationis inſtitutae pars, quae univerſe *de fide Joſephi in uſu librorum ſacrorum* diſſeret: nam de fide ejus univerſa eſt nobis proprius diſputandi locus deſtinatus. In quo incredibile eſt, quam graviter a plerisque accuſetur *Joſephus*, nec iis parvae auctoritatis viris, qui ab eo foede interpolatam atque perverſam veritatem rerum literis divinis traditarum clamant: quo nomine merito indignabatur *Caſaubonus* ad Baron. Exerc. 12. n. 2. Sed quod fit in omni accuſatione vehementiori, ut illa ipſa vehementia & atrocitas fidem accuſationis minuat, ſuſpectamque reddat, idem apud animum meum evenit, cum, cauſſa nondum cognita, crimina iſta in *Joſephum* legiſſem. Poſtea vero quam rem ipſam cognovi, non ego quidem hactenus innocentem reperi *Joſephum*, ut nihil peccarit, quod nec venerat in mentem ſperare de homine, primum Judaeo, deinde Phariſaeo: ſed illud tamen intellexi, malae fidei non bene argui hominem, pro eoque hac in parte multa probabiliter dici poſſe, cum in univerſum, tum qua ſingula loca, quibus ad fidem ei detrahendam utuntur. Qua in re quae nobis in mentem venere, ubi ad quaedam quaſi capita revocata breviter expoſuerimus, ſperamus fore, ut multum certe de culpa *Joſephi* deminutum videatur.

§. XVIII.

§. XVIII.

Ac primo magnum praejudicium facit ipſe Judaiſmus & Phariſaiſmus *Joſephi*, qui non ſinit credere, eum conſulto & de induſtria pervertere ac corrumpere ſuſtinuiſſe (in quo proprie mala fides cernitur) res libris divinis traditas. Etenim quanta reverentia Judaei tractarint libros ſacros, & aliunde conſtat, & ipſe auctor eſt in Anti-Apione primo §. 8. Nam quod *P. Baelius* negat, eum libros ſacros certos ac θεοπνεύστους credidiſſe, (Lexic. in Abimelecho) ea vero impudens criminatio eſt, quae etiam profeſſione *Joſephi* diſerta (l. c. §. 7.) refellitur. Phariſaeos pravarum interpretationum legis divinae reos agi a Chriſto ſcio, θεοπνευστίας perſuaſionem iis non modo non detrahit, ſed etiam diſerte tribuit, Jo. V. 39. Ac neſcio an periculoſum etiam ſit, ſi tam faciles ſimus in illo adverſus *Joſephum* crimine, ac non probabiliter dici poſſit, ſi quis ita agere velit, mali conſilii quid ſub iſta accuſatione latere. Nam ſi Judaeus Theologus, & ſacerdos tam parum reverentiae habuit adverſus libros divinos, ſi tam facilis fuit in corrumpendis rebus divinis, ut numeros mutaret pro libidine, resque perverteret ipſas: quid ceteros feciſſe dicent *Morini*, *Voſſii*, *Pezronii*? quid impedire, quo minus ab iis libri ſacri interpolati corruptique exiſtimentur? Saltem Theologis & ſacerdotibus hoc argumentum grave debet videri. Vere dicam, valde periculoſum eſt integritati Hebraicorum librorum, *Joſephum* tam facilem in corrumpendis iis exiſtimare, quae e libris Hebraicis ducta ſunt.

§. XIX.

Secundo, *Joſephus* dixit ille quidem, ſe omnia e libris ſacris ſumſiſſe, μεθερμηνευκέναι ἐκ τῶν ἱερῶν γραμμάτων, quippe τῆς ἐν ἐκείνοις σοφίας μετεσχηκότα. *c. Apion.* I. §. 10. Sed ſi nihil aliud, quam quod ibi eſſet, narraſſet, non illa jam hiſtoria Judaicarum rerum, ſed verſio ſacrorum librorum eſſet, quae ab eo non deſiderabatur. Illud igitur μεθερμηνευκέναι, (alio loco μεταφράζειν appellat, X. 10. 6.) latius accipiendum: in eoque ipſum *Joſephum* interpretem habemus, qui, cum dicit ſe τῆς ἐν ἱεροῖς γρ. φιλοσοφίας μετεσχηκότα, clare indicat, quicquid docti homines gentis ſuae ad illuſtrandas explicandasque literas ſacras e monumentis antiquis ingenioque reper-

repertum haberent, in illud opus Archaeologicum ſe contuliſſe. In quo nulla mala fides eſt, ſed judicii, ut ante diximus, imbecillitas, ſi in delectu earum rerum aberravit, & ſubinde aliquid pro re certa tradidit, quod aut dubium eſſe, aut plane repudiari debebat.

§. XX.

Sed rerum adjunctarum iis, quae in libris divinis traduntur, tria genera ſunt. Primum eſt narrationum: quales ſunt II. 9. 23. de hierophantae praedictione, quam & *Jonathan* Paraphraſtes habet, Janni ac Jambri eam tribuens, ad Exod. I. & Amramis ſomnio, & multae aliae, quae vel abſunt penitus a libris divinis, vel adjungunt aliquid narrationibus ſacris, ut de aqua correcta III. 1. 2. quod interdum non ſatis convenire auctoritati narrationis ſacrae videtur: quarum in illis ſunt ſane quaedam, velut illae ipſae, quas modo attigi, quae nihil abſurdi habent: in his, quae fortaſſe & ipſae admittant interpretationem mitiorem, nec abhorrentem a cetera narratione, vel quae ſaltem dici poſſint *Joſepho* viſae cum ſcriptoris divini narratione bene conſtare poſſe. Ac non video, quare quaedam earum non ex iiſdem libris ductae videri poſſint, e quibus Apoſtoli ſumſerunt ea, quae de Janne & Jambre, deque cadavere Moſis tradunt praeter ea, quae in libris V. T. Hebraicis reperimus: quae ſi non illi, ſed *Joſephus* traderet, profecto & haec mala fide addita vociferarentur *Joſepho* infeſti. Alterum genus eſt earum rerum, quae non tam novi quid habent, quam interpretationem aliquam; velut cum I. 2. 1. in ſacrificio Abelis & Caini ratio redditur, quare illius victimae gratae Deo fuerint, hujus reprobatae: falſae illae ſane, & quae oſtendant, ſummam verae religionis apud Judaeos tum in quibusdam fuiſſe corruptam, ſed quibus meliores a Judaico illorum temporum Theologo expectari non poſſunt, & quae tamen malam fidem non arguunt, denique quibus ſimiles habet & in hac & in aliis rebus *Philo*, Theologiae Judaicae & ipſe conſultiſſimus. Quo in genere ego ſaepe miratus ſum, quid eſſet, quare quis eo offenderetur, cum etiam Chriſtiani Theologi & veteres & recentiores eo in concionibus, in ſcriptis denique utantur, nec hi ſemper ita, ut nihil inſit, quod reprehendi poſſit. Sed aliud eſt,

non bene rationem reddere, non bene interpretari, aliud mala fide agere in narrando.

§. XXI.

Tertium genus eſt in exornandis narrationibus. Eſt enim genus narrandi duplex apud eos, qui res geſtas exponunt: alterum ἀφελὴς, tenue ac ſimplex, omni ornatu, tamquam veſte, detracto, quod commentariorum ſimplicitati ſervit, cum nihil aliud quaeritur, quam ut memoriae rerum conſulatur: alterum ornatum, quod rationibus reddendis, ſententiis adſpergendis, ingeniis, animis, moribusque exprimendis ac pingendis, hominum ſermonibus apte imitandis, denique judiciis de qualibet actione in utramvis partem ferendis, & delectationem & vero etiam utilitatem quaerit. Hoc eſt genus narrandi, quo hiſtoria differt ab commentariis & annalibus: quo qui uti non poteſt, is, ſi tamen ſe hiſtoricum, opus ſuum hiſtoriam appellare audeat, rideatur a peritis, & magiſtris artis. Hoc genere cenſentur *Thucydides*, *Xenophon*, *Livius*, & quicquid eſt verorum & magnorum hiſtoricorum, hoc inprimis probare ſe hiſtorici judiciis intelligentium cupiunt. Eo igitur genere, intelligendum eſt, etiam *Joſephum* uti voluiſſe, qui non commentarios, ſed hiſtoriam ſcribere inſtituiſſet, & uſum eſſe, quibus locis conveniret, feliciter, id quod adverſus quemlibet defendere ſuſceperim. Hujusmodi narrationibus laudem quaerere voluit etiam *Philo*, quamquam alio ſcribendi genere uſus; cujus narrationes quasdam, ut de *Joſepho* captivo, & ſomniis piſtoris pincernaeque, etiam imitatus *Bernardo* jure videtur *Flavius:* ſed imitatus eſt, non ut interpres, ſed ut homo doctus, & ipſe ingenio praeclaro praeditus, ut comparanti cuilibet apparebit. Harum igitur narrationum ſive exornationum cauſſa, ſi quis dicat, *Joſephum* interpolaſſe narrationes divinorum ſcriptorum, & pervertiſſe, & mala fide egiſſe, is nihil niſi inſcitiam prodiderit. Nam eae exornationes nullo modo numerandae ſunt in interpolationibus & depravationibus ſacrae & divinitus traditae rerum vetuſtarum memoriae, ut fieri video ab his, qui fidem *Joſephi* in hac parte univerſis quibusdam & vagis criminationibus impugnant, eademque opera veteres hiſtoricos de fide mala ſuſpectos reddere, & quendam Pyrrho-

Pyrrhoniſmum hiſtoricum inducere conantur, ut haud obſcure facit ille, quem ſupra commemoravi, *Baelius*.

§. XXII.

Illud porro conſiderandum eſt, quod ſupra monuimus, & propria diſputatione late demonſtraturos diximus, *Joſephi* hoc opus magis, quam ullum, qui quidem extet, librum antiquum, & prorſus foede interpolatum eſſe, & in editis, & multo magis in ſcriptis libris. Tanta quidem eſt ſcriptorum Codicum varietas, ut *Bigotius* bis a *Joſepho* recenſitam editamque Archaeologiam crederet, (in epiſt. ad calcem epiſt. *Reineſ*. ad *Boſium* p. 381. & ap. *Fabric.* B. G. IV. p. 233.) quod etiam magno *Huetio* viſum reperi (in *Huetianis* p. 96.) De ea conjectura, acuta ſane, cujus ſimili in Ciceronianis libris *Joach. Camerarius*, in *Maximo Tyrio Marklandus*, in aliis quibusdam alii doctiſſimi viri, uſi ſunt, diſpiciemus in illa ipſa de interpolationibus diſputatione. Cum primum Joſephi hoc opus legeremus, ſane nobis ſaepe numero etiam in aliis rebus ineptus, etiam male Graecus *Joſephus* videbatur. Detraxit huic deinde opinioni aliquid *Hudſonianus* contextus, & Codicum, *Voſſiani* inprimis, excerpta: ſed plurimum ei detractum eſt, poſteaquam illas ipſas interpolationes in editis reliquas, accuratius cognito *Joſephi* ingenio & ſtilo, animadvertere & indagare coepimus. Quod ſi ſtatuimus id, quod ſupra mihi videri dixi, a Graecis Chriſtianis ad verſionem Alexandrinam correctum *Joſephum:* hac quoque ratione aliquid decedet huic perfidiae crimini. An vero nihil corruptelarum, in numeris inprimis ac nominibus, reliquum in contextu Flaviano putamus a librariorum inſcitia & negligentia? Eſt etiam ubi mihi viſus eſt *Joſephus* interpolatus e Commentariis & Homiliis Chriſtianorum in libros Moſis aliosque. Sunt enim quaedam, haud dubie nata ab Commentatoribus ſacrorum librorum popularibus, ſive Judaicis ſive Chriſtianis, quae abſunt a Codd. ſcriptis. Ut hoc utar, I. 3. 3. 4. ſerpentem vocat Joſephus συνδιαιτώμενον Adamo & Evae. Hoc eſt ex interpretatione non fortaſſe improbanda. Sed id haud dubie dictum de ſerpente beſtia. Enim vero ſtatim additur, eam invidiſſe hominibus felicitatem. Hoc

Joſephus de mera beſtia? Immo illud forte e Chriſtianorum libris venit. Diaboli invidia peccatis aditum in genus humanum factum Judaei quoque credebant. Sap. 2. Nec iſta verba ſunt in MS. *Vaticano*. Qui hominem Judaeum coëgerunt, etiam *Sibyllae* oraculo ac teſtimonio uti (I. 4. 3.) eoſne dubitaſſe putemus, ei aſſuere alios e libris ſuorum pannos?

§. XXIII.

Inprimis etiam velim cogitari, an *Joſepho* obſit id, quod omni tempore libris divinis & humanis, Graecis Latinisque, plurimum obfuit, h. e. inſcitia linguae, praeſertim, cum ea ſit in illo opere, ut poſt dicetur, ſaepe paullo exquiſitior, & propterea ad intelligendum plerisque difficilior. Nullus liber eſt tam ſancte & diligenter ſcriptus, qui non perverti ac repleri erroribus, & ineptis ſententiis poſſit, per inſcitiam linguae, ſi quis eum ad verbum, e lexicis vulgaribus, in linguam vel Latinam vel vernaculam vertat, & verba illa Latina & vernacula capiat, vel e definitionibus alicujus ſibi probati compendii doctrinae, aut e conſuetudine populi. Enim vero hac ratione plerosque uti, & uti neceſſario ob ignorantiam & contemtum linguarum veterum (quid enim quis non contemnat, quod ipſe ignoret, ſi tamen magnus homo ſuis videri velit) quis ignorat, etiam in iis, qui ad *Joſephum* legendum accedunt? Librarii Graeci ipſi ob ignorationem bonae Graecitatis ſubinde bene Graeca corruperunt, repoſitis vel facilioribus verbis, vel interpretationibus verſionis Alexandrinae. Sed hoc de genere mox. Illius generis quaedam exempla ponemus, ubi propter Graeca verba male intellecta *Joſephus* vel viſus eſt, vel videri poſſit a ſacris libris aberrare, & vel inſcitia vel fraude peccare.

§. XXIV.

L. I. c. 13. §. 2. qui locus eſt de Abrahamo cum filio ad montem Moriam (diſerte nominat §. 1.) profecto, verbis: (Latine, brevitatis cauſſa, ponemus) *tertia die, cum in conſpectu eſſet mons, relictis in plano comitibus cum ſolo filio in montem abit:* ſubjicitur haec appendicula: ἐφ' οὗ τὸ ἱερὸν Δαβίδης ὁ βασιλεὺς ὕστερον ἱδρύεται. Sint iſta jam genuina, & a *Joſepho* profecta; quamquam ſunt alieno loco. *Relandus* admonebat in margi-

margine, dicendum fuiſſe βωμόν· nempe c. VII. 13. extr. nam Solomonem demum ἱερὸν aedificaſſe, neminem ignorare. Fallebatur egregie vir praeclarus. Ναὸν, *aedem* primus Solomon exſtruxit ibi, ἱερὸν, *templum* erat a Davide. Βωμὸς eſt ἱερὸν bene Graece: & tum ara ſola faciebat ἱερὸν, *templum.* Nam omnis locus inauguratus, ſacer, habens aliquid religionis, eſt ἱερὸν, *templum*, Graecis Latinisque. Eodem libro 20. 2. luctam Jacobi cum ſpecie obvia viri (φάντασμα pro ſua conſuetudine vocat, non inanem imaginationem, ne quis accuſet *Joſephum* e Lexico ſuo, ſed naturam caeleſtem ſub ſpecie viſibili, ut V. 6. 2. ubi quod φάντασμα dixerat, eadem ſectione vocat Θεὸν, multoque hoc melius quam ἄνθρωπος τῶν ὁ) hanc igitur luctam deſcribens, nomen ישראל interpretatur ἀντιστάντα ἀγγέλῳ θείῳ, rectiſſime: quamquam negabat *Hieronymus* in Quaeſt. Hebraicis (p. 1336. T. I. ed. *Mariani Victorii*) eſſe in Hebraico, & poſt eum plurimi alii. Sed *Hieronymi* dubitatio pertinebat ad ἀντιστάντα. Alia eſt accuſatio, quae ἄγγελον θεῖον clamet eſſe pervertendae ſcripturae ſacrae, quae אלהים *Deum* habeat, non ἄγγελον. Et video olim fluctuatum eſſe inter *Deum* & *angelum* ab ipſo *Hieronymo* l. c. Iſta vero eſt mera ſermonis Graeci & Flaviani inſcitia, nec ullo modo peccaſſe putandus eſt *Joſephus.* Nam ἄγγελον θεῖον non intelligere debemus angelum quemcunque, ſed θεὸν, filium Dei, qui ἄγγελος Θεοῦ quam ſaepe vocetur a Moſe, quis neſcit? *Joſephus* ex lege bene Graece ſcribendi Hebraismum, qui eſt in hendiady, ſemper exprimit per Adjectivum & Subſtantivum: (vid. Coroll. de Stilo Joſ. §. 2.) itaque verba עם אלהים ועם אנשים, hoc eſt, ut ego arbitror, *cum divino viro*, cum viro Deo, expreſſit ἀγγέλῳ θείῳ, interpretatione poſita: quippe ille vir erat miſſus ad Jacobum. Neque enim אנשים de Eſavo commode capiunt interpretes, qui nec victus erat, nec in ratione nominis ישראל commemorari poterat, quod ſolum Deum a Jacobo quodam modo victum indicat: add. *Hoſ.* XII. 4. 5. L. V. I. 3. 4. in deſcriptione trajectus Jordanici, *Joſephus*, quod accidit, vocat μείωσιν aquarum: quod imperite quis traxerit ad diminutionem miraculi, comparans hoc verbum cum verbis Hebraicis, e Lexico vulgari ac-

ceptis, quae διὰ ξηρᾶς, ut οἱ ὁ habent, *per ſiccum* traductum populum dicunt. Nam *Joſephus* ipſe mox vocat ἀνακοπὴν ὑδάτων, h. e. refluxum verſus caput ſuum: quamquam non talem intelligebat, ut nihil aquae in fundo relinqueretur, ſed ut pedibus tranſiri flumen ſine periculo aut incommodo poſſet. Nam היבשה, & ξηρά, non Latinam aut Germanicam ſiccitatem indicant, ſed firmitatem, ſtabilitatem in ingreſſu, & certa pedum veſtigia, ut in continente. In eodemque capite §. 14. admonuit *Bernardus*, *Salianum* & *Schotanum*, notos illos Joſephomaſtigas, maluiſſe ad calumnias vertere, quam dicta *Joſephi* recte intelligere in eo, quod de Ainitarum clade dixit, eos a Joſua fugatos, primum urbem curſu petiiſſe, deinde cum eam captam reperiſſent ab hoſte, per agros diſperſos fuiſſe, ἀμύνειν αὑτοῖς ὑπὸ κακώσεως μὴ δυναμένους. Eſt, ubi *Joſephus* κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ πρόνοιαν facta dicit, quae in miraculis numeranda ſunt, ut XX. 8. 6. Hic quanta calumniandi materia verbum illud e Lexico & compendio Theologico intelligentibus, & non uſu doctis, πρόνοιαν bene Graece, atque *Joſepho* adeo paſſim dici de quocunque attributo divino, ut juſtitia & omniſcientia II. 6. 8. & 14. 3. itemque de vi divina, ut clare dicitur I. 1. 4. Qui λέγουσι, *dicunt*, accipiunt vulgi more, de fama vulgi incerta, rebusque incertis, nae ii *Joſephum* res certiſſimas, a ſcriptoribus divinis traditas, in fabulas vulgi convertere, & incertas reddere voluiſſe criminabuntur. Sed nihil horum in mentem venerit ei, qui didicerit, id verbum etiam de rebus certis dici apud hiſtoricos optimos, eamque ob cauſſam etiam *Joſepho* ſic eo uti licuiſſe, ut VIII. 13. 7. XX. 10. 1. &c. Si quis quem dicat fuiſſe φύσει pium, juſtum, quid eum ſenſiſſe dicetis vos, qui e *Paſore* & compendio Theologiae pendetis? Non Pelagianum? Atqui *Joſephus* VII. 7. 1. Davidem ait φύσει δίκαιον καὶ θεοσεβῆ, *natura juſtum & pium*, ut habet Latinus interpres: ſic e *Vaticano* Cod. adſtipulante vetere *Epiphanii Scholaſtici* verſione editum nunc habemus. In quo ejus miſerti ſunt librarii, qui illud parum ὀρθόδοξον φύσει omiſerunt. Sed ſalva res eſt. φύσει θεοσεβὴς bene Graece ſcribentibus eſt, in quo eſt *inſigne pietatis ſtudium*, aſſue-

aſſuetudine ita firmatum, ut haud facile ab eo dimoveri poſſit, quod & Latini appellant *inſitum.*

§. XXV.

Neque vero dubito proferre hoc loco quandam cogitationem meam, non a mera aliqua poſſibilitate, ut hoc verbo utar, commentitia, ductam, ſed rebus & obſervationibus nixam. Igitur non abſurdum puto ſuſpicari, numeros quosdam Flavianos, vel ab Hebraica veritate diſcrepantes, & Graecis exemplis conſentientes, vel ab utrisque diverſos, ſalva Hebraicorum exemplorum veritate, & ipſos veros eſſe poſſe. Vereor, ut omnes ſtatim intelligant, quid ſentiam. Itaque planius dicam. In numeris v. c. ſatis conſtat harum rerum peritis, ſubinde ſcriptores ſine errore diſcrepare, ubi alter v. c. παχυλῶς, & populari quadam ratione numerat, alter numerum κατ' ἀκρίβειαν definit, aut alius aliam numerandi rationem ſequitur. Dico igitur, numeros vel Graecae verſionis, vel *Joſephi* ab Hebraico exemplo diſſonos, interdum & ipſos e bonis & veris libris ductos, atque adeo veros eſſe poſſe hactenus, ut ſint vel ἀκριβέστεροι, eamque ob cauſſam praelati Hebraicis, vel παχυλώτεροι, & caſu aliquo pro Hebraicis ἀκριβεστέροις poſiti. Si interpretes Graeci hoc ſubinde fecere, non illi quidem ἀκρίβειαν ſummam, quae debet eſſe in interprete, e ſubtili Grammaticorum ratione ac praeceptione, conſervarunt, ſed tamen conſervata veritate ab exemplari Hebraico receſſerunt. Nondum illa priſca aetate opinio erat, tam accurate verſionem in omnibus exprimere ἀρχέτυπον, qua apices omnes, debere, & non licere interdum aliquid explicandi cauſſa addere, praeſertim ubi auctores παχυλωτέρως locuti eſſent: & ſi quis, quae Latinis, iisque eruditiſſimis hominibus, e Graeco Latina facta ſunt, contulerit cum Graeco, reperiat profecto, non iſta tanta religione uſos eſſe, quantam noſtra interpretandi praecepta poſtulent: ſemperque ipſe exiſtimavi, periculoſum eſſe, in talibus locis, e Graecis corrigere Latina, & cum magna cautione id fieri debere. Deſiderat aliquis exempla, quibus ſententia noſtra nitatur? Ecce duo eaque perſpicua, & nulla, ut opinor, ratione eludenda. Hebraici libri numero ſeptuagenario finiunt familiam Jacobi, quae in Aegypto conſedit, Geneſ.

XLVI. 27. Exod. I. 5. At Graeci interpretes ad LXXV. augent. Hanc ſummam illi confecerunt ex re, ductis *Joſephi* nepotibus ac pronepote. Sed illum numerum probavit Spiritus S. Act. VII. 14. ut vitioſus eſſe non poſſit. Exodi XII. 40. porro, ubi Moſis dicit Iſraëlitas in Aegypto habitaſſe annos 430. Interpretes Graeci addidere καὶ ἐν τῇ γῇ Χαναάν, ſive ex re, ſive ex aliis antiquis & bonis hiſtoricis, explicandi cauſſa, quod Moſes locutus eſſet παχυλῶς, ut Gen. XLVI. 27. ubi numero eorum, qui e femore Jacobi prodierint, comprehendunt Jacobum ipſum. In eo non dico accuratorum Interpretum rem feciſſe; non erraſſe aut decepiſſe dico, quando Sp. S. illam rationem firmat Gal. III. 17. Sed id non videntes *Voſſius* & alii Hebraicum Codicem corruptum eſſe Exod. XII. 40. parum perite decernunt. Quod ſi id licuit interpreti, ubi res pateretur, quanto magis debuit licere ei, qui materiam modo hiſtoriae ſcribendae e libris iſtis ſumſit, non ipſos Graecos facere voluit. Non, ut hoc utar, numerus annorum, quibus vita Iſaaci definitur, qui eſt in Hebraicis & Graecis exemplis CLXXX. poteſt eſſe rotundus, & alter, quem *Joſephus* ſecutus, eſt CLXXXV. ἀκριβέστερος, ex alio hiſtorico vetere ductus? Ac nos ne attingimus quidem illud, quod a doctioribus quaeri ſolet, annon quaedam ex iis, ubi *Joſephus* cum τοῖς ό ab Hebraicis verbis diſſentit, non in libris Hebraicis univerſis, ſed in exemplis Hebraici textus editis, & e *Bombergii* Codice ductis, parum accurate legantur? Nam de ea re judicari non poteſt, donec alter *Millius* aliquis aut *Bengelius* exiſtat, qui, de voto praeclari & eruditiſſimi Theologi, *C. B. Michaëlis* (in praef. Diatribae de Var. Lect. N. T.) & vero etiam exemplo, Veteri Teſtamento praeſtet, quod illi Novo praeſtiterunt, & Varias Lectiones e Codd. Mſſ. maxime, & editionibus Ante-Bombergianis, aliiſque idoneis libris colligat. Ut nunc eſt, contentum *Joſephum* eſſe jubemus iis defenſionibus, quae aliis e fontibus ducuntur.

§. XXVI.

Denique oportet ſcire, hiſtoricos in narrando non eſſe adſtrictos cuidam neceſſitati in delectu & commemora-

moratione περιστάσεων, quae vel non ingrediuntur rei & facti ſummam (eſſentiam cum vulgo dixeris) vel ſunt commutabiles natura ſua ac vi. Hujus obſervationis ignorantia miras in omni genere ſcriptorum turbas dedit, cum vel omiſſum aliquid putarent homines, vel committerent inter ſe ſcriptores eandem rem narrantes, ut cogerentur adverſari ſibi, qui amice conſpirabant. Itaque non mirum eſt, eam etiam *Joſepho* moleſtias creaſſe, cui pene fatum fuit, ut in imperitos judices, quibus nihil iniquius eſt, ut *Socrates* ajebat, incideret. VI. 1. 1. de Aſcalonitis tradit, quod libri ſacri de Gethitis. Non haec eſt repugnantia? Nullo modo. Diverſitas eſt narrandi, non diſſenſio. Cum res ad omnes quinque Philiſtaeorum urbes pertineret, nihil referebat, quam ſecundo loco poneret. Eſtque hoc genus diverſitatis frequens bonis hiſtoricis, ſed ſaepe moleſtum fuit ignaris hujus moris. Exemplum inſigne notavimus ad *Xenophontis* Memorab. III. 5. 4. ubi vide, & quem ibi laudamus *Drakenborch.* ad *Liv.* XXXIX. 49. Vidi in magnae fraudis atque etiam dementiae loco objici *Joſepho*, quod VI. 10. 2. e praeputiis ridicula μεταμορφώσει fecerit capita. *Relandus*, aequior *Joſepho*, & ei conſulere cupiens, ei rei ſic medebatur, ut capita genitalia intelligeret, quae demetere ſolitos Judaeos. Immo *Joſephus* voluit rem eloqui modo eo, qui Graecos & Romanos, quibus ſcriberet, non offenderet, nec riſum iis moveret, quod futurum fuiſſe, ſi praeputia poſuiſſet, nemo dubitet, qui non ignoret, quam ridiculi apud eos fuerint verpi. Non autem idem, qua ſummam rei, dixit *Joſephus*? Saul volebat occidi centum Philiſtaeos: id factum eſſe, etiam contumeliae cauſſa indicabatur apud Judaeos, tot praeputiis afferendis: apud Graecos Romanosque capitibus docebatur. Et ſufficiebat credo intelligi, tot homines interfectos, ſive praeputiis ea res, ſive capitibus ſive aliis membris, quae ſingula hominibus natura dedit, adferendis doceretur. Graece autem & Graecis ſcribenti aliter ſine offenſione & irriſione ſcribere non licebat. Ad talia judicanda profuerit non modo accurata, duce bono & perito talium magiſtro, inſtituta hiſtoricorum lectio, ſed etiam eorum, qui ἐναντιοφανείας ab imperitis temere confictas,

 vel

vel in ipſis libris ſacris, vel inter ſcriptores humanos componere tentarunt: quod fere factum eſt in Commentariis Criticorum, *Perizonii*, *Dukeri*, *Drakenborchii*, & ſimilium, in hiſtoricos priſcos, & obſervationum libris.

His igitur, quae monuimus, praecepimusque breviter, animadverſis, & ante oculos in lectione *Joſephi* poſitis, arbitramur futurum, ut multo paucioribus in locis *Joſephus* non ſatis bona fide egiſſe videatur. Sed de locis ſingulis, quae majori aliqua difficultate laborent, dicetur ſeparatim. Univerſe quidem, quae prodeſſe *Joſepho* poſſint, haec diſputata ſunt.

EXERCITAT. FLAVIANAE I.

COROLLARIUM DE

JOSEPHI STILO.

Diſputationi de Fontibus Antiquitatum Flavianarum vix aliud aptius corollarium fuerit, quam de Stilo Joſephi diſputatiuncula. Nam & ipſa fontes patefaciet, unde verba & formas dicendi hauſit, & ſimul non unum emendationum Flavianarum fontem indicabit. Ea autem erit velut *Proluſio Caſtigationum Criticarum*, quas per partes ſubjicere Exercitationibus noſtris conſtituimus.

1. Genus igitur dicendi Flavianum *primo* eſt *purum ab Hebraismis*, certe purum voluiſſe *Joſephus* exiſtimari debet. Nam Graecae linguae accurate ad Grammaticorum praecepta diſcendae ſtudioſiſſimus fuerat: & hanc hiſtoriam Graecis ſcribere inſtituerat, quibus probari ſine iſta puritate non potuiſſet. Unde fit, ut, ſi quid occurrat in formis loquendi, quod abhorreat ab elegantia Graeca, ſitque ex Hebraismo ductum, praeſertim ejusmodi, qui fallere mediocriter Graece doctum poſſit, ut id ſuſpectum eſſe debeat, videndumque, an per libros ſcriptos editosque emendari poſſit. Hujus igitur generis quaedam proferemus, ſi paucis exemplis docuerimus, librarios *Joſephi* Graeca non raro ad

ad verſionem Graecam reſinxiſſe, ubi exquiſitius quid ac non ſaepe obvium occurreret, aut ubi Hebraismus τῶν ὁ bene Graece a *Joſepho* expreſſus eſſet. L. I. c. 11. §. 2. *Joſephus* dedit, ποῖ ποτ᾽ εἴη; Ecce librarius Hennebergici Codicis e verſione Alexandrina reſcripſit πȣ̃ εἴη, quod illi notius erat. *Ibid.* 12. 1. auctor ſcripſit φρέαρ ὅρκιον, bene Graece, idque boni Codd. habent. Sed librarii plerique fecerunt φρέαρ ὅρκȣ, quod notum iis erat e LXX. interpretatione, cum alterum non intelligerent, aliudve quid putarent, atque ita Hebraismum reſtituerunt. *Ibid.* 19. 11. Rahel idola ἀποτίθησιν εἰς τὴν σάγην. Librarii Henneb. & Busbekianus fecere ἐντίθησιν, accommodaturi lectionem ad verbum ἐνέβαλε, quod verſio Graeca habet. II. 3. 3. Ismaëlitici mercatores, quibus *Joſephus* venditus eſt, dicuntur aromata κομίζοντες Αἰγυπτίοις: bene. Sed tamen quidam maluere dare εἰς Αἴγυπτον, rectum quidem & ipſum, ſed tamen vulgatius. Sed id οἱ ὁ habebant, ut jam monuit *Bernardus*. Talia in omnibus libris per indicia variae lectionis reperientur.

2. Ex hac igitur obſervatione arbitramur corrigi & bene Graeca fieri debere loca haec:

I. 11. 4. Lothi uxor facta dicitur ςήλη ἁλῶν: qui eſt merus Hebraismus. Joſephus genitivos iſtos ſemper exprimit per adjectiva, uti debet, quod etiam B. Lutherus in verſione noſtra fecit, ubi potuit: quidam imperiti, commentitiae emphaſeos cauſſa, mallent omnes iſtos genitivos reponi. C. 12. 1. ut ante diximus, habet φρέαρ ὅρκιον, & c. 19. 3. Bethel interpretatur non οἶκον θεȣ̃, ſed θεῖαν ἑςίαν: ſimiliterque alia. Στήλη ergo ἁλῶν eſt e verſione LXX. reſcribendumque ςήλη ἁλκπίνη, ut *Clemens Alex.* & ipſe elegans ſcriptor Strom. II. p. 387. λίθος ἁλκπίνη dixit, forte e *Joſepho* nondum corrupto. Sed de toto illo loco mihi ſuſpicio quaedam eſt, quam alio tempore proferam.

II. 5. 3. Δȣ̃λος δέ τις, ἐπὶ τῶν σιτοποιῶν τεταγμένος τȣ̃ βασιλέως, συνδεδεμένος τῷ οἰνοχόῳ. Hebraiſmus eſt in δȣ̃λός τις. Nam δȣ̃λος pro miniſtro tali regio bene Graece non dicitur, ut nec Latine *ſervus*. Φίλȣς appellant Graeci,

Graeci, & *Joſephus* ſaepe, v. ç. X. 7. 5. aut ἄρχοντας, ἡγεμόνας. Sed eum non eſſe a *Joſepho*, etiam orationis forma vitioſa indicat. Nam ſi ipſe hic dediſſet δοῦλός τις, addidiſſet neceſſario ἄλλος τοῦ βασιλέως. Praeceſſerat enim narratio de Archipincerna. Igitur non dubitavi corrigere: Ἄλλος δέ τις &c.

VI. 4. 4. Τάχθητε πάντες κατὰ φύλας τε καὶ σκῆπτρα. Suſpecta erant *Ez. Spanhemio* σκῆπτρα merito. Sed quod legi volebat πατριάς, quod §. 1. φυλαῖς jungitur, in eo fallebat magnum, quamquam non in re critica, virum ratio. Sumta enim eſt ea vox e τοῖς ό, ubi tamen pro *tribu*, non pro πατριᾷ, *familia*, ponitur; quia שֵׁבֶט, quod eſt in Hebraico textu, *ſceptrum* & *tribum* ſignificat. A *Joſepho* quidem σκῆπτρα eſſe non poſſunt, qui bene Graece ſcripſit, ſed ab aliquo ex ea verſione in margine notata in textum venere. Arbitror igitur deleri poſſe, nullo alio verbo ſubſtituto. Nam etiam in Codice Hebraico 1 Sam. X. 20. ſolae tribus nominantur.

Ibid. 6. 3. ἐν αἵματι κατήσθιον. Hoc quin Hebraicum ſit, vix aliquis dubitet. Praetulerim ſcripturam Codd. Bigotiani & Sambuciani ἔναιμα, quod eſt bene Graecum, nec librariis deberi poteſt. Illud eſt apud LXX. 1 Sam. XIV. 33. in ed. Complutenſi, (in aliis σὺν τῷ αἵματι) unde in *Joſephum* migravit.

X. 7. 5. Rex dicitur μετανοήσας ἐν τῷ παραδοῦναι τὸν προφήτην τοῖς ἡγεμόσιν. Haec Graecus non aliter intelligere poteſt, quam regem poenituiſſe, *dum traderet*, ἐν τῷ παραδοῦναι. Sed res docet, *Joſephum* dixiſſe, poenitentiam facti, prophetae dediti principibus, ſubiſſe regem. Praepoſitio ergo ἐν redolet Hebraicam formam: ex qua ἐν *propter* ſignificat. Arbitror a *Joſepho* eſſe ἐπὶ τῷ, quae forma eſt bene Graeca, τοῖς ό etiam uſitata: nec facile quemquam in eo mihi adverſaturum credo.

XII. 7. 3. Judas Macc. jubet ſuos ſpem ponere in Deo, & τοῦτον ἱκετεύειν τῷ πατρίῳ νόμῳ, σάκκους περιθεμένους,

καὶ τὸ σύνηθες αὐτῷ σχῆμα τῆς ἱκετείας παρὰ τοὺς μεγάλους κινδύνους ἐπιδειξάντας, τοῦτο δυσωπῆσαι &c. Quid ſit σάκκους περιθεμένους, nemo Graecus intelligat. Eſt enim iſte mos loquendi & veſtiendi ſe Hebraicus. Et cum *Joſephus* illum ſupplicantium habitum, generali aliqua formula, τὸ σύνηθες τῷ πατρίῳ νόμῳ σχῆμα τῆς ἱκετείας, ſatis expreſſerit, quorſum opus praemittere σάκκους περιθ. Itaque mihi perſuaſum habeo, ea verba, ab aliquo in margine adſcripta, in textum veniſſe.

Haeſi etiam in κοινοφαγία XI. 8. 7. & conjeci χοιροφαγία: quod res eo loco commemorata pertinet ad tempora Seleucidarum, quibus ſolenne fuit, Judaeos cogere, ut ſuilla veſcerentur. Sed & κοινοὺς ἀνθρώπους dixit XII. 2. 13. alio loco κοινὸν βίον, ſimili ſenſu: quae loca jam notavit *Krebſius* V. C. in eruditis *Obſervationibus in N. T. e Joſepho* p. 208.

His igitur exemplis admoniti lectores *Joſephi* videbunt, ſi quae alia ſimiliter corrigenda videantur. Si quid praeter haec ineſt, ſuis locis admonere non negligemus.

3. Puritatis etiam pars eſt quaedam, abſtinere a verbis, quae ſint ab eo genere ſcribendi, quo utaris, aliena. Cavendum igitur praecipiunt, ne poëtica verba in ſermone & oratione proſaica uſurpes. Id praeceptum habet ſuum modum apud hiſtoricos, quos proprie dicimus. Nam vocabula multa poëtica frequentant, a quibus alii proſaici abſtinent: non tamen ea, quae audaciorem tropum vel compoſitionem habeant. Igitur in his magna cautione opus eſt, & diligenti obſervatione, ut videamus, quae verba ferat hiſtoricum ſcribendi genus, quae non ferat. XIX. 7. 5. in πάντας συνδιέφθειρεν, Codex Voſſ. qui nunc eſt Lugduno-Batavus, habet πασσυδὶ διέφθειρεν. Eam lectionem neglexit *Havercampus*, ut poëticam. At hoc verbum poëtarum non refugiunt hiſtorici Ἀττικώτατοι, eratque recipiendum in contextum ſine haeſitatione. Forma loquendi eſt e *Thucyd.* VIII. 1. πανσυδὶ διεφθάρθαι: eaque uſus eſt etiam *Xenoph. Ageſ.* 2. aliquoties *Dionyſius Halic.* & alii. At haeſi III. 2. 5. in ἀριστεῦσι: ἀριστεῦσι

τιμὰς

τιμὰς ἔδωκε, praemia diſtribuit iis, quorum opera enituerat in illo praelio. Nam ἀριστέας poëtae modo dicunt, quod ſciam. *Heſychius* quidem habet ἀριστεὺς, ἀνδρεῖος, ſed ex *Homero*. Itaque vix dubitem, reſcribendum eſſe ἀριστεύσασι.

4. Neque vero pure modo, ſed etiam *Attice* ſcribere voluiſſe *Joſephum*, res ipſa loquitur. Cujus rei obſervatio ut *Bernardo* ſaepe profuit in deligenda lectione, cum ille, quae magis Attica eſſent, niterenturque Codicum bonorum auctoritate, praeferret aliorum librorum lectionibus: cujus generis exempla commemorare non eſt neceſſe. Ex quo mihi nulla ſupereſt dubitatio, quin varietas illa, quam in *Joſephi* libris obſervarat *Graevius* ad *Lucian. Soloeciſt.* c. 8. cum a ſubſtantivis in ευς accuſativi plurales modo per εας, modo per εῖς fiunt, ea igitur varietas ſit, ut in aliis, in *Platonis*, *Xenophontis* libris, a librariorum negligentia, qui contractioni adſueti ſubinde eam formam Atticae illi ſubſtituerunt. Atque etiam ſi exemplorum in contrarium bene multa ſunt, tamen ea re non moveor: nec valde movebitur, qui libros veteres tractavit, aut varietates lectionum a viris doctis in libris Graecis Latiniſque notatas inſpexit & excuſſit diligentius. Sed in nulla re frequentius librarii aberrarunt, quam in talibus Atticis, & multo magis Doricis formis apud *Theocritum*, *Callimachum*, in *Fragmentis Pythagoreorum*, quae ſunt in *Stobaei* Florilegio, ad vulgarem rationem revocandis, ut nuper in Lectionibus publicis docuimus; in quibus per ſcriptorum editorumque librorum auctoritates corrigendis plus nimio adhuc negligentes viri docti fuerunt. Si quis in Latinis vellet v. c. exemplis editorum librorum docere, falſum eſſe, quod *J. Fr. Gronovius* volebat, *nec quidem* Latinum non eſſe, & pro eo corrigendum *ne quidem*, hui quanta copia uti poſſet. At ſi in iſtis exemplis inſpecti fuerint libri antiqui, ea prope omnia ad nihilum redigentur. Nam nos quidem omnia exempla, quae ante erant in vulgaribus *Taciti* libris, per editionem principem Venetam maxime, aliaſque ſuſtulimus, ut de aliis taceamus. Durum ſane videri poteſt, ſi quis audiat, tot exempla eſſe vitioſa. At excutiat modo quis unum &

item

item alterum Graecum Latinumque ſcriptorem eo modo, quo Critici ſolent ac debent, non amplius durum videbitur. Sed in ipſa ſerie emendationum per ſingulos libros exempla huic rei apta proferentur.

5. Sed inter Atticos hiſtoricos *maxime imitatus Joſephus eſt Thucydidem*, verborum delectu, & forma, item dicendi formulis & modis: non in totius orationis forma & habitu. Quod nobis eſt explicandum planius, & exemplis illuſtrandum. Proderit enim intelligendo *Joſepho*, & lectionibus vulgatis vel defendendis vel emendandis, in quo *Bernardo* profuit I. 19. 7. Nam ſaepe animadverti, librarios non modo, in quibus mirum non eſt, ſed etiam viros doctos in talibus formis haeſiſſe. Ac primum habet quaedam verba *Thucydidi* frequentata, ut μεταβολὴν, de qualibet rerum converſione, fortuna utraque in quocunque genere, morte etiam: de quo memini a me dictum eſſe in *Anti-Muratorio:* ἀνήκεστόν τι, de re gravi & pernicioſa, ἀρετὴν, *de benignitate*, quod non cepit Latinus interpres v. c. VII. 1. 1. item ἐφηγούμενοι, *de ducibus*, *praefectis* XIV. 8. 4. & alia: & libenter *adjectiva pro ſubſtantivis* ponit, ut ἐν ἀμηχάνοις εἶναι pro ἐν ἀμηχανίᾳ, v. c. XIX. 3. 1. Deinde maxime frequens eſt in eo, ut *participiis exprimat ſubſtantiva*, ſicut *Thucydides* facit, qui τὸ ἀξιοῦν III. 43. de opinione dixit, & alia alibi. Exempla quaedam exquiſitiora ponemus, e libris XVII & XVIII. Igitur XVII. 3. 1. τὸ συνεσόμενον eſt *conventus*. 6. 3. τὸ ἐφομιλῆσαν τοῦ θανάτου, *aditus mortis*. ibid. 5. ἐλπὶς τοῦ σωθησομένου, *ſpes ſalutis* 5. 4. τὸ συναπολαυσόμενον, *uſus communis*. 9. 2. τὸ ἀπολούμενον, *mors*: ubi haeſit *Caſaubonus*, qui pro εἰς κίνδυνον τοῦ ἀπολουμένου ἐκεῖνοι καθίστασαν, legi volebat τοῦ ἀπολέσθαι οἰκτρῶς καθ. Fruſtra, ut patet. 9. 2. τὸ ὑβριοῦν, & 5. τὸ ὑβρίζον, *contumelia*. 10. 1. τὸ στασιάζον, *ſeditio*. 3. τὸ καταστησόμενον, *deditio*. 12. 1. τὸ ἡδονῇ δεχόμενον, *aſſenſus qui libenter praebetur*: 2. τὸ μὴ χρησάμενον, ubi haeſit librarius Busbequianus, qui fecit χρήσασθαι, ut ante 9. 1. pro στασιάσον, στασιάσαι, & alibi. Sed locum ipſum apponemus, paullo duriorem uſu duplici iſtius participii. Caeſar Pſeud-Alexandro dicit: μισθός σοι προκείσεται τοῦ μὴ καὶ πρὸς ἐμὲ ἀπάτῃ χρησαμένου τὸ μὴ ἀπολούμενον τῆς σωτηρίας: *conſervatio ſalutis*,

tis, (*impunitas*) *tibi erit praemium abſtinentiae a fraude adverſus me.* Τὸ μὴ χρησάμενον eſt *adſtinentia*, & τὸ μὴ ἀπολέμενον eſt *ſalus*. Etiam *Hudſonus* non capiebat τὸ ἀπολ. conjiciebatque fruſtra ἀπορέμενον, & XIX. 1. 18. pro eo nobis dant libri omnes ἀπολώμενον. 13. 4. ὀνειδιοῦν, *contumelia*. XVIII. 1. 1. τὸ ὀρθούμενον, *conſtitutio*. 6. 2. τὸ μεταςῆσαν, *mors*, & τὸ προβουλεῦσαν, *conſilium*. 3. τὸ μενοῦν, *remanſio*, *arreſt*: ubi rurſus tricatur Busb. Codex. Ex hac autem obſervatione non modo, uti dixi, cautio exiſtit, ne quis in tali loco haereat, & corrigere quid tentet, ſed etiam facultas interdum corrigendi. In eodem libro 6. 7. Germanus, qui Agrippae vaticinatur, ait, ſe nefas duxiſſe, non dicere ei, quae ſciret futura, ut ἐπιςάμενος ἀγαθοῦ μέλλοντος λυσιτελεῖν, *praeſentem dolorem contemnas*. Verba illa Graeca per grammaticam rationem incorrupta eſſe non poſſunt, nec habent interpretationem. Sed ſi reſcribamus λυσιτελοῦν, omnia fiunt plana: *ut intelligens futuri boni praeſtantiam* &c.

6. Qui *Thucydidem* legerunt, non ignorant, multa eum habere valde Graeca, hoc eſt, aut abhorrentia longe ab indole Latinae linguae, aut rariora. Horum ignoratio obfuit *Joſepho* apud librarios & editores. Age vero exemplis quibusdam, in hac veluti proluſione emendationum & obſervationum noſtrarum, oſtendamus, in corrigendi *Joſephi* cura hanc admonitionem de *Thucydide* prodeſſe poſſe:

VI. 2. 12. in verbis ἔτι δεῖ τῆς ὀργῆς ἐπὶ Βενιαμίτας ἐφεῖναι, plane nihili eſt ἐφεῖναι, quod ſic Graecis non dicitur: ut bene vidit *Coccejus*. Sed nec ſic dicitur, quod ille reponi voluit, ἀφεῖναι. Τὴν ὀργὴν ἀφεῖναι dicunt, non ὀργῆς. at ſi reſcripſeris ἀνεῖναι, recta fient omnia ſenſu & verbis: *oportet aliquid remittere ab ira in Beni.* Sed in eo praeluxit mihi *Thucydides*, cujus eſt iſta phraſis III. 10.

VIII. 2. 5. de carminibus Salomoneis, quibus exorciſtae expellerent daemonia: οἷς ἐνδούμενα τὰ δαιμόνια, ὡς μηκέτ᾽ ἐπανελθεῖν, ἐκδιώκουσι. Verbum ἐνδούμενα mihi viſum eſt non reſpondere, neque τῷ μηκέτ᾽ ἐπανελθεῖν, neque τῷ

 ἐκδιώ-

ἐνδιάκουσι. Eſt enim *illigata*, *devincta*. Nec opem ferunt Codd. ſcripti, qui aut ἐνδούμενοι legunt, ut ad exorciſtas referatur, aut ἐναδόμενα, quod paullo melius eſt. Sed ex hujus lectionis & *Thucydidis* admonitu venit mihi in mentem corrigere ἐνδόμενα, *cedentia daemonia*. Nam hoc verbo in hoc ſenſu delectatur *Thucydides*, & poſt eum quis non? Quanquam illi potius ἐνδοῦναι dicunt, quam ἐνδόσθαι, & ἐνδόντα, quam ἐνδόμενα· tamen & hoc rectum eſt.

XIX. 4. 6. Sabinus, ſodalis Chaereae, qui Cajum interfecerat, ſemet ipſe interfeciſſe dicitur, exiſtimans, ἄδικον ἐκλειπίαν τῆς πρὸς τοὺς συνωμοκότας πίστεως. Nemini video ſuſpectam fuiſſe ἐκλειπίαν, quam vocem analogia ſatis indicat eſſe e corruptione. Ἔκλειψις dicitur ab ἐκλείπω, non ἐκλειπία. Nec variant libri. Viſum mihi eſt corrigendum ἐλλείπειν, *carere fide*, *non praeſtare fidem adverſus conjuratos*. Id verbum *Thucydides* cum genitivo tali ſenſu dicit.

7. Neque tamen ita ſe adſtrinxit *Thucydidi*, ut ex eo uno flores verborum decerperet. Etiam *Platonis* quaedam verba exquiſitiora notavi, quae ſubinde vix videantur hiſtorico generi convenire ſatis, ut in his XVII. 12. 1. καὶ τούτοις αὐτός τε ἀνεπτέρωτο καὶ τοὺς ἐντυγχάνοντας οὐκ ἀπήλλακτο ἀπατᾶν: *his rebus & ipſe ad ſpem inanem elatus eſt*, ἀνεπτέρωτο, quae eſt vox *Platonis* in *Phaedro* (p. 249. ed. *Steph.* *T.* III.) etiam Poëtis Atticis uſitata, quibuscum multa communia *Plato* habet. v. *Suidas* in Ἀνεπτεροῦτο, & ad *Heſychium* in Ἀναπτέρωσε *Albertum*. Sed hoc verbum propter elegantiam certatim uſurparunt exquiſiti ſermonis ſtudioſi, etiam *Chryſoſtomus* pluribus locis, ut notatum *Suicero*. Inde adeo interdum vel confirmari, vel reperiri verae lectiones poſſunt: nam huc illa obſervatio referenda eſt. X. 10. 2. de cibis, quibus Daniël cum ſodalibus uſus eſt: οὔτε γὰρ τὰς ψυχὰς ἐλωβοῦντο καὶ βαρείας εἶχον ὑπὸ τροφῆς ποικίλης, οὔτε σώματα μαλακώτερα &c. Codices aliquot exhibent ἐφείλκοντο, quod non diſplicebat *Hudſono*, nempe propter ſequentia, καὶ βαρείας εἶχον. Melius *Coccejus*, qui in margine exempli notaverat ἐλωβῶντο, ab λωβᾶσθαι, quod verbum *Plato* libenter uſurpat tali in ora-

oratione, pro *vitiare*, *corrumpere*, ut *Xenophon* λυμαίνεσθαι, *Memor.* I. 6. 3. pariter de cibis: καὶ γὰρ τὰ λυμαινόμενα γαστέρας, καὶ κεφαλάς, καὶ ψυχὰς πάντ᾽ ἔφη εἶναι. Verba in άω non pauca a minus bene loquentibus in εω mutata, ut patet ex Atticiſmi magiſtris. Nec dubitanter hoc adeo in contextu corrigendum erat: nam & aliae tales formae Atticae *Joſepho* a *Bernardo* reſtitutae ſunt. Alium locum addamus, ubi *Plato* profuerit. Is eſt XIII. 5. πολλῶν δὲ χρόνων διαγεγενημένων ἀπὸ τῆς ἐξαρχῆς ἀναπολησθείσης ἡμῖν οἰκειότητος, *cum plurimum temporis effluxiſſet ab amicitia inter nos inſtaurata.* Et librarius Hennebergici Codicis, & vir doctus apud *Hudſonum* in verbo ἀναπολησθείσης haeſit: *Spanhemius* autem & alius vir doctus defendit loco *Sophoclis Philoctet.* 1270. ubi ἀναπολεῖν ἔπη eſt *repetere verba.* Quid ni potius confidamus loco altero *Joſephi* XI. 4. 2. τὸν πρότερον ναὸν ταῖς μνήμαις ἀναπολοῦντες &c. dixit autem imitatione *Platonis*, qui hoc verbum amat dicere in rebus iis, quarum memoria renovatur.

8. Atque etiam cum aliis, inprimis *Polybio*, habet communia multa in verbis, φιλοτιμίαν, ἐπιστασίαν, προστασίαν, ἐπιφανείαν, & alia, quae frequentat *Polybius*, multisque in locis mihi ad intelligendum inprimis profuit *Polybius* ante lectus & cognitus: velut XIII, 15, 5. ὑπογράφων ἐλπίδα σωτηρίας, ex quo Cod. Busb. facit ὑποτρέφοντα, interpres Latinus *prae ſe ferentem.* Immo: *cum nulla ſpes vitae appareret, cum nulla ſigna ſalutis comparerent. Polybius* in *Exc. de Vitiis & Virt.* p. 1390. (ed. *Gronov.*) πρᾶόν τινα καὶ δημοτικὸν ἑαυτὸν ὑπογράφειν, *mitem & popularem ſe* factis & ſignis externis *oſtendere ac probare.*

9. Quo loco non alienum eſt, admonere ſtudioſos Graecarum literarum, qui velint aliquid in hoc genere efficere, atque adeo, an aliquid vel ipſi vel alii poſſint, judicare, ut exiſtiment, ei, qui velit in ſcriptoribus Graecis poſterioris aetatis, inprimis ejus, quae imitatores veterum Atticorum tulit, fuitque Caeſarum temporibus, aliquid videre vel in intelligendo, vel in judicando & emendando, ei igitur ſcriptores veteres Atticos, *Platonem* inprimis, *Xenophontem*, *Thucydi-*

dem,

dem, *Demoſthenem*, & *Ariſtophanem*, *Euripidem*, oportere bene cognitos eſſe. Nam ex his maxime, ut nihil dicam de ſententiis, verba exquiſitioris elegantiae deligere & libris ſuis illigare ſtuduerunt illi. Qui igitur ab horum lectione ad illos ſe contulerit, is & facilius intelliget multa, & in emendando erit felicior. Eo adjumento cum carerent quidam ex iis, qui ſe ad illos edendos contulere, multa non viderunt, multa vitioſe ſcripta & edita reliquerunt intacta, nec ſatisfacere peritioribus potuerunt.

10. Sed illud ipſum ſtudium, imitandorum Atticorum, & uſurpandorum verborum elegantiorum, inprimisque troporum venuſtiorum, attulit iſtis imitatoribus aliquid adfectationis, quae illa verba nimis frequentando & cumulando, a naturali orationis pulchritudine ſubinde recederet, & ſatietatem illius elegantiae afferret. Ac neſcio an etiam *Joſephus* in eo interdum peccarit, & *Apion*, aliique cenſores ejus, etiam propterea dixerint, ejus hiſtoriam ὥσπερ ἐν σχολῇ μειρακίων γύμνασμα (agnoſcet Graece doctus lector & hic imitationem *Thucydidei* ἀγωνίσματος, de quo nuper dixi in Eriſichtonis Callimachii & Ovidiani comparatione) συγκεῖσθαι, contr. *Apion*. I. 10. h. e. non ut interpres Latinus habet, *ejusmodi quaſi, ut adoleſcentibus in ſcholis ad ingenium exercendum proponi debeat*: non hic ceperat τὸ γύμνασμα: ſed, *eam velut ſcholaſticum adoleſcentium exercitium* eſſe: talem eſſe, qualia eſſe ſolerent, quae adoleſcentes in ſcholis exercitationis cauſſa ſcriberent, plenam ſcilicet adfectationis in verbis & ſententiis; ut *Longinus* vocat σχολικὰ πάθη, σχολαστικὰς νοήσεις. Nam profecto interdum in narrationibus verba exquiſita nimis denſantur, ut obſervabunt diligentes lectores. Quae res nos admonet alicujus loci, qui vel hoc ipſo vitio, vel corruptela aliqua maculatus eſt. Is eſt III. 6. 1. λίθους τε, οὓς ἘΝΔΕΔΕΜΈΝΟΥΣ χρυσίῳ ΚΑΘΕΡΓΝΎΝΤΕΣ ἄνθρωποι κόσμῳ χρῶνται πολυτελεῖ: *& lapides*, *quos* illigatos *auro* quaſi coërcentes *in magno ornatu geſtant*. Apparet cuivis, alterum redundare, & vel ἐνδεδεμένους vel καθειργνύντες abeſſe debere. Utrum *Joſephus* utrumque dederit, nec ne, id quaeri poteſt. Sane utrumque verbum nimis

mis elegans eſt, quam ut imperitis librariis deberi & in gloſſis haberi poſſe videatur. Quodſi opinio *Bigotii* & *Huetii* probaretur, de duplici editione Archaeologiae a *Joſepho* curata, expediri res poſſet ſic, ut diceremus, utriusque editionis lectiones in textum conjectas eſſe. Sin diſplicet illa ratio, nec, propter conſenſum librorum veterum, volumus alterum verbum delere, neceſſarium erit, ut *Joſephum* peccaſſe dicamus in eo, quod neutrum verbum ſuſtinuerit dimittere: cujus generis peccata haud pauca obſervavimus in Sophiſtarum ſcriptis. Quamquam, ſi dicendum eſt, quod ſentio, tamen malim ἐνδεδεμένους tollere, propterea, quod ne conſtructio quidem ſatis conſtat, niſi alterutrum tollatur. Nam utrumque referendum foret ad χρυσίῳ, quod fieri non poteſt. Forte aliquis diligens lector *Joſephi* in margine ſcripſerat ἐνδεδεμένους e XII. 2. 9. λίθων ταῖς σπείραις ἐνδεδεμένων. Id ſi eſt, tamen fatendum eſt, antiquam iſtam corruptionem eſſe, quod *Epiphanius Scholaſticus* utrumque verbum expreſſit.

11. Hoc etiam attentus *Joſephi* lector obſervabit utiliter, quod ille delectatur verbis compoſitis e περὶ σὺν & ἐκ, aliisque praepoſitionibus, pro ſimplicibus; hoc quoque exquiſita quadam veterrimorum ratione, ſed, ut mihi viſum eſt, frequentius & interdum durius, quam illi veteres auctores: cujus generis verba multa non ſunt in Lexicis majoribus notata, a nobis autem magno numero nuper in Hedericianum relata: qualia ſunt συντυγχάνω, συμφρονέω, συνδιδάσκω, ἐκπορίζω, ἐξοικοδομέω, ἐξεκκλησιάζω &c. Et haec obſervatio non modo ad intelligendum interpretandumque & *Joſephum* & alios proderit, ſed fortaſſe etiam interdum ad *Joſephum* emendandum, ſive lectionum variarum dilectum. Ut unum exemplum ponam, XVI. 4. 1. in verbis οἷς ἔδει δυστυχεῖν, libri ſcripti boni habent συνδυστυχεῖν. Id ego ex illa obſervatione praetulerim vulgato. Neque enim illi librario venerit in mentem hoc ſupponere. Illud autem ſua ſponte quisque lectorum animadvertet, eſſe quaedam verba & dicendi genera, quibus prope nimis frequenter utatur, ut ἀνακεῖσθαι πρός τι, ἐμπαροινεῖν, ταμιεύεσθαι, διατιθέναι τινὰ, διατίθεσθαι πρός τινα vel πρός τι cum adverbio &c. quae ſunt ſane inprimis venuſta, & hinc

 ab

ab interpretibus *Luciani* & aliorum ſcriptorum iſtius generis & aetatis paſſim illuſtrata, ſed nimis frequentata quandam ſatietatem adferunt.

12. Quod denique ad ipſam formam & habitum orationis attinet, ea quidem ejusmodi eſt, ut nullum Hebraiſmi veſtigium appareat, ſitque elegans & prorſus Graeca. Periodi aptae & concinnae, multa per participia & conjunctiones ſine obſcuritate complexae, intermiſta etiam oratione membratim fuſa. Verbo, ejusmodi eſt, ut ab homine in media Graeca nato educatoque profecta videatur. Hic ego auctor ſim ſtudioſis, qui velint plane cognoſcere, quid interſit inter orationem verbis Graecis Hebraicam, & verbis formaque, hoc eſt, totam vere Graecam, ut comparent epiſtolas libri Maccabaeorum primi cum Flavianis, ut *Apollonii*, *Macc.* I. 10. 70. *Joſ.* XIII. 4. 3. *Macc.* I. 12, 6. *ſ. Joſ.* XIII. 5. 8. & alias. Nam eas *Joſephus* ex illo libro ſumtas bene Graecas fecit.

Cum aliquid ſupereſſet ſpatii, quod vacare nollemus, placuit addere quaedam, quae disputandi materiam praebere poſſent.

I.

Si Criticae conjecturali locus eſt in libris ſacris, non ſuſpicari licebit, *Coloſſ.* I. 19. κατοικῆσαι factum e κατοικίσαι, ut ſexcenties accidit in aliis libris Graecis? quod εὐδόκησε, intellecto θεὸς, deſiderat infinitivum activum, qualis mox eſt καὶ ἀποκαταλλάξαι.

I I.

Non bene *Herm. Venema*, Theologus Franequeranus eruditiſſimus, in Exercitat. de Vera divinitate Chriſti contra *Wetſtenium* p. 42. in loco inſigni Paullino 1 *Tim.* III. 16. utramque lectionem librorum ſcriptorum θεὸς & ὃς conjungendam & a *Paulli* manu profectam putat, ut ſit θεὸς, ὃς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ἐν πν. Nam ſi hoc *Paullus* dicere volebat, Graecae linguae ratio deſiderabat θεὸς ὁ φανερωθεὶς ἐν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ε. π. vel ſaltem θεὸς, ὁ φ. ε. σ. ὃς ἐδ. ε. π. ut. 2 *Cor.* III. 6.

I I I.

Eandem ob cauſſam non poteſt probari ejusdem correctio dicti Ignatiani, ὁ ἐμὸς ἔρως, ὃς ἐσταύρωται, *amor meus eſt is, qui cruci ſuffixus eſt.* Id enim eſt ὁ ἐμὸς ἔρως ὁ ἐσταυρωμένος. Atque in illo dicto ἔρως eſt potius amor rerum humanarum, ut contextus docet. in *Ep. ad Rom.* p. 60. *ed. Voſſ.* p. 88. *ed. Uſſer.*

I V.

Vexatum *Hegeſippi* apud *Euſebium Hiſt. Eccl.* IV. 22. locum, διαδοχὴν ἐποιησάμην μέχρις Ἀνικήτου, emendem vel διαμονὴν ἐπ. *permanſi*, quod eſt lenius Saviliano διατριβὴν, vel διδαχὴν ἐπ. *docui*, (quae verba etiam confunduntur V. 6.) & ſi traditio non patitur μέχρις Ἀν. *usque ad Anicetum*, quia ſub Aniceto Romam venit Hegeſippus, vertam, *quoad Anicetus vixit.* Sic enim μέχρι bene dicitur, etiam in ſacris Act. XX. 6. forte etiam Act. III. 21.

EXERCITAT. FLAVIAN. I.

COROLLARIUM ALTERUM

DE

ODIO JUDAEORUM VETT.

ADVERSUS LITERAS GRAECAS.

In diſputatione ea, quae nobis inſtituta eſt de Fontibus Archaeologiae Flavianae, injecta eſt mentio odii Judaeorum Palaeſtinorum, de Phariſaica inprimis ſecta, adverſus literas Graecas; cum eas diceremus ab illis & univerſe contemtas, Judaicaque profeſſione parum dignas habitas eſſe, & vero ita alienas a ſanctitate rerum divinarum, ut has illigari illis nollent, putarentque religionis ſuae myſteria pollui & profanari, ſi Graeca oratione, praeſertim elegantiori, & libris Graecorum legendis imitandisque conformata, explicarentur. Eam rem cum non probaverimus viro docto, qui argumentis nec ſatis multis, nec ſatis idoneis nos uſos diceret, & quaedam in contrariam partem diſputaret; utendum nobis videtur hac opportunitate ſcribendi, & ad firmandam ſententiam noſtram, & ad diluenda ea, quae contra diſputata ſunt. Ac nos non ſumus ii, quos ita teneat ſuſceptae, praeſertim in tali cauſſa, ſententiae amor, ut

ut eam in dubitationem adduci doleamus, qui nihil facilius in hoc literario genere, quam diſſenſum aliorum ferimus, in eaque ipſa diſſenſus ferendi lenitate, non parvam ſapientiae & humanitatis partem & ipſi ponimus, & a diſciplinae noſtrae alumnis poni cupimus: ſed dandum eſt aliquid humanitati, dandum etiam voluntati viri, qui non negligi vult & contemni dubitationes ſuas, & ſilentium noſtrum in contemtum tracturus videtur.

Jam primum ſatis conſtat, in rebus iis quae maxime pugnarent cum patrii moris, & religionis verae non modo ſtudio & amore, ſed etiam integritate & caſtitate, numeratum eſſe a Judaeis, Palaeſtinis maxime, eum, quem Ἑλληνισμὸν dicerent, h. e. artium, inſtitutorum, morumque Graecorum imitationem. In quo illi non nimis abſurde philoſophabantur. Eſt enim facilis tranſitus, ſi non omnibus, at levibus & vanis ingeniis, a morum & inſtitutorum ſimilitudine ad communionem opinionum, non modo de rebus humanis, ſed etiam divinis, ac de religione, praeſertim ſi inſtituta illa moresque habeant aliquam cum religione conjunctionem. Sed apud Judaeos illos valebat in ea re etiam odium adverſus Graecos, non modo commune illud, quo in omnes gentes pariter utebantur, ſed etiam praecipuum, quod violentia Regum Graecorum, & injuriae innumerabiles maximaeque accenderant. Itaque & ea, quae aliquam cum ſuperſtitione Graecorum conſociationem haberent, & quibus nihil quicquam eſſet cum religione commune, juxta averſabantur, & in profanitatis parte ponebant. Quid habuit gymnaſium, niſi artes, in quibus eſſet bellicae rei meditatio? quid palaeſtra (ea enim eſt ἐφηβία) praeter exercitationem, quae corpora epheborum ad humaniorem liberalioremque ſpeciem in omni ſtatu ac motu fingeret? Tamen inviſam Judaeis, Palaeſtinis maxime, fuiſſe, & qui ea uterentur, ſemigraecos, tantum non deſertores patrii moris & ſacri habitos reperimus. 2 *Macc.* IV. Qui ludos ſcenicos aliosque ſpectarent Judaei, quis neſcit, etſi nihil praeter oblectationem oculorum atque aurium ſequerentur, tamen profanos atque parum pios adverſus Deum exiſtimatos eſſe?

 Nam

Nam illam oblectationem & a moribus majorum alienam eſſe cenſebant, &, quod gravius erat, totam ludorum rationem ſciebant eſſe cum religione Graeca conjunctam, & religionis externae partem; quo nomine maxime Chriſtiano homine indignum merito viſum etiam antiquae Eccleſiae doctoribus, ire ad ludos. Mitto alia his ſimilia. Nam vel haec, quae exempli cauſſa poſuimus, argumenti ſatis habent ad intelligendum, Graecorum artes & inſtituta Judaeis abhorrentia a lege patria (παρανόμους ἐθισμοὺς 2 *Macc.* IV. 11.) viſa. Quod ſi gymnaſio & palaeſtra uti, in profanis & religionem Judaicam polluentibus rebus numeratum eſt ab Judaeis (ἀκμή τις Ἑλληνισμοῦ & προσβάσις, non πρόσβασις, ἀλλοφυλισμοῦ) & in iis inſtituendis profanitas ineſſe putata eſt (ὑπερβάλλουσα ἀνάγνεια) quanto magis credemus, eodem loco habitum Graecarum literarum, Grammaticae, Rhetoricae ac Poëticae ſtudium, praeſertim cum in iis magiſtri Graeci adhibendi eſſent, librique legendi pleni ſuperſtitione & impietate Graeca, cujus contagione corrumpi animos poſſe exiſtimarent. Nec ille modo Ἑλληνικὸς χαρακτὴρ eſt, quem aſſumtum indignatur idem ille ſcriptor, ſi more Graecorum exerceas corpus, ſed multo magis, ſi ingenium, ſi loqui Graece ac ſcribere ſub magiſtro Graeco diſcas, ſi ad artes diſcendi Graecas exerceare legendis Graecorum libris & imitandis. Nec vero, cum profanum videretur, patriis honoribus neglectis, quia rudes & tenues eſſent, Graecos honores (Ἑλληνικὰς δόξας) perſequi, illi modo honores aut illa praemia Graeca erant, quae per palaeſtricas & gymnaſticas artes pararentur, ſed etiam, & multo magis, quae e doctrina Graeca, inprimisque artibus dicendi peterentur. Nam profecto in illis quinquennalibus ludis Tyriis, ad quos miſſos e Judaea θεωροὺς, *legatos, qui Judaicae civitatis nomine intereſſent ludis* (l. c.) vix dubitem etiam eloquentiae & poëticae praemia propoſita fuiſſe, cum id ceterorum Graecorum talium ludorum ratio & mos ſuadeat credere. Quodſi Ἑλληνικαὶ δόξαι ſunt artes palaeſtricae & gymnaſticae, multo profecto magis in eo numero ſunt artes dicendi, quibus non modo in ludis, ſed etiam in civitatibus honores & praemia conſtituta fuerunt. Atque ego non utor eo argumento, quod ſuppeditant qui-

quidam libri Maccabaici ſecundi interpretes noſtrates, *Oſiander*, & *Calovius*, qui ἐφηβίαν ſcholas intelligebant, in quibus literae Graecae docerentur. Nam ea opinio eſt mera conjectura ab inſcitia antiquitatis, quae palaeſtram intelligi jubet, in qua proprium erat ephe-borum exerceri, ut vel e *Ciceronis* nobili de Helena Crotoniatarum loco (Invent II. 1.) diſci poteſt. Quodſi quis magiſtros Judaicos ſuper ea re conſuluerit, non ſatis eos quidem inter ſe conſentire reperiat, aliis Graecarum literarum ſtudium damnantibus, aliis concedentibus, & in vita communi, & in lege diſcenda (vid. excerpta huc pertinentia ap. Wetſtenium ad Act. VI. 1. p. 490.) ſed illud tamen, comparatis inter ſe omnibus, efficitur, ut diſciplinas & artes Graecorum a Judaicae profeſſionis homine tractari non probarint, (cui rei etiam perpetuus uſus Judaeorum Hebraicae ſynagogae, qui e Palaeſtina originem ducunt, adſtipulatur) linguae Graecae ipſius uſum vel ad neceſſitatem vitae communis, aut diſcendorum ſacrorum, ſi quis inter Graecos natus educatusque eſſet, & Hebraica neſciret, vel etiam ad elegantiam muliebrem conceſſerint.

Jam ſi artes Graecorum dicendi per ſe inviſae Judaeis fuerunt, in profanisque rebus numeratae, cum in rebus humanis ad oſtentandum ingenium, ad laudem inter Graecos, & praemiorum honores uſurparentur: quid ſenſiſſe eos putamus de his, qui iis uterentur in rebus divinis exponendis? *Joſephus* quidem ipſe ſatis indicat, rem inviſam Judaeis fuiſſe, quod eo ſe nomine excuſare tentat Eleazari exemplo & auctoritate (*A. I.* 1. 2. 3.) plura exempla commemoraturus, ſi habuiſſet, quae putaret aliquid valitura: quippe Alexandrinorum Judaeorum, ut *Philonis*, & paucorum aliorum, quae non ignorabat, fruſtra Palaeſtinis & ſeverioribus Judaeis oppoſuiſſet, quos hi longe a juſta ſeveritate & ſanctitate diſciplinae Judaicae abeſſe judicabant: unde iis ad defendendum inſtitutum ſuum uti non audebat. Etenim ſi res vulgo fiebat, ſi nihil in ea offenſionis apud quemquam, qui venit ei in mentem, inſtitutum Graece ſcribendi de rebus ſacris, rationibus afferendis probabile reddere? Quamquam

ipſe diſerte alio loco dicit (XXII. 11.) non eſſe moris Judaici, (intellige in Palaeſtina) multas linguas diſcere, nec in honore haberi, qui multis linguis accurate diſcendis operam dent, & γλαφυρότητι λέξεων τὸν λόγον ἐπικομψεύοντας. In quo loco quare Vir S. R. non probet, ab *Havercampo* addita eſſe haec verba e MS. Voſſiano, niſi quod ejus ſententiae parum opportuna ſunt, non video: cum & contextus ferat, quippe non multum diverſum a praecedente γλ. ἐκμαθεῖν, *linguas accurate diſcere;* quod qui faciunt in ſcribendo curioſi & elegantes eſſe & cupiunt & ſolent, h. e. ἐπικομψεύειν τοὺς λόγους: & qui aures habeat tritas notandis diſcriminibus gloſſarum, & genuinorum verborum, facile ſentiat, iſta verba tam exquiſita non gloſſatoris inſcitiam redolere, ſed ſcriptorem ſapere, qualem eſſe *Joſephum* in Corollario Exerc. I. diximus, h. e. gaudentem verbis exquiſitis, & elegantioribus, in quibus τὴν γλαφυρότητα λέξεων, & τὸ ἐπικομψεύεσθαι numeranda eſſe, nemo mediocriter doctus Graece poteſt ignorare (*). Sed hoc ipſo in loco mihi injuriam fecit, cum me dixit verbum κοινὸν ibi *profanum* interpretatum eſſe,

(*) Admonet hic locus, ut Joſephi famae e bene ſcribendi facultate, ſi poſſimus, opis aliquid feramus. Concedit Vir S. R. Archaeologiam bene Graece & Attice ſcriptam. Sed ne quid ſine admonitione ac ſimpliciter probetur, addit: *tamen & illud teneo, non eſſe Joſephi unius iſtam venuſtatem, non propriam ac domeſticam, ſed praecipuam* Ἀττικισμοῦ *partem illis Graecis, quibus Joſephus Romae uſus fuit adjutoribus atque emendatoribus. Appellamus autem ipſum Joſephi teſtimonium, clarum, luculentum: quod in margine ſubjecimus*, ex Apion. I. 10. ubi ſe Romae in hoc opere uſum τισὶ πρὸς τὴν Ἑλληνίδα φωνὴν συνεργοῖς. Imitemur hanc concluſionem. Valde bella eſt. *Bene & eleganter ſcripſit M. Tullius Cicero. Concedo. Sed tamen & illud teneo, non eſſe Ciceronis unius iſtam venuſtatem, non propriam & domeſticam, ſed praecipuam ejus partem deberi ejus adjutori & emendatori. Appellamus autem ipſum Ciceronis teſtimonium clarum & luculentum:* ex ep. div. XVI. 17. de Tirone: *tu qui* κανὼν *eſſe ſcriptorum meorum ſoles.* add. ep. 1. med. 10. extr. ubi clare Ciceronis adjutor in literis vocatur.

eſſe, quod mihi in mentem nunquam venit, (quamquam video ſic interpretari *Gelenium*, & ex eo *Genebrardum*) nec iſtius verbi teſtimonio, ſed univerſi loci auctoritate uſus ſum: quod, quae a moribus Judaeorum patriis eſſent aliena, & ab ipſis improbarentur, eadem iis profana & impia videri didiceram.

Neque vero auctoritas Eleazari, qua *Joſephus* utitur, ad ſuum inſtitutum defendendum, & Vir S. R. ad dignitatem verſionis LXX. omninoque linguae Graecae inter Judaeos Palaeſtinos & Phariſaicos, (nam de his nobis erat ſermo) demonſtrandam, quicquam, vel illi, vel huic, prodeſt. Nam totum illud, ſive *Joſephi*, ſive *Ariſteae*, de verſione Graeca, petente Ptolemaeo, Eleazari auctoritate, & conſilio gentis publico confecta, dudum exploſum & inter commenta Judaica relatum eſt; nec de eo attinet dicere poſt tam claras doctiſſimorum virorum, *Hodii*, aliorumque, demonſtrationes: quamquam & ipſi habemus quae fortaſſe non abſurde dicamus praeter ea, quae ab illis diſputata ſunt, veluti quod prorſus incredibile eſt, illo tam brevi temporis ſpatio, quod ab occupata per Macedones Aſia ad imperium Ptolemaei I. effluxit, jam ita familiarem factam linguam Graecam Judaeis, praeſertim ſenioribus, ut interpretari Graece utcunque libros Hebraicos poſſent: praeſertim cum multa ſint in verſione LXX. ita exquiſite dicta, in Jobo inprimis & Proverbiis, quae nota jam tum eſſe hominibus, nullius cum Graecis ſcriptoribus uſus, nullo modo potuere. Quod ſi maxime fabulae credamus, tamen nec efficitur, ut exquiſitior ſcientia & majus linguae Graecae ſtudium & exquiſitioris ſermonis uſus in ſacris religioſus & probatus fuerit Judaeis, nec ut Palaeſtini Judaei verſioni LXX. multum tribuerint. Nam ut de illo modo dicam, quod eſt huic noſtrae diſputationi proprium, ex eo nihil efficitur, niſi hoc, ut neceſſitati conceſſum aliquid dicamus: quod firmat nobilis locus libri Talmudici, *Megilla*, *Morino* in *Exerc. Bibl.* p. 180. aliisque commemoratus, in quo *R. Juda* traditur dixiſſe, linguam Graecam a magiſtris non permiſſam niſi pro libro legis, atque inde ortam verſionem Aegyptiacam. In quo ipſum permittendi verbum indicio eſt, non per ſe probatam rem, ſed neceſſitati conceſſam;

ex quo nihil pro dignitate linguae Gr. aut Graecae verſionis, ſed omnia alia conſequuntur. Multo vero minus hinc colligi poteſt, elegantiae ſtudium in Graeco ſermone, praeſertim ſi ſacris rebus tractandis adhiberetur, vel probatum, vel non alienum a moribus majorum & profanum adeo putatum.

Omnino intelligendum eſt, Judaeos ſeveriores, cum uſum linguae, primum Graecae, poſt aliarum, in ſacris, in libris divinis vertendis, in tradendis inde hiſtoriis & dogmatis ſacris, neceſſitatis cauſſa permitterent, ne plane religionis expertes homines eſſent, qui Hebraica neſcirent, voluiſſe ſermonem illum externum ſervare quam maxime characterem linguae Hebraicae, ut verbum de verbo verteretur, & forma Hebraica totius orationis appareret. Quam rem etiam hunc uſum volebant habere, ut per illas verſiones Hebraicus ſermo diſci poſſet, quod eſſent eaedem Lexici inſtar. Hinc Aquilae verſio illa, quam κατ᾽ ἀκρίβειαν vocabant, tantopere probata eſt Judaeis, etiam prae verſione Alexandrina, ut notum eſt harum rerum peritis; hinc & novitiae verſiones Judaeorum omnes, nominatim barbaro-Graeca talis eſt: eaque *Graecitas Synagogae*, hoc eſt, rebus ſacris conveniens, vocatur: v. Simon. Bibl. Crit. P. IV. p. 133. hinc Symmachi contra, quae elegantiam ſequeretur, & pure Graece loqueretur, iisdem inviſa fuit, & profana exiſtimata. Cauſſa nulla alia eſt, quam quod putabant illam externae & paganicae linguae formam, quae ab Hebraica tantopere diſcreparet, & humanum cultum, concinnitatemque haberet, eſſe a ſacris alienam, & ita res ſacras ea profanari. Nec mirum hoc videri debet in Judaeis, cum ſimiliter ſenſerint ſubinde Chriſtiani; in his *Beza*, interpretationes *Caſtellionis* nonnullas Latiniores, etſi nihil ab ſenſu verborum Hebraicorum aut Graecorum diſcedentes, paganas & ſacrilegas appellans.

Atque etiamſi illa ratio in vertendis libris ſacris erat uſurpata, tamen antiquioribus temporibus tales verſiones religioſioribus non probatae ſunt, cupientibus, in Synagogis certe, cum ſacra fierent, textum Hebraicum legi. Quod nulla alia de cauſſa fieri potuit, quam quod linguam Graecam in ſacris non probarent.

Cujus

Cujus rei ſane idoneum argumentum ſuppeditat nobilis illa controverſia, quae diu vehementerque agitata eſt ab Judaeis inter Graecos habitantibus, ceterisque de Palaeſtina, moris patrii tenacioribus; cum hi Graecam verſionem ex omnibus Synagogis exterminatam vellent, illi, quod Hebraicam linguam vulgo ignorarent, Graecae verſionis uſum ſibi concedi poſtularent. Cujus rei inſigne documentum habemus *Juſtiniani* Imp. Conſtitutionem novellam CXLVI. in qua ille pro imperio componit controverſiam diuturnam & acrem, ut ipſe ait, & Graecae verſionis uſum Synagogae inter Graecos concedit. Et cum illa aetate extaret etiam *Symmachi* elegantior verſio, & *Theodotionis* ex utroque genere mixta, tamen Judaei Alexandrinam & Aquilae modo verſionem uſurpandi jus & facultatem petierunt.

Jam me non fugit, haec tempora eſſe quatuor amplius ſeculis remota a *Joſephi* aetate: & quae ſexto ſeculo opinio ac ſuperſtitio Judaeorum fuerit, eam non ſtatim in primum convenire. Sed quia illa controverſia dudum exorta fuiſſe dicitur, & talia non repente exoriuntur, nec Palaeſtinorum poſtulatum ullam probabilem aequitatis ſpeciem habebat, niſi antiqua traditione & more defenderetur: non abſurdum profecto fuerit, inde cauſſae noſtrae munimentum petiiſſe. Illo autem argumento vix audeam uti, apud adverſarium quidem acerbum & reprehendendi cupidum, quod duci poſſe videatur e Judaico de ſanctitate linguae ſuae commento, cum dicunt, linguam Hebraicam, qualis eſt in libris ſacris, a Deo originem ducere, ab eo deſtinatam eſſe populo ſuo, & conſecratam tradendis oraculis ſuis, ſolam aptam eſſe divinis rebus generi humano tradendis. Unde fit neceſſario, ut linguae ceterae omnes cum Graeca ſint impurae profanaeque, quas nec Deus tradendis oraculis adhibuerit, nec homines adhibere fas ſit, ut praeclare & copioſe docet *Schultenſius* in praefatione Comm. in *Prov. Salomonis*. Sed hoc commentum profecto per odium Chriſtianorum excogitatum eſt, nec *Joſephi* aetatem attingit. Ceterum illud haud dubitanter adfirmaverim, in eo nihil aliud eſſe, niſi veteris opinionis, de

qua

qua ſupra diximus, ampliorem exornationem & latiorem explicationem.

At *Joſephus* nobis adverſatur ipſe. Quomodo? Cum multi, ait, in hoc elaboraverint, ut res Judaicas Graece ſcriberent, μόλις τινὲς δύο ἢ τρεῖς κατώρθωσαν, *vix duo aut tres*, non, id *ſatis tolerabiliter perfecerunt*, ut V. D. interpretatur, ſed *eam rem bene ac feliciter egere*, καὶ τῶν πόνων τὴν ἐπικαρπίαν εὐθὺς ἔλαβον, *& fructum laboris*, i. e. laudem, *cepere*: quo loco fruſtra addit *ab omnibus noſtris*. Iſtos autem tres putat eſſe *Demetrium Phalereum*, *Philonem Seniorem* & *Eupolemum* ex primo in Apionem: in quo difficiles non erimus. Nec enim obeſt nobis. Quid inde colligit? primum a Judaeis res ſacras Graecis literis bene ſcriptas (nam aliter intelligi vix poteſt, ſi contra nos aliquid valere debet) nominatim iſtis tribus, quia ἐπιχωρείῳ (non ἐπιχωρείᾳ) παιδείᾳ valebant: deinde eos a Judaeis laudem tuliſſe. At primum hi Graeci omnes, auctore *Joſepho* ipſo. Deinde ſi maxime Judaei fuerunt; a quibus laudem tulerunt? Ab Alexandrinis tuliſſe, qui literas Graecas accurata diſciplina ipſi percepiſſent, ut a *Philone*, nil mirum: nec de his nobis ſermo fuit: ab Palaeſtinis & Phariſaicae diſciplinae addictis tuliſſe, quomodo doceri poteſt, tacente Joſepho, atque etiam Graecorum cognoſcendorum liberam facultatem relinquente? aut quomodo veroſimile eſſe poteſt per ea, quae ſupra diſputata ſunt? Itaque nec *Philonis* exemplum contra noſtram ſententiam valere poteſt. Neque enim hoc quaeritur, an inter Judaeos Alexandrinos, vel etiam Palaeſtinos fuerit, qui Graecas literas didiciſſent accurate, & bene Graece de rebus ſacris ſcriberent, & an hi ipſi eam diſciplinam ac rationem non profanam duxerint: immo vero hoc concedimus libenter: illos duos aut tres *Joſepho* laudatos, fuiſſe Judaeos potius credimus, quam Graecos: ſed an diſciplina Phariſaica Palaeſtinorum Judaeorum id probarit, & non alienum a moribus majorum atque religionis ſanctitate duxerit. Quod ſi talibus exemplis res confici poteſt, quidni etiam non profanum putatum dicamus ἐπισπᾶσθαι, quod multos, qui inter Graecos viverent, factitaſſe conſtat, palaeſtrae operam dare, ludis gentilium intereſſe, aut adeo ludos edere,

quod

quod Herodem feciſſe ſcimus cum magna admiratione adulatorum, ſed pari invidia eorum, qui patrios mores tenerent, ac defenderent.

Nec vero conſequens eſt, quia Judaei ſacrorum ſuorum bona non occultabant, ſed cum aliis communicare parati erant, cupientes proſelytos quam plurimos facere, propterea iis ſtudium linguae & ſcriptionis Graecae, quale in *Joſepho* fuit, non profanum viſum eſſe. Neque enim ad eam rem opus fuiſſe literis & diſciplina Graecorum & libris ad Graecorum rationem eleganter exquiſiteque ſcriptis, & res & exemplum Apoſtolorum planiſſime declarat. Maluiſſe credibile eſt id fieri lingua ſua; ſed cum id fieri non poſſet, utebantur ſane lingua Graeca neceſſario, ſed ejus facultate vulgari, & Hebraicae quam ſimillima, ſatis habentes intelligi, non cupientes Graece diſerti videri, & eo nomine laudari a Graecis, quod *Philo*, *Joſephus*, & pauci alii expetebant. Ne illud quidem aliquid contra valet, quod *Joſephus* in ſecundo c. *Apion.* Judaeos, ait, a Graecis magis ſedibus quam inſtitutis (τοῖς ἐπιτηδεύμασι) ſejunctos eſſe. In quo aut plane mentitus eſt, cum toto coelo Graecorum & Judaeorum mores & inſtituta fuiſſe disjuncta conſtet, aut molliori interpretatione juvandus eſt. Neque enim, quae defendendi cauſſa in tali diſputatione dicuntur, ἀκριβῶς & proprie accipienda ſunt. Et ſi non verebatur negare odium Judaeorum adverſus gentes a ſacris ſuis alienas, quod ab illis temporibus ad noſtra propagatum durat: non erat profecto, quare communia iis inſtituta tribuere dubitaret. Illud autem vix refutatione eget, quod Palaeſtinos Judaeos negat Vir S. R. profanum judicare potuiſſe, quod ingenti numero Judaei in Aegypto & multis terrarum partibus probarent, minimeque alienum a religione ſua ducerent. Non venit in mentem, quae in vulgaribus etiam rerum Hebraicarum libellis de odio traduntur, quod Judaeis Palaeſtinis, qui ſe propter conſervationem linguae ſanctae, & accuratioris diſciplinae, prope ſolos genuinos Judaeos putarent, cum Helleniſtis, h. e. cum Alexandrinis & ceteris Graeca lingua utentibus interceſ-

 ſit:

ſit: cujus etiam in Actis Apoſtolicis veſtigia reperiuntur. Ex quo ipſo, ut hoc obiter addam, diluitur dubitatio mota adverſus locum diſputationis Flavianae eum, in quo Palaeſtinis Judaeis verſionem Alexandrinam non admodum placuiſſe diximus: in quo adeo conſentiunt viri doctiſſimi, ſi ab iis receſſeris, qui cum *Voſſio*, *Morino*, aliisque paucis, verſionem illam Hebraico exemplo praeferunt, ut id pro certo conceſſoque in illa diſputatione ſumere licuerit. Ceterum qui tam vulgata ignoret, eum ad Vener. *Carpzovii* Critic. S. P. II. c. 2. amandem.

Atque ut hoc in univerſum addam, quomodo mira videri tota res & non potius maxime conſentanea ingenio Judaico, quod omni tempore ſua modo admiratum eſt, & in externis ita haeſit, ut interiora & meliora negligeret, ſuperſtitionique iſtius gentis ſtultiſſimae. Enimvero, quis neſcit, etiam inter Chriſtianos ſaepe iſtud fanaticum literarum, Graecarum inprimis & Latinarum, odium invaſiſſe quorundam animos, qui vel propter ſuperbiam, quae ipſi ignorarent, contemnerent, vel propter ſtultitiam ſuperſtitioſam earum literarum ſtudium & ſcientiam religioni & pietati periculoſa jactarent? Et cum doctiſſimi Eccleſiae noſtrae Theologi, auctore Luthero, ita faſſi ſint, per earum literarum ſtudia viam munitam ad reſtituendam religionis Chriſtianae integritatem, ut iis opprimendis viam fieri ad veterem ſuperſtitionem dicerent, eosque tantum non conductos a Romanenſibus ad ſubruendam per cuniculos Eccleſiam noſtram videri, qui harum literarum ſtudium oppugnarent, & Theologiae ſtudioſis eripere tentarent: tamen nemo neſcit, ſubinde quosdam Judaicam illam ſuperſtitionem & ſtultitiam ſuſcepiſſe, & iſtis literis earumque ſtudio aliquam profanitatis labem adſpergere conatos eſſe. In hac noſtra quidem Academia nunquam defuere Theologi, qui ab iſta vel ſuperbia vel ſuperſtitione eſſent alieniſſimi, & bonas literas vel commendarent aſſidue, vel ipſi feliciter tractarent. Ex eo genere fuiſſe reperimus *Martinum Geierum*, Interpretem V. T. omnibus, quos Eccleſia noſtra habuit, facile principem, eo-

que

que nomine etiam exteris mirifice laudatum. Sed ille tenebat veram interpretandi rationem, ſolitus non e compendiis vel metaphyſicis vel theologicis interpretari, ſed, ut ait in praefatione Commentarii in Pſalmos, notiones verborum per ſe, & e linguae indole, & e quolibet contextu, denique comparatione verſionum indagare & explicare. Hujus filius fuit, qui & literas ipſe tractavit, & earum inſigni amore ductus, moriens reditus annuos alendis in Communi Academiae noſtrae prytaneo duodecim juvenibus deſtinavit, &c.

DOM. MAGNANI SENTENTIA DE ANNO CHRISTI NATI EXAMINATUR.

Dies omnium, qui ab origine prima rerum illuxere hominibus, maxime inſignis ad memoriam & laetitiam ſine dubitatione eſt ille, quo ſalutis humanae auctor, Jeſus Chriſtus, natus eſt. Itaque nec mirum eſt, multos omni tempore doctos homines, in eo definiendo laboraſſe, inprimiſque magno ſtudio annum, in quem ille incidiſſet, requiſiviſſe, praeſertim poſtquam, auctore Dionyſio Exiguo, inſtitutum eſſet, annos rerum geſtarum numerare ab eo anno, ad quem ille nati Jeſus Chriſti diem retuliſſet, i. e. anno Urbis Rom. 754. quo Conſules Romae

Romae fuere C. Caeſar & L. Aemilius Paullus. Et illud quidem ab omnibus, qui Dionyſianam ſententiam accurate examinavere, repertum eſt, eam a veritate aberrare. Sed cum facilius ſit, in rebus obſcuris ac dubiis falſa refellere, quam certi quid reperire; non eſt mirandum, ſi illi ipſi, qui Dionyſiani calculi vitium conſenſu agnoviſſent, in definiendo eodem anno inter ſe diſſenſere. Et illud quidem non jam a peritioribus dubitatur, verum annum Dionyſiano eſſe priorem: ſed qui ſit, pro certo nemo auſus eſt pronunciare, unamque in eo probabilitatem ſequendam judicarunt omnes. Sed in hoc tamen fere conſentiunt adhuc, verum annum eſſe unum ex iis, qui ab anno Urbis 748. ad 754. fluxere, pluribus tamen in annum 751. inclinantibus, cum *Joſ. Scaligero*: nuper autem in Italia exortus eſt, qui ab hoc conſenſu recederet, & anno ante Dionyſianum octavo diem nati Jeſu adſignaret, *Dominicus Magnanus*, Philoſophiae & Theologiae Profeſſor, idem in omni genere literarum elegantiorum verſatus egregie, & tum aliis libris doctis, tum ſuperiori anno Romae edito opere numiſmatico, quod *Numiſmata Bruttia*, ſ. *Calabriae populorum*, inſcribitur, de literis bene meritus. Hanc ſuam ſententiam, in quam per occaſionem numi *Herodis Antipae*, in numophylacio Clementis XIV. reperti, incidit, libro proprio, eoque eruditiſſimo, cui titulus eſt: *Problema de anno nativitatis Chriſti*, propoſuit, & argumentis firmare tentavit Romae 1772. 8. quem nuperrime in Bibliotheca Theologica recenſuimus. Eam autem ſententiam & ejus argumenta diligentius excutere, non alienum ab hoc tempore & hujus ſcriptionis noſtrae conſilio putavimus.

Nititur autem haec ſententia maxime anno cenſus, qui dum ageretur, natum eſſe Jeſum, tradit Lucas. De eo igitur erit videndum. Hunc autem putat ac demonſtrare inſtituit pertinere ad illum ipſum octavum annum. Eo igitur res fere redit, ut ejus de rei veritate quaeratur. Demonſtratio quidem V. C. eſt hujus modi. Suetonio auctore, Auguſtus ter cenſum egit. Anni vero cujusque cenſus definiuntur ex An-

cyrano monimento: in quo primum, dicit Auguſtus, egiſſe ſe in conſulatu ſexto, cum haberet collegam Agrippam: qui fuit annus ante aeram Dionyſianam duodetriceſimus: Alterum C. Mario Cenſorino & C. Aſinio Gallo conſulibus; qui fuit annus ante eandem aeram octavus: tertium denique Tiberio collega, ſcilicet tribunitiae poteſtatis, Sext. Pompejo & S. Appulejo Coſſ. qui fuit annus aerae illius quartus decimus. Ex his porro tribus cenſibus neceſſario, ait V. C. intelligi debere apud Lucam ſecundum, quo tempore adhuc Herodes vixerit. Sed deceptus eſt vir doctiſſimus in hac ratione verbo *cenſus*. Nam ille cenſus plane diverſus eſt ab eo, quem Lucas memorat: quod facile poterat animadvertere, ſi attendiſſet ad verba monimenti. Nam Auguſtus dicit ſe egiſſe *cenſum populi Romani*, additque etiam numerum civium Rom. tum repertum. Enimvero cenſus Lucae non fuit civium Romanorum: in civium enim numero non erat Joſephus: ſed provincialium, cujus generis cenſus etiam apud hiſtoricos veteres memorantur, ut apud Tacitum Ann. I. 31. ubi Caeſar Germanicus Galliae cenſum egiſſe dicit, ab eodemque II. 6. miſſi dicuntur ad cenſus Galliarum. Atque ab hoc lapſu caviſſet, opinor, ſibi, ſi ei contigiſſet editionem illius monimenti Chishullianam videre, & notas inſpicere ad illum locum *Chishulli*, qui bene monuit, deceptos eſſe viros, qui hunc cenſum Auguſti eundem cum cenſu Lucae fecerint, cum ille fuerit civium Romanorum ex inſtituto Servii Tullii, hic ab Auguſto inſtitutus ad uſum rationarii Imperii Rom. Decepit etiam viros doctos verbum οἰκουμένης apud Lucam, quod illi de toto orbe Romano capiebant, cum ſit tantum de una provincia Judaea intelligendum, quae & ipſa ſola οἰκουμένη dici potuit, intellecto ὑπ' Ἰουδαίους; ſicut, cum de orbe Romano id verbum dicitur, ὑπὸ Ῥωμαίους intelligendum eſt, quod diſerte addit Herodianus Hiſt. L. V. §. 2. ubi eſt πᾶσα ἡ Ῥωμαίων πόλις, καὶ σχεδὸν ἡ ὑπὸ Ῥωμαίους οἰκουμένη. Atque ſic ὅλη οἰκουμένη dicitur Act. XI. 28.

Enim-

Enimvero in ea re hanc videbat difficultatem exiſtere, quod ille cenſus Judaicus dicitur a Luca actus eſſe, *Quirino* Syriae Praeſide, cum certum ſit, illo anno, quo Auguſtus cenſum illum alterum egit, Syriae Praeſidem fuiſſe *Sentium Saturninum*: quod etiam aliis viris doctis moleſtum fuit, Lucae locum interpretantibus. Ipſe *Magnanus* putat, ἡγεμονεύοντα intelligendum, non *Praeſidem*, ſed *Cenſorem* aut *Procuratorem*: nec aliam ob cauſſam Quirinum ſic appellari, quam, quod munus cenſus agendi per Syriam habuisſet: eodemque modo Pilatum vocari ἡγεμόνα, cum ille proprie non *Praeſes* fuerit Judaeae, ſed tantum *Procurator*, unde & idem ab Juſtino ἐπίτροπος appelletur, quod procuratorem exprimit. Unde fieri, ait vir Cl. ut cenſus Judaeae actus ſit a Quirino Procuratore Syriae, nomine & auctoritate Saturnini Praeſidis Syriae.

Sed in his plus vice ſimplici erraſſe V. Cl. demonſtrari poteſt. Primum formula haec ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας manifeſte eſt ad definiendum tempus, non ad deſignandum miniſtrum rei peragendae. Sed in deſignando tempore Praeſides appellantur provinciarum. Tum nunquam Procuratores ἡγεμονεύοντες provinciarum dicuntur, niſi cum iidem provinciis praeſunt cum poteſtate juris dicundi; ſatisque conſtat, eos, qui minores provincias regerent, *Procuratores* Auguſti appellatos, ut in Conſtantiniana ratione poſtea *Correctores*. Quod ſi Quirinus tum Procurator in Syria fuiſſet, eique mandatus cenſus Judaeae, quod ſane potuiſſet fieri: liberum enim erat Caeſari, mandare negotium, cui vellet: & ſi Praeſidi ipſi mandatum fuiſſet, potuiſſet is aliquem vel de legatis aut praefectis militaribus, vel de Procuratoribus Caeſaris, mittere ad cenſum per Judaeam agendum, quem vellet, quemque maxime ei rei aptum putaret, ut in memorabili illa inſcriptione apud Muratorium in Theſ. novo Inſcr. p. DCLXX. n. 1. *Q. Aemilius* quidam, Praefectus Cohortis Aug. juſſu P. Quirini cenſum feciſſe dicitur Apamenae civitatis in Syria. Sed ita Lucas non dixiſſet aut potuiſſet dicere ἡγεμο-

νεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, ſed διὰ τοῦ Κυρηνίου, ἐπιτρόπου τοῦ Καίσαρος ἐν Συρίᾳ. Atque etiam hoc obſtat inprimis, quod nullo modo credi poteſt, P. Sulpicium Quirinum Procuratorem Caeſaris fuiſſe. Etenim Procuratores Caeſaris erant fere liberti ejus, adeoque homines conditionis libertinae: quod plane ab Sulpicii abhorret perſona, qui ſenator Romanus fuit, & magiſtratus urbanos geſſit, ad Conſulatumque uſque pervenit. Nec dubitari poteſt, hunc Quirinum non modo Senatorem eo tempore fuiſſe, ad quod haec res pertinet, ſed etiam Conſularem; quippe qui jam anno V. 742. Conſulatum geſſerat, duodecimo ante primum aerae Dionyſianae anno. Itaque, etſi, ut Dio Caſſius L. LIII. p. 708. ed. Fabric. tradit, interdum etiam equites Procuratores facti ſunt Caeſaris; tamen Quirinus Procurator eſſe non potuit: nam equites intelligendi ſunt ii, qui non eſſent ſenatores aut magiſtratus. Eſt locus de hoc Quirino apud Tacitum, qui ſpeciem veritatis afferre opinioni poſſit, Ann. III. 48. ubi dicit eum non fuiſſe e patricia Sulpiciorum familia, ſed ortum apud municipium Lanuvium, & *impigrum militiae & acribus miniſteriis*, Conſulatum ſub D. Auguſto, mox & triumphi inſignia adeptum eſſe. Etenim in *miniſteriis* poſſit procuratio intelligi. Sed illa verba nihil aliud ſignificant, niſi Sulpicium in rebus militaribus, & in omnibus, quae ipſi ab Auguſto mandatae eſſent, gerendis, acrem & induſtrium fuisſe: in quo procuratio provincialis intelligi non poteſt, ut opinamur, in qua magis fides laudetur, quam celeritas acris in agendo.

Sed quid fiet, dicat aliquis, verbis Lucae de Quirino, ſi non poſſunt hoc modo, de Procuratore Quirino accipi, ut Lucas dicat, eum primum cenſum per Procuratorem Quirinum factum eſſe? Quamquam nunc a nobis non hoc agitur, ut interpretemur illum locum: de ſententia *Magnani* dicere inſtituimus: tamen non praetermittemus occaſionem ſententiae noſtrae proferendae, praeſertim cum eam rationem, quam nos probamus, impugnet *Magnanus* p. 318. Nempe ſequimur *Jo. G. Herwarti* interpretationem, qui

qui intelligit verba Lucae, πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος Σ. Κυρηνίȣ, ſic: *hic cenſus fuit actus ante Quirinum Praeſidem Syriae*, per quem ſcil. alius poſt cenſus actus eſt Judaeae, famoſior ille, propter ortos per ejus occaſionem tumultus, & qui *cenſus* diceretur vulgo ſimpliciter, ut *Act.* V. 37. Hanc interpretationem repudiat Cl. *Magnanus*, ſola oppoſita *Caſauboni* auctoritate, qui contra eam dixit in Exerc. adv. Baron. p. 129. Sed poſt *Caſaubonum* ſummi viri eam probarunt, *Reineſius*, *Coccejus*, inprimisque *Jac. Perizonius*, qui eam in Diſſ. *de Auguſtea deſcriptione Luc.* 2. ita & defendit & confirmavit, ut contra dici, quod vim habere poſſit apud ſatis eruditos homines, nihil poſſe videatur: adſtipulantibus aliis doctiſſimis in hoc genere literarum viris, ut *Weſſelingio* in Diſſ. ad inſcriptionem antiquam, ſupra commemoratam, *Abreſchio*, V. C. Dilucidat. Thucyd. p. 511. &c. qui & illam rationem temporis deſignandi per aliud factum clarum, exemplis demonſtrat, uſitatam optimis antiquis ſcriptoribus fuiſſe. Hac autem interpretatione illius loci probata, tollitur prorſus ratio *Magnani*, V. C. Nam quod Juſtini auctoritatem opponit, qui in Apol. I. 44. Imperatores, ad quos ſcribit, dicit de Jeſu Bethlehemi nato cognoſcere poſſe e cenſibus, tempore primi in Judaea Procuratoris Caeſarei actis: id plane infirmum eſt. Nam ſi Juſtini auctoritas valeret, non Syriae Quirinus, ut ipſe vult, ſed Judaeae Procurator fuiſſet: quod eſt falſum & omnium aliorum Hiſtoricorum teſtimoniis refellitur. Nam Herode rege vivo, Procuratorem Caeſareum habere Judaea non potuit: omnesque uno ore veteres tradunt, Procuratorem Judaeae primum *Coponium*, per Quirinum Syriae Praeſidem Judaeae impoſitum, fuiſſe.

Sed, ut veniamus ad id, cujus cauſſa haec ſcriptio inſtituta eſt, ſi tanti fuit viſum viris multis atque eruditiſſimis, tantum ingenii, ſtudii & laboris in tempore nati Chriſti definiendo conſumere; quanto magis dignum videri debet homine Chriſtiano, rem ipſam illam, quae tam illuſtrem atque inſignem eum diem fecerit, accurate cognoſcere, ejus omnem vim ac

Dd 5 ma-

magnitudinem toto animo complecti, & accurata pietatis quaſi lance ponderare, ut & beneficii nobis per eam parati praeſtantiam & auctoris majeſtatem amabilem ſenſu acerrimo percipiat, eoque ſenſu ad veram pietatem incendatur, &c.

DE
PASCHATE CHRISTIANORUM
CUM
JUDAICO CONCURRENTE.

Literis Ratisbonenſibus nuper cognovimus, Regem Potentiſſimum Boruſſiae, admonitum ab Academia Berolinenſi, detuliſſe ad Conſilium Principum Germaniae Euangelicorum, anno hujus ſeculi duodeoctogeſimo fore, ut Paſcha noſtrum incideret in eum diem, quo Judaei Paſcha ſuum agerent, ut de ea re, id eſt, de Paſchate noſtro in alium diem differendo ac definiendo deliberaretur, & de more, lege Nicena inſtituto, decerneretur. Socii illuſtris illius Academiae ſive Mathematicorum ejus aliquis, utrum id ſuis rationibus repererit, an e *Jo. Bernullii* Epiſtola ad Senatum Tigurinum didicerit, qua ei, de die Paſchatis anni 1724. in comitiis Ratisbonenſibus conſtituto conſultus, reſpondit, & obiter monuit, eandem rationem cauſſae Paſchalis a. 1778. fore, quae tum fuerit, & quid ſibi de tota illa re videretur, declaravit, T. IV. opp. p. 474. nec poſſumus

mus decernere, nec refert ſcire. Vero ſimile autem nobis videtur, ſi eam Vir ille doctus legiſſet, taciturum potius, quam ad Principem delaturum rem fuiſſe. Nobis autem non alienum viſum eſt a perſona noſtra, ſuper hac Paſchali, quae nunc agitabitur publice, cauſſa ſententiam & conſilium dicere, cujus rei nobis etiam quidam eruditiſſimi Theologi, quibus cum de ea re locuti ſumus, auctores fuerunt. *Bernullius* quidem ille, rem hanc non modo Aſtronomici judicii eſſe, dicit, ſed etiam Theologos audiendos eſſe atque Politicos p. 494. Et ille quidem Theologorum judicium omne ad religionis rationem refert; ex qua non tam referre, qua die ſacra Paſchalia fiant, quam quomodo fiant: In quo ille anguſtius concluſit Theologicam in hac cauſſa rationem. Nam & in hanc partem erant conſulendi Theologi, quae ad hiſtoriam totius rei pertinet, ſed ii, qui eam per juſtam literarum Graecarum Latinarumque ſcientiam, ex ipſis fontibus Eccleſiaſticorum monumentorum hauſiſſent. Sed ii, qui tum erant, cum adhuc libri de hiſtoria Eccleſiae multos haberent errores ab inſcitia linguarum natos, in his hunc ipſum de Paſchali cauſſa. Etenim, cum ſerioribus ſeculis Clerici illud decretum Nicenum de Paſchate Chriſtianorum non agendo eodem cum Judaeis die ex vocabulariis puerilibus intelligerent ſic, *daſs die Chriſten das Oſterfeſt nicht an dem Tage feyern ſollten, an dem die Juden Oſtern halten*, & cauſſam illius decreti veram ignorantes, in odio Chriſtianorum erga Judaeos quaererent, inde omnes libros haec opinio pervagata eſt, ut Chriſtianis non licere putaretur, Paſcha ſuum eodem cum Judaeis die agere. Atque hinc orta eſt ea, quae ad hanc diem manſit conſuetudo, ut in definiendo Paſchatis Chriſtiani die, ſi deprehenſum eſſet rationibus aſtronomicis, eum incidere in diem Paſchalem Judaeorum, ſolemnia noſtra Paſchalia differrentur in proximam Dominicam diem. Sed illam interpretationem decreti Niceni eſſe falſam atque ridiculam, hoc noſtro ſeculo demum a nonnullis viris doctis eſt animadverſum atque etiam ita demonſtratum, ut nihil contra dici poſſit. Superiori quidem jam ſeculo errorem videtur vidiſſe *Joach. Hildebrandus*, Helmſtadienſis Theologus, rerum ille hiſtori-

ri-

ricarum ſtudioſiſſimus, & notaſſe in *Enchiridio de priſcae Eccleſiae ſacris publicis* &c. ſed ſine effectu. Diligentius rem explicavit & demonſtravit *Daniel*, Francogallus, Vir Celeb. in libello *de diſciplina Quartodecimanorum in celebrando Paſchate* T. III. opp. 473. ſ. cujus rei notitia ad Germanos quosdam venit, *Heumannum* & *Moshemium*, ex Ephemeridibus, opinor, literariis; nam ille quidem non ipſum a ſe lectum libellum fatetur, ſed ita, ut rem diligentius excuterent, & *Danielem* verum vidiſſe agnoſcerent, ille in Programmate Paſchali ſuper hac re ſcripto, hic in Comment. de rebus Chriſt. ante Conſtantini M. tempora p. 439. quos deinde & alii ſecuti ſunt, *Walchius* in hiſtoria Controverſiarum, P. I. & nuperrime *Schroekius*, V. C. in Hiſt. Eccleſ. P. III. p. 51. Sed age, de tota re breviter & ad conſilium noſtrum accommodate exponemus.

Paſcha proprie dictum eſt beneficium a Deo Iſraëlitis in Aegypto tributum, cum ille perdens una nocte omnes Aegyptiorum primogenitos, Iſraëliticos intactos reliquit, & aedes Iſraëlitarum, in quibus ex ejus praecepto, agnus mactatus & conſumtus coena eſſet, & quarum januae ſanguine illius agni eſſent reſperſae, veluti *tranſiſſet*. Uſus deinde loquendi, ut fit, mutavit primam illam ſignificationem, & id verbum de ipſo agno, & convivio ex ejus carne facto, denique die, quo agnus mactaretur & comederetur, dictum eſt; dum fierent formae loquendi ad exprimenda ea, quae in memoriam illius tanti beneficii fierent, ut *facere paſcha*, *mactare paſcha*, in quibus ſimilibusque formis intelligebant *propter*, ut Graeci, cum dicunt, v. c. θύειν γάμον, *ſacrificium facere nuptiarum cauſſa*. Nec alio ſenſu verbum *paſcha* in libris ſacris dicitur, aut, quod nos quidem animadverterimus, in libris Graecorum & Latinorum Eccleſiae ſcriptorum ante Nicenum concilium. Poſtea, ſerius quidem, coepit etiam dici, noſtro more, de die memoriae reverſi in vitam Jeſu Chriſti ſacro; non, ut vulgo exiſtimarunt, quod reditu Chriſti in vitam nobis ſecuritas a pernicie parta eſſet, ſed quod eo die, ut apud Judaeos, agnus coena conſumeretur. Etenim etſi Chriſtiani non igno-

ignorabant, ritum illum Judaeorum, ſicut alios, circumciſionem, victimas animalium, non neceſſario ſervari, ſed ſine noxa omitti poſſe: tamen putarunt eum commode & utiliter ſervari poſſe ad colendam memoriam ultimi illius convivii paſchalis, quod Jeſus cum diſcipulis ſuis amantiſſime feciſſet, inſtituto etiam ſaluberrimo Euchariſtiae ſacramento, & illud ipſum ſacramentum uſurpandum: unde illa ipſa *coena* a Latinis *dominica* coepit dici; cujus generis exempla nos reperimus: isque mos etiam diu poſt Nicenum concilium duravit. Et quia Jeſus illam coenam tempore Judaeis praefinito ſumſerat, eandem illi diem ſervandam in hac coena putabant, quod id ad acuendum memoriae illius ſenſum valere poſſet. Poſt de die quidem, quo illa coena agenda eſſet, coeperunt variare Chriſtiani, aliis illum diem ſervantibus, aliis deſerentibus, & rem ad ſequentes dies inprimisque diem Dominicam proximam transferentibus: unde controverſia orta, leniter illa primum, poſt vehementer agitata; cum eſſent, qui nullo modo probari poſſe dicerent, eam coenam cum Judaeis, ſive eo, quo Judaei ſolerent, die fieri. Cauſſa autem illius diſſidii non erat in odio Judaeorum, ut vulgo exiſtimavere recentiores, ſed in jejunio ſolemni, quod eo die & proximis ante diem dominicam agebatur ex inſtituto eccleſiaſtico, & illa coena tolli, nefas putabant, ejusque ſervandi cauſſa eam in diem dominicam laetam illam ex reditu Jeſu Chriſti in vitam, transferri debere. Atque in hanc partem decrevit Nicenum concilium. Ex quo etiam factum eſt, ut Graeci poſt πάσχα duplex facerent, σταυρώσιμον, quod eſſet idem Judaicum, die, quo Chriſti paſſio coeperit, alterum ἀναστάσιμον, quod die tertio poſt fieret, quo Chriſtus in vitam rediſſet. Atque hinc omnis illa confuſio orta eſt, poſtquam mos convivii priſco more faciendi ſublatus, diesque ille uni Jeſu in vitam reverſi memoriae celebrandae deſtinatus eſſet: eſtque perſpicuum, illam Nicenam legem de Paſchate Chriſtianorum non celebrando ea die, qua Judaicum fit, ad nos nihil pertinere, fruſtraque in hoc laborari, ut rationibus Aſtronomicis accurate ſubducendis reperiatur, an Paſcha noſtrum, quod proxima a primo poſt aequinoctium vernum plenilunio die ſolis agere ſolemus, in-

incidat in diem Paſchatis Judaici: qui labor, ſi mos receptus manſerit, hoc ſeculo repetendus erit, anno 94. praeſertim cum omni illo labore raro aut nunquam aliquid certi reperiatur, atque adeo, ut bene is, quem ſupra laudavimus, *Bernullius* demonſtravit, incommoda quaedam non parva oriri poſſint.

Quid igitur ex his fit, quid faciendum videtur? Scilicet optandum eſt atque ſuadendum, ut Principes Eccleſiarum Proteſtantium in Germania, hac re cognita, ſuperiorum temporum morem in Paſchali cauſſa decernendi relinquant, & conſilium *Bernullii* ſequantur, qui auctor fuit, ut potius aliqua dies Dominica vernalis definiretur, qua ſemper Paſcha fieret, atque inde totus annus Eccleſiaſticus ordinaretur: quam ego quidem quartam aut quintam decimam eſſe velim. Hujus conſilii plures cauſſas probabiles videor mihi habere. Nam primum, quis non videt, eſſe dignitatis tum Principum, tum Eccleſiae noſtrae, eam labem, quam Eccleſia noſtra ex illa conſuetudine Paſchatos noſtri differendi, ubi cum Judaico concurrit, ſuſcepit, deleri atque elui. Neque enim ullo modo dignum atque honeſtum eſt Eccleſiae noſtrae, ſervari ab ea, quod totum ab ignorantia gravi ac prope ridicula natum eſt. Aliquoties accidit mihi, ut cum, in hiſtoria Eccleſiaſtica tradenda, illam cauſſam explicarem, & unde conſuetudo noſtra Paſchatos differendi, cum in Paſcha Judaicum incideret, orta eſſet, docerem, juvenes riderent.

Quod ſi dignitatis ratio non valet, quae vel maxime debet valere, at utilitatis variae ratio valeat. Nam illud noſtrum vel *Bernullii* conſilium tum mercaturae exercendae rationibus opportunum eſt, tum etiam ipſarum, quae nobis maxime curae ſunt, literarum ſtudiis. Et mercaturae quidem opportunitas exiſtet ex eo, quod ita mercatus plures & illuſtres, quorum tempora definiuntur Paſchate, facilius & commodius poterunt a mercatoribus adiri, & amoenius tum itinera fieri, tum ipſi mercatus dies tranſigi. Quid vero? Academicis rationibus non admodum opportuna res erit? Etenim, quoniam annus Academicus fere a

Pa-

Paſchate initium capit, & cum eo in orbem redit, eoque tempore maxime juvenes vel petunt Academias, vel exacto ſtudiorum curſu, relinquunt; facile intelligitur, itinera iis commodiora fore, & deinde cum his, qui in Academiis diſcunt, tum doctoribus commodiorem anni deſcriptionem futuram, ad lectionum modum, ne ille quadrans anni, qui Paſchate finitur, aut brevior juſto ſit aut longior: quorum illud ſolet feſtinationem in docendo afferre iis, qui diſciplinam, quam tradunt, abſolvere cum Paſchate volunt, aut ex legibus debent: quod eſt ſane malum Academicum non leve, & vel ſic valde hodie in Academiis uſitatum: hoc autem aeſtivum curriculum brevius facit, unde eadem incommoda naſcuntur.

Ceterum haec diſputatiuncula cum doceat, quam neceſſaria ſit Theologis accurata ſcientia linguarum, ne in errores ridiculos incidant, & controverſias inanes, & tamen noxias moveant, utque his judicandis & accurate diſcutiendis idonei ſint, non aliena nobis, ut a tempore praeſenti, ita ad actionem, cujus teſtes eſſe quam plurimos cupimus, viſa eſt. Agetur enim hoc die proximo Jovis, ut honoribus Doctoris Theologiae ornemus virum, quem in Colloquiis, experiendae doctrinae ejus cauſſa inſtitutis, cognovimus egregie inſtructum earum linguarum ſcientia, quibus interpretatio librorum ſacrorum, tum Hebraicorum, tum Graecorum, continetur. Quo etiam libentius ei honores illos, quos petiit, decrevimus, ſperamusque, eum doctrina illa ſua plurimum utilitatis & Eccleſiae & ejus miniſtris, qui eum Ephorum venerantur, allaturum.

INDEX

INDEX OPUSCULORUM.

I.
De Negotiatoribus Romanis. Pag. 1

I I.
De Solariis. 21

I I I.
De privata Romanorum diſciplina. 32

I V.
De Actorum S. P. Q. R. diurnorum origine. 45

V.
Animadverſiones philologicae in librum Francicum de Cauſſis Legum. 52

V I.
De fide hiſtorica recte aeſtimanda. 64

V I I.
Pro Fabii fide adverſus Polybium. 102

V I I I.
Quibus Literarum diſciplinis, & quatenus Chalcographia proſit? 113

I X.
De grata negligentia orationis. 120

X.
Hiſtoria Critica operum Ciceronis typographorum formulis editorum. 135

X I.
Narratio Critica de Editionibus Orationum Ciceronis. 155

X I I.
De veſtigiis linguae Hebraicae in lingua Graeca. 171

X I I I.
Defenſio veterum philoſophorum adverſus eos, qui methodum mathematicam ab iis vel ignoratam vel male neglectam eſſe contendunt. 183

XIV.

X I V.

De difficultatibus Novi Teſtamenti recte interpretandi. Pag. 198

X V.

Pro grammatica Interpretatione librorum inprimis ſacrorum. 219

X V I.

De vanitate philoſophantium in Interpretatione librorum SS. 233

X V I I.

De difficultate interpretationis grammaticae Novi Teſtamenti. 252

X V I I I.

De Origene, interpretationis librorum SS. grammaticae auctore. 288

X I X.

Specimen Caſtigationum in Jo. Jac. Wetſtenii editionem N. Teſtamenti. 326

X X.

De templo Herodis M. ad Aggaei II. 10. *&* *Joſeph. A.* I. XV. 347

X X I.

Exercitationum Flavianarum Prima, de Fontibus Archaeologiae. 363

X X I I.

Exercitationis Flavianae I. *Corollarium, de Joſephi ſtilo.* 395

X X I I I.

Exercitationis Flavian. I. *Corollarium Alterum, de Odio Judaeorum Vett. adverſus Literas Graecas.* 408

X X I V.

Dom. Magnani ſententia de anno Chriſti nati examinatur. 420

X X V.

De Paſchate Chriſtianorum cum Judaico Concurrente. 427

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500

All items are subject to recall